www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libook.com.cn



UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

900000090655

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

1859.

Class. 18[illegible]

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
A. F. DIDOT, imprimeur de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
DONDEY-DUPRÉ, impr.-lib. rue de Richelieu, n° 47 *bis*.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
JUL. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.
LECOINTE, quai des Augustins, n° 49.
Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

M. T. CICERONIS

QUÆ EXSTANT

OMNIA OPERA

CUM

DEPERDITORUM FRAGMENTIS

IN QUATUOR PARTES DIVISA

ITEM

INDICES QUINQUE

NOVI ET ABSOLUTISSIMI

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

EXCUDEBAT A. FIRMINUS DIDOT,
GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS

www.libtool.com.cn

FRAGMENTA

AD OPTIMOS CODICES

ET EDITIONEM J. VICT. LECLERC

RECENSITA

CUM SELECTIS VETERUM AC RECENTIORUM NOTIS

CURANTE ET EMENDANTE

N. E. LEMAIRE



PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

PORSEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXXI

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

EDITORIS PRÆFATIUNCULA.

www.libtool.com.cn

Laborum metam attingentibus nobis pauciora dicenda supersunt de hoc novissimi voluminis tenore ac proposito, in quo pretiosæ Ciceronis reliquiæ tamquam in sacrario aliquo continentur. Quando enim ita fato datum erat, ut exstincta tot librorum luce et vita, vix decimam oratoris romani partem vetustas invidiosa servaret, illud tamen quamvis in tanto malo lætandum est, quod nonnullæ ex hoc literarum naufragio veluti tabulæ emerserint, quæ, quantum sit damnum, testarentur. Nec scio, an non nova laus (si quisquam Tullianæ laudi accedere cumulus possit), scriptori nostro veniat, quod in tam variis operum fragmentis semper magnus et nobilis, semper et sapientiæ, et Romæ, et libertatis interpres appareat. Danda itaque fuit opera, ne nobilissimæ illæ reliquiæ diversissimis in locis diutius obrutæ jacerent, sed in unum redactæ, usum simul ac ornamentum præberent. Porro, ne mancum claudicaret opus, eruendum fuit quidquid olim Sigonius et Patricius in lucem eduxerant, nec minimæ huïc fragmentorum parti, addenda quæcumque oculorum et ingenii acie viri præstantissimi, A. Maius, Niebuhr. et Am. *Peyron*, invenerunt. Quæ omnia, quantum in nobis fuit, notis et commentariis illustravimus, tum ex supra recitatis auctoribus, tum ex ipso locorum captu desumptis. Et plurimam quidem nobis utilitatem præstitit clarissimus vir J. V. *Le Clerc*, cui si dignas agere grates ve-

Digitized by Google

limus, in immensum hæc crescat præfatiuncula; et satis sit moneri legentes ab eo (nam quanta est hominis scientia et eruditio, tanta est humanitas et modestia), plerasque notas et integra prolegomena nos cum grata fontis uberrimi memoria diligenter hausisse.

Ut autem omnia quæcumque Ciceronem spectant in hoc volumine includerentur, notha quædam quæ ex oratore nomen tantum retinent, v. g. declamatiunculam in Sallustium, epistolam ad Octavium recepimus, quæ veteris saltem interpolatoris furta sunt; et recentiorem, de Tulliæ morte consolationem, quæ oratori nostro tributa, longam in decimo sexto sæculo librorum et disputationum procellam commovit.

Opus tandem claudit editionum latinarum notitia, et Ciceronis vita a Leonardo Bruno Aretino conscripta, quam vix semel olim editam, et italica tantum interpretatione celebratam, e tribus Ambrosianis codicibus Cl. Maius eruit, et tum primum Tulliano corpori adjunximus; majus operæ pretium facturos nos arbitrati, si præclarum et ineditum illud opus in lucem proferremus, quam si sæpius errantem de Cicerone Plutarchum frigide interpretaremur.

N. E. L.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

PROOEMIUM

www.libtool.com.cn

DE FRAGMENTIS M. T. CICERONIS.

Ciceronis fragmenta, quæ supersunt, quibusque non minima præstantissimo viro laus venit, ad hanc diem indigesta nulloque ordine collecta expressere editores. Qui quidem, quum iis adhærerent, quæ Sigonius (1559) quæque Patricius (1565) deprehendere, rursus ea protulere in medium, sicuti primum tradita fuerant, parum, rectene an male scripta essent, curantes: nec certe facile est animo effingere, quam sordeant illa fragmenta apud Olivetum, Lallemand, Ernestiumque, et Schützium ipsum (1814-1823), qui omnes illas principis oratorum reliquias, non accurate satis, recollegere. Quum ibi, omnia confuse, omnia negligenter, omnia obscure, et quodammodo sine ulla auctoritate essent prolata, omnino hac ex parte Ciceronis opera claudicabant. Stabant etiam et aliæ causæ, cur hæc rursus materia tractaretur: a sexto decimo sæculo emersere ex quibusdam scholiastis aut grammaticis fragmenta, quæ primos fugerant investigatores: et ex eo quodcumque felicissimo fato in palimpsestis inventum est, non solum aliquot voces certissimæ iis quæ jam notæ erant additæ sunt, sed et orationes quædam innotuere, quas fuisse scriptas nemo certe antea suspicabatur. Quas quidem divitias Schützius aut obiter, ut ita dicam, coegit, aut omnino neglexit.

Nos vero, postquam omnem curam contulimus, et omnique ope atque opera fuimus adnixi; postquam attente omnia perpendimus, profiteri palam possumus, hæc Ciceronis fragmenta multo rectius et melius esse disposita. Quamquam etiam imperfecta multa deprehenduntur, et optandum est, ut nova quædam doctis viris illuceant, labor ille noster non omnino inconcinnus erit; et inde aliquid utili-

Digitized by Google

tatis idem opus aggredientibus redundaturum affirmare posse arbitramur.

Quod si vero a nobis quæratur, quamnam vim possideant, vel quidnam literis aut Ciceronis laudi adjicere possint, rudera illa informia, et utcumque disjecta, loci illi manci et curti, longa illa operum enumeratio, aut potius comploratio, quæ nunc aliquot vocibus continentur, respondere in promptu erit: neminem unquam posse linguam latinam penitus introspicere, quin cum ceteris operibus eas conferat voces, quæ hoc tantum in libro occurrunt; et orationum fragmenta qualia sunt pro Tullio, et pro Scauro, eadem cura tractari debere, qua ceteræ operum partes, si quis plane intelligere velit, quæ apud Romanos, et grammatices, et eloquentiæ, et politicæ, historiæque scientia fuerit. Nunc autem si ad Ciceronis gloriam spectaveris, quantus huic cumulus accedit, ex operibus iis, quæ ingenium, in vita tot curis, tot laboribus impedita, quasi profudit? Cogitatione, et uno quasi oculorum conjectu complectamur paullulum longam illam seriem orationum, tum apud judices, tum apud patres habitarum, ex iis quæ pro Tullio ac Vareno acta sunt, ad ea usque, quæ de pace dicta, paucissimis Dio verbis expressit; animo effingamus, quam numerosæ essent illæ orationes, quas, Tirone magistro, notarii scriptis mandaverant, quasque idem ille Tiro ex Ciceronis ipsius notis in lucem edidit: magno sane numero erant, quum Diomedes de tertio decimo commentariorum libro verba faciat; ad hæc omnia adjiciantur quæ pro aliis summus excogitavit orator (Ep. ad Quint. fr. III, 8, etc.), quæ ex Platone, Xenophonte, Demosthene et Æschine latinum in sermonem convertit; numerosaque illa poemata, quæ omnibus ætatibus vitæ quasi oblectamenta canebat, opera omnia quæ de philosophia ac republica administranda scripsit, quorum ne nomina quidem omnia supersunt, quæ etiam de historia in ordinem digessit; tum etiam de rebus privatis secreti codicilli, quos tempus abolevit; tum epistolas in

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

unum copulemus, quas ad filium suum, Cornelium Nepotem, Catonem, Cæsarem, Octavium, Hirtium, Pansam, Brutum, Plancium, Cerelliamque misit, quæque magno sane annalium romanorum damno vetustas abolevit; tum, sicuti pro templis, quorum rudera tantum solo sparsa jacent, sæpe fit, has omnes reliquias mente in unum corpus redigamus, relegamus vestigia illa animi semper curis exagitati, gloriæque semper inhiantis; et apparebit recte dixisse Muretum, quum profiteretur decimam tantum ex Ciceronis operibus partem ad nos usque pervenisse.

Quod certe quotidie manifestius demonstrat, quidquid in Italia recens est inventum. Vir præstantissimus Angel. Maius, qui nonnumquam errasse creditur, doctorum saltem mentes sibi conciliavit, studio acerrimo quo Ciceronis omnia fragmenta est odoratus, nec ejus labori umquam satis digna veniet gratulatio. Vanus fuerit labor, si, resumptis iis quæ ad Fonteianam sumus præfati, rursus de palimpsestis, ut ipse Cicero ait Epist. ad Div. VII, 18, loquamur, quos et docti *rescriptos* libros nominant. Ann. 1814 A. Maius in Med. bibliotheca manuscriptum attente evolvebat, cui mandati fuerant Sedulii versus; qui autem octavo ferme sæculo rescriptus ex sancti Columbani Bobbiensi monasterio huc venerat, in Apenninis condito anno 612, cuique circiter anno 990 doctissimus Gerbertus præfuerat. Quum hoc in libro vestigia deprehendisset scripturæ veteris abolitæ, ut nova iisdem foliis mandarentur, paullatim verba quædam rimatus est, quæ Ciceronis opus ignotum testarentur. Fragmenta hæc erant tribus divisa columnis, quibus inscriptæ erant orationes pro Scauro, pro Tullio, pro Flacco, Sedulii carminibus omnino obtectæ. Scriba autem gothicis literis adversa ex parte veterem exaraverat scripturam, quam editor secundæ vel tertiæ ætatis esse testatur, absque ullo argumento, sed quæ certe est antiquissima. Præterea folia minorem in formam fuerant redacta, et opus in-4°, ut vulgo dicitur, scribæ converterunt in librum in-8°. Idem Maius

Digitized by Google

eadem ratione invenit, sub Chalcedonici concilii 451 actis latentia fragmenta quædam orationum in Clodium et Curionem, de ære alieno Milonis, et de rege Alexandrino, sed scholiis mixta, quæ rescripta fuisse visa sunt quarto vel quinto circiter sæculo. Manuscriptus idem liber habebat, recentioribus literis oblitas, partes quasdam jam vulgatas orationum pro Archia, pro Sulla, pro Plancio, in Vatinium, notis quibusdam illustratas, quas ex Asconio Pediano esse suspicatur, quamvis nobis omnino manifestum esse appareat, ex dicendi genere, veteris commentarii vestigia omnino evanuisse barbaris admodum adnotationibus quasi oppressa. Denique doctissimus ille vir Romam a summo pontifice accitus, in hac urbe anno 1822 in lucem edidit nova fragmenta ex scriptis de Republica, ex MS 5757 Vaticani, ex Bobbiensi bibliotheca prolato, ubi per octo aut novem sæcula latuerant, Divi Augustini quibusdam in psalmos commentariis omnino obtecta.

Alia etiam fragmenta jam ex aliquot annis promissa, ad finem tantum anni 1824 ab Amedæo *Peyron* Angeli Maii amico prolata fuere, ex palimpsesto Taurinensis academiæ (parte D, IV, 22), quique ex libris ejusdem bibliothecæ Bobbiensis olim fuerat. Ciceronis operibus superscriptus est quidam tractatus Divi Augustini operum tomo octavo servatus, cui nomen : « Collatio cum Maximino, Arianorum episcopo ». Quamvis legenti hæc omnia officerent, editor geminas veteris MS columnas agnovit, qui tertio aut quarto sæculo exaratus videbatur. Plures sententias inde extraxit, quæ ad fragmenta pertinebant, jamjam edita ab Angelo Maio, orationum pro Tullio, et Scauro, et ejus quæ in Clodium apud senatum est habita.

Quas omnes divitias in unum tum primum coegimus, et ordine temporum distinctas ita expressimus, ut ea præsertim notis illustrarentur, quæ ante annum 1814 nondum innotuerant.

Quidquid autem in his novis fragmentis restituit Angel.

www.ibtool.com.cn
Digitized by Google

Maius, aut quod nos ipsi reposuimus, peculiari nota distinctum est, quod quidem ad hanc diem in fragmentis edendis usurpatum vidimus.

www.libtool.com.cn

Nullum deprehensum est fragmentum, quod ad opera de rhetorica assui possit. Quæ de hac arte scripta possidemus omnibus partibus sunt absoluta, præter extremum caput Bruti, et libros de Inventione, quibus forsan numquam auctor finem imposuit : sed verisimile est multa alia Ciceronem scripsisse, quum ad filium instituendum Partitiones oratorias componeret. Quinetiam quum junior esset (Rhet. ad Her. I, 46) de logica egit, et ætate provectior (Topic. cap. 2) se de ea scripturum spondebat. Sane eam ad filii usum in ordinem digessit ac redegit, sed nulla laboris hujus supersunt vestigia, omninoque evanuit quidquid hac mente proferre potuit. Itaque hoc in argumento illud nobis est reliquum, ut ea expendamus, quæ orationum, scriptorum philosophicorum, epistolarum, ac poematum, fragmenta jam non desiderantur.

I. ORATIONUM FRAGMENTA.

Quidquid Cicero junior apud judices egit, omnino evanuit. Ex Quintii causa, quem certe non primum defendit, uti ex orationis ipsius exordio licet opinari, ad Verrinas usque, decem anni effluxere, per quos, si duos excipias (674-676) quibus Græciam perlustravit, indesinenter ac perpetuo in foro verba fecit (Brut. c. 90, 91). Post longum illud intervallum, ex quo duas tantum orationes quasi expressimus, Cicero XXXVII annum agens dictitabat (in Cæcil. 13) neminem adhuc tot causas egisse, et se cum Hortensio sæpissime disputavisse profitebatur. Nullo modo, ne historiis quidem novimus, unum ex illis forensibus certaminibus quibus ad actiones contra Verrem ambo illi oratores quodammodo prolusere. Attamen ex Hortensii eloquentia maxime celebrata, egregiisque dotibus quæ jam in Tullio emi-

Digitized by Google

nebant, conjicere licet has orationes omnes fuisse in unum collectas, quum aliæ servatæ fuerint, quæ certe multo minus doctorum animos movere poterant.

www.libtool.com.cn

PRO M. TULLIO.

Quidam loci ex hac oratione passim apparebant apud Quintilianum, Victorinum, Priscianum, Rufinianum et Marcianum Capellam. MS autem Ambrosianus exordii partem et narrationis continet. Sigonius hunc Marcum Tullium putat eumdem esse ac M. T. Deculam consulem cum Cn. Dolabella anno 672, hoc ipso tempore quo Cicero Quintium defendit (Aul. Gell. XV, 28). Non verisimile est tamen hanc quam tractamus orationem, pro consulari viro fuisse habitam; nec ante Tullii consulatum agi potuit, quum, teste eodem Aulo Gellio, pateat nullam causam magni momenti a Cicerone, ante Quintii actionem, fuisse peroratam. Multo melius est profiteri nos, quis revera sit ille Tullius ignorare. Quo autem de negotio agatur exponet locus ille a Marciano Capella, lib. V, c. de Partitione servatus: «Damnum passum fuisse Marcum Tullium convenit mihi cum adversario; vi hominibus armatis rem gestam esse non inficiantur; a familia P. Fabii commissam negare non audent: jam dolo malo factum sit ambigitur».

Fortunatianus in libro de Rhetorica docet, oratorem multis exemplis comprobare, se merito leges de vi latas, quasi clienti suo omnino faventes interpretari. Actio illa longissima erat, aut saltem talis videbatur ei qui de oratoribus dialogum scripsit, c. 20: « Quis nunc, ait, perpetietur de exceptione ac prætoris formula illa immensa volumina quæ pro M. Tullio, aut A. Cæcina legimus? » Orator iterum pro Tullio verba fecit: quæ supersunt fragmenta ad alteram actionem pertinent. Ex quo multa Amedæus *Peyron* ad hanc diem ignota detexit; omne fere exordium habemus: narratio autem semper manca est; sed occurrent tamen, de inter-

Digitized by Google

dicto *unde vi*, et de sensu verborum *dolo malo*, in formula prætoris, multa quæ detinere possint eos qui juris romani tenebras amant discutere, lucemque iis inferre aggrediuntur.

www.libtool.com.cn

PRO L. VARENO.

Ad idem ferme tempus, aut nescio an post quæsturam, Cicero L. Varenum defendit, reum capitis, quod C. Varenum neci dedisse dicebatur. Adnixus est orator scelus illud omne ad Ancharii servos convertere. Quintilianus vero pluribus locis (IV, 2; VI, 1; VII, 1; VIII, 2) quædam de hac causa profatur, et L. Varenum fuisse damnatum demonstrat. Ex quadam autem Plinii Junioris epistola (I, 20) videtur Cicero illam orationem non eo modo in lucem edidisse, quo apud judices egerat: non sententias omnes suas explicuit, quasdam tantum indicavit. Quod quidem etiam in Murenæ defensione, oratorem fecisse, testatur Plinius. Qua de causa, post caput prædictæ orationis vigesimum septimum ita multa desiderantur, sicuti post cap. 8, in ea quæ pro Fonteio inscribitur.

QUUM QUÆSTOR LILYBÆO DECEDERET.

In oratione pro Plancio, ad cap. 26, facile est deprehendere, quæ honorifice, quæque magnifice Cicero de sua quæstura cogitaret. Certum est eum summa moderatione summaque continentia, et animi benignitate, res in hoc magistratu tractavisse; et illam in primis stetisse causam, cur Sicilienses contra Verrem eum patronum una voce elegerint. In hac oratione habita an. 679, gratias iisdem agebat, ut conjicere licet, quod insolitos honores ipsi decrevissent, et se eorum semper amicum et propugnatorem fore profitebatur (Div. in Cæcil. cap. 1). Tum ea commemorabat quæ pro Sicilia, quæque pro magnorum virorum memoria illustranda patraverat, et Archimedis sane tumulum a se detectum jactitabat (Tusc. V, 3). Tum quoque se confitebatur

Digitized by Google

monumentorum antiquorum observantissimum, quæ ita vivide in Verrinis descripsit, ut aliquid ad artium annales ordinandos loci illi contulerint. Asconius de his verbis quibus Sicilienses salutabat ultimum Cicero, agit in argumento orationis contra Cæcilium, quum commemorat quibus vinculis orator ille huic populo adhæreret: « quod quæstor in Sicilia fuisset prætore Sexto Peducæo, et quod, quum decederet, in illa oratione, quam Lilybæi habuit, multa iis benigna promisisset ».

www.libtool.com.cn

PRO P. OPPIO.

P. Oppius, eques romanus, in bello Mithridatico Cottæ consulis quæstor, ad annum ferme 680 majestatis reus fuit, quod in victu administrando exercitum fraudaverat. Quintilianus vero (V, 13) defensionem qua ratione disposuerit Cicero, narrat. Ex eodem loco patet Oppium apud judices fuisse citatum ex epistola Cottæ consulis; et fragmentorum primum, quod cum Dione Cassio (XXXVI, 23) optime convenit, testatur consulem contendisse, se pæne fuisse a quæstore suo neci datum. Sallustii loco quodam, quem Nonius (XVIII, 9) servavit, res illa paullum illustratur. Defensor autem profitebatur clientem eo fuisse desperationis adductum, ut sibi ipse violentas inferre manus fuisset agressus. Oppius autem, quum a Cicerone defensus fuisset, et equites romanos judices haberet, fuit sane culpa liberatus.

PRO C. MANILIO.

Si fides Asconio adhibetur (in argument. Cornelianæ), Manilius quidam in judicium vocatus fuit, quod populum contra judices, qui de L. Cornelio sententiam erant laturi, concitavisset: sed ille absens damnatus fuit; præterea non Caius, sed Marcus dicebatur. Verisimile itaque est ibi de C. Manilio agi, qui, teste Plutarcho (Vit. Cic. cap. 9), repe-

Digitized by Google

tundarum reus fuit anno 687, Cicerone prætore, qui eum, populo id efflagitante, defendit. Quidquid autem conjecit Patricius, a vero discedere videtur.

www.libtool.com.cn

PRO M. FUNDANIO.

Ignoratur plane quænam fuerit illius litis causa, de qua egit Quintus in epistola de petitione consulatus, cap. 5 : videtur autem acta fuisse anno 688. Ibi Cicero deridet testem qui nullo modo primam literam poterat pronuntiare nominis illius contra quem erat dicturus. Testis autem ille Græcus fuit (Quintil. I, 4), et inde videtur de repetundis fuisse in judicium vocatus Fundanius, ab incolis cujusdam provinciæ, Arcadiæ forsan, in quos orator invehebatur, ut testatur Servius, quod genus antiquum jactarent. Joci autem illi Romanos delectare quidem poterant, sed multo melius fuisset certa argumenta in medium proferre. Absolverunt Fundanium judices.

PRO C. CORNELIO.

Hæc causa semper habita est tamquam una e clarissimis quæ Tullius egerit. Per quatuor dies, anno 688, fuit disceptata, et orator eam in lucem emisit duabus distinctam actionibus. Inde Quintilian. multa deprompsit exempla, IV, 3; V, 13; VI, 6; VII, 4, etc. Qui de Oratoribus dialogum scripsit, c. 39, refert eam vehementissime civium animos concitavisse. Cicero ipse, Orat. cap. 29, argumentum illud profert, quantum varia esset ipsius eloquentia. C. Cornelius majestatis erat reus. Quum tribunus plebis anno 686 esset, uti illatam sibi ulcisceretur a senatu injuriam, qui legem ab ipso rogatam rejecerat, de pecunia apud gentium exterarum legatos magno fœnore locata, sanxerat, « ne quis, nisi per populum, legibus solveretur ». Rursus obstitit senatus, Corneliusque iterum contra patres est obnixus : ibique

Digitized by Google

quum collega ipsius P. Servilius Globulus vetaret ne præco legem populo recitaret, Cornelius ipse e manibus scribæ arreptam contenta voce perlegit. Tum Piso consul proclamavit tribunitiam hoc modo intercessionem aboleri, et aliquot Cornelii fautores in vincula conjici jussit : sed fasces fracti, lapidesque in eum conjecti : Corneliusque concionem dimisit. Postea aliquid legi suæ immutavit, quæ fuit accepta. Anno sequente duo fratres Cominii ad judices eum protraxere; sed concitata plebs ita exarsit, ut cedere cogerentur. Tandem, anno 688, accusatores omni ope adjuvere, Hortensius, Catulus, Q. Metellus, L. Lucullus, M. Lepidus; pro Cornelio autem pugnabant idem Globulus, qui legem ferenti obstiterat, Pompeii opes et Ciceronis eloquentia. Quum autem prætor esset, et jam consulatum affectaret Tullius, necesse erat ut nullum e patribus læderet, nec quidquam tamen ex sua causa remitteret. Asconius, qui geminam hanc actionem tractabat, et ex quo pauca illa sumus mutuati, miratur quali artificio obstacula omnia evicerit orator. Laudat etiam accusatoris P. Cominii orationem, de qua judicium tulit Cic. Brut. c. 78. Marcianus Capella, lib. V, c. de Dispositione, præcipuæ defensionis divisionem servavit : priore parte orator perpendebat ea, quæ Cornelius a tribunatu patraverat, et posteriore, quæ ei objiciebantur, quum magistratum illum obtineret. Omnia confessus est Cicero (ut ait Quintilianus, VI, 6), et hæc ipsa fides Cornelium absolvit.

IN TOGA CANDIDA.

Hæc habita fuit oratio in senatu, anno 689, paucis diebus ante consularia comitia; a Quintil. III, 7, hoc titulo inscribitur, *in Competitores*. Ea tantum novimus, quæ in scholiis transcripsit Asconius. Ut coerceret Antonii ac Catilinæ insolentiam, qui per fraudem ad magistratus grassabantur, senatus censuerat legem de ambitu atrociorem quam antea

Digitized by Google

ferendam esse; cui Q. Mutius Orestinus Ciceronis inimicis addictus vehementer obstiterat. Quum autem de hac intercessione in senatu ageretur, Cicero verba fecit adversus inimicos maxime sibi reformidandos, quum præter ingenitam audaciam Cæsar et Crassus eis faverent. Operæ pretium est intueri, quonammodo viros illos depingat, quorum imago in epistola Q. Ciceronis de petitione consulatus adumbrata fuerat. Per populum eodem ferme tempore vulgata fuerat, iisdemque fere verbis odium ejus in eos viros erupit. Quintus ibi fratrem orat, uti literas illas perpolire velit, et Cicero illud memoria sane recollegit, quum hanc orationem, de qua hic agitur, habuit: namque facile apparet easdem sententias, et eamdem dicendi rationem passim occurrere. Quæ duo opera non satis ad hanc diem fuere a doctis culta ac perpensa: namque docent qua ratione candidati contra competitores inveherentur, quam gravia illa bella essent, et quam acriter verbis alii alios impugnarent. Et quidem legitimum hoc erat ac justum, sed non ita sæpe usurpatum; quum potentiores armis contendere mallent, ita ut forum sanguine civili inficeretur, et victoria non verbis, sed ferro compararetur.

PRO Q. GALLIO.

M. Calidius anno 689 Q. Gallium ambitus insimulavit, quia ille repetundarum reum Q. Calidium ante tribunal protraxerat. Ex cap. 80 Bruti apparet, M. Calidium contendisse venenum sibi a Gallio fuisse mixtum. Idem ille Calidius ingenio quidem valens, sed parum vividus orator, ante pontifices pro domo Ciceronis verba postea fecit (Quintil. X, 1). Tullius autem designatus sane consul erat, quum hanc causam egit, qua victor decessit.

DE L. OTHONE.

Illic incipiunt consularium orationum fragmenta. Quamvis autem eas in lucem ediderit Cicero (ad Att. II, 1), super-

Digitized by Google

sunt tantummodo ad hanc diem tres de lege agraria, quatuor in Catilinam, et pro C. Rabirio, et pro Murena orationes; quibus Cicero addiderat quæ egerat de L. Othone, de Proscriptorum liberis, et de Deponenda provincia. De postrema nihil hodie superest; prima autem hac de causa fuit scripta. L. Roscius Otho, tribunus plebis, equitibus romanis, quatuordecim graduum ordines assignarat pone senatores (Tit. Liv. epitom. 99; Cic. pro Mur. c. 19; Juven. III, 159, XIV, 323). Quadam autem die quum Cicero consulatum obtineret, Roscius Otho in theatrum quum ingrederetur, populi sibilis ac clamoribus fuit exceptus. Equites vero romani se tribuni fautores professi, manus cum populo conserere parabant, quum consul in medium procedens populum ad Bellonæ templum advocavit, verba ibi de illa seditione facturus. Ibi eloquentia populum ita sibi devinxit, ut Othonem postea plebs omnis summa observantia prosequeretur. Quidam credidere, Virgilium ad illam pulcherrimam orationis victoriam alludere, quum in illo Æneidos I, 152 versu, ita canit: «Ac veluti magno in populo»: infelicissimo fato hac tantum ex oratione voces aliquot supersunt sed inconditæ, quæque nihil sonant. Macrobius vero (III, 14), nos docet Ciceronem populo exprobravisse «quod Roscio (nempe comœdo) gestum agente, tumultuaverit».

DE PROSCRIPTORUM LIBERIS.

Sulla liberos inimicorum lege Cornelia de proscriptis (Vell. II, 28) in perpetuum a magistratibus arcuerat, quibus ignominia prius quam vita certa esset. De iis autem restituendis senatus cogitabat; sed Cicero consul veritus, ne, si juvenes illi imperium occuparent, veteres ulciscerentur injurias, se unum, ut ait in Pis. cap. 2, eorum odio objecit, culpaque senatores hoc modo liberavit. Quintilianus (XI, 1) miratur quam solerti arte orator rem explicuerit, ne acrius in se odium eorum conflaret contra quos erat verba facturus.

Digitized by Google

Plinius quoque, quum Ciceronis ingenium vividissimo eloquentiæ flumine (VII, 30) appellat, hanc orationem, et eam quæ pro Othone fuit habita tamquam famæ certissimum monumentum commemorat. Quas certe geminas desiderare debemus, non magis ob eloquentiam quam politicam scientiam; multo enim melius romanæ reipublicæ tractandæ modum dignosceremus, si argumenta ea paterent, quibus Cicero legem Corneliam defendebat, et comprobabat periculosum esse in pristina jura restituere eos qui viginti ab annis fuerant oppressi.

www.libtool.com.cn

CONTRA CONCIONEM Q. METELLI.

Quem titulum servavit Aulus Gellius (XVIII, 7). Cicero (ad Att. I, 13), hanc orationem Metellinam appellat. In epistola quadam Q. Metelli Celeris, et in ipsius literis Ciceronis (ad Div. V, 1, 2), quanam de re agatur, deprehendimus. Q. Metellus Nepos, contra quem hæc habita est oratio, incipiente anno 691, idem est qui tribunus plebis creatus, quum Cicero e consulatu decedens, de more ad Rostra processisset, uti magistratum deponeret, eum loqui vetuit, et hoc tantum jurejurando factorum memoriam revocare passus est: Romani, testor me patriam salvam præstitisse. Nescio an ullum exstet pressioris eloquentiæ monumentum.

DE CONSULATU SUO.

Vulgo creditur hanc orationem, quæ aliquot tantum vocibus a Nonio servatis nunc constat, fuisse a Cicerone scriptam, quum ad populum verba facturus erat, ubi e magistratu excessit: quum autem illud clarissimo viro per tribunum non licuisset, statim eam per populum emisit. Quæ autem supersunt voces, eas quidam putant ad carmen de Consulatu pertinere, sed coguntur verba immutare, ut versum efficere possint: sed eos confutat Plutarchus, nam-

Digitized by Google

que scribit in vita Crassi, a Cicerone orationem de Consulatu ipsius fuisse scriptam, περὶ ὑπατείας: qua narrabatur quonam modo Crassus media nocte epistolas ei attulisset de Catilinæ nefariis consiliis, remque omnem patefecisset. Hac igitur oratione sese defendebat Cicero. Sed verendum est, ne Plutarchus hoc in loco, non orationem, sed tantummodo commentarios quos græco sermone de consulatu suo scripserat, commemoret; nam rem verbis ambiguis exponit: ἐν δὲ τῷ περὶ ὑπατείας ὁ Κικέρων.

IN P. CLODIUM ET CURIONEM.

Argumentum dabit sexta decima libri primi ad Atticum epistola, quam nos hujus orationis fragmentis præposuimus, et adibunt ii qui plura volent. Quum autem verba fecisset in senatu quinta decima maii die anni 692, orationem eodem ferme tempore in lucem edidit. Attamen, mense julio anni 695, Cicero in exsilium actus miratur quod hæc oratio vulgata sit, et ad Atticum (III, 12, 15) scribit se omnino ignorare quonammodo per vulgus serpere potuerit; hanc enim se indignam detestatur; quibusdam causis, quæ certe non omnino absonæ sunt, putavit Manutius, agi illic de alia oratione contra Curionem patrem (nondum enim filius senator erat, et pater Clodium defenderat). Sed arbitramur idem opus ibi agi, et temporum respectu difficiliora quædam explanari. Cicero hanc orationem anno 692 aut emiserat, aut emitti passus fuerat, et tertio post hæc anno testatur se numquam contra Curionem stetisse. Qua vero de causa? sane quia necesse erat, ut omnes sibi in patriam vias pararet, et epistolæ illæ ad amicum scriptæ iis sane quoque legendæ tradebantur, qui numquam ignovissent, quod in eorum partes olim fuisset tam vehementer invectus. Quæ vero inter se Atticus et Curio (ad Att. III, 20) retulere, nostram hanc firmant opinionem. Nihil novis in fragmentis ad Curionem recte pertinet; sed in titulo Curionis

Digitized by Google

nomen Clodii nomini adscribitur, et ex scholiasta Ambrosiano scimus de Curione has voces prolatas : «illum patronum libidinis suæ». Quidquid protulit recens vir doctissimus, Amedæus *Peyron*, anno 1824, quamvis mancum sit et hiulcum, explicat tamen et absolvit quæ sparsa in scholiis occurrunt, et acrius illius certaminis desiderium movent, quo gravissimum odium, et ipsam senatoriam majestatem sæpius excipiebat mordacior irrisio, qua injurias sibi illatas orator ulciscebatur.

www.libtool.com.cn

DE REGE ALEXANDRINO.

Ciceronis epistolæ (ad Div. I, 1 sq. ad Quint. II, 2) docent qua de causa in senatu, anno 697, hæc sententia fuerit proposita. Ægypti rex, Ptolemæus Auletes, Romam confugerat populo contra eum arma movente, et petiverat uti adjuvante republica in solium restitui posset. Quæsitum quisnam mitteretur, regi operam navaturus : Pompeium inter et P. Lentulum Ciliciæ proconsulem incerti pendebant animi. Quam provinciam sibi dari Pompeius æquum censebat, et regis creditores pecuniam per populum spargebant, uti Lentulus arceretur. Quum autem Ciceronem exsilio revocasset Lentulus, ejus orator causam est amplexus : attamen sibi plaudit in epistola ad Quintum fratrem (II, 2), quod in hoc munere, nec Pompeium amicum quoque sibi læserit. Oratio autem ita concepta elegantissimum sane fuit modestiæ et urbanitatis monumentum. Una tantum sententia restabat. Videtur autem Strabo (lib. XVII) ad hanc orationem spectavisse, quum hæc scriberet : «Cicero, in oratione quadam de Ægypti divitiis agens, ait Ptolemæum Auletem, Cleopatræ patrem, duodecim millia et quingenta talenta quotannis percipere». Quamvis nova fragmenta non multam lucem hanc tam incertis rebus addant, attamen nobis gratulari debemus, quod ex his ruderibus emerserit nobile cogitatum, quod multum mihi ad laudem Tullii con-

Digitized by Google

ferre videtur. Pulchrum est audire hunc oratorem, in eos omni eloquentiæ flumine ruentem, qui Romanorum benivolentiam lucro apponere aggrediebantur: «Non patiar, exclamabat, hanc exaudiri vocem hujus imperii : ego te nisi das aliquid, hostem; si quid dederis, regem, et socium, et amicum judicabo».

www.libtool.com.cn

PRO P. VATINIO.

Grato animo instinctus orator novissimam hanc de qua egimus orationem habuit; nunc vero timor verba, quæ pro Vatinio præfatus est, expressit. Multo magis cautus, ex quo Roma fuerat pulsus, Cicero, qui certum sibi fore in Cæsaris amicitia perfugium optime noverat, hunc ipsum Vatinium defendit, quem ita acriter antea impugnaverat. Eadem de causa Gabinium ex infestissimis unum defendit. Oratorem Quintilianus (II, 1), et Val. Maximus (IV, 2, 4) culpa absolvunt, et ipse Cicero (ad Div. I, 9) facile admodum hanc agendi rationem excusat. Duas pro Vatinio orationes egit (Val. Max. ibid.) anno 699, qui ambitus reus erat. Has autem Divus Hieronymus (Apolog. advers. Rufin.) legerat, et sic ad Rufinum scribit : «Lege oratiunculam pro Vatinio». Vatinium sententia judicum absolvit.

PRO SCAURO

M. Æmilius Scaurus, ejus filius, qui princeps senatus fuit, civium amore primum dignus fuit. Quamvis enim ejus matrem Sulla uxorem duxisset, non dictatoris potentiam ad fortunæ suæ incrementa convertit. Quum autem ædilitas magnificentissima, cujus diu populus memoriam servavit (pro Sextio, c. 54; Plin. N. H. VIII, 26, XXXIV, 7, XXXVI, 15, etc.) omnino fortunas exhausisset, æs alienum provincia, de more, exsolvit. Anno enim sequenti (696) Sardiniæ prætor præpositus, populorum in se odia rapinis et animo atroci concitavit (Val. Max. VII, 1, 10). Romam reversus consulatum petiit; sed, Sardis accusantibus, repetundarum reus

Digitized by Google

fuit, mense julio 699, verba contra eum agente P. Valerio Triario, oratore celeberrimo; accusantes autem juvabant L. Marius, et gemini fratres M. ac Q. Pacuvius. Dies trecenti fuerant concessi accusatoribus, ut Sardiniam peterent, ibique quidquid sceleris admiserat Scaurus notarent ac colligerent : illi vero Romæ manserunt, ne, dum abessent, Scaurus consulatum emeret hac ipsa pecunia quam in provincia sibi comparaverat, et antequam judicium latum esset, magistratu suo potiretur, ut pater egerat; et inde alios populos denuo opprimeret, prioris administrationis non reddita ratione. Scaurus, qui multum illustrissimæ gentis nomini, et patris recenti adhuc famæ confidebat, defensores habuit P. Clodium Pulchrum, M. Marcellum, M. Calidium, M. Ciceronem, M. Messallam Nigrum, Q. Hortensium. Quæ causa habita fuit populo quam frequentissimo adstante (Dialog. de Orat. cap. 39) ante tribunal Catonis, qui tum prætúram exercebat (Valer. Max. III, 6, 7) : M. Æmilius Scaurus ipse pro se egit, tum lacrymis suis et ædilitatis magnificentissimæ memoria, et patris sui fama ita judices commovit, ut non jam accusatorum argumenta valuerint. Viginti et duo senatores, tres et viginti equites, et quinque ac viginti tribuni ærarii, numerum judicum absolvebant : quatuor tantum senatores, duo equites, ac duo tribuni condemnandum censuerunt. Ciceronis oratio in medium fuit prolata septembri mense (ad Q. fr. III, 1). Sed eodem in anno Scaurum ambitus accusavit idem Triarius (ad Att. IV, 16, 17): nec consul fuit, quamvis causam Cicero egisset (Quintil. IV, 1). Nota vix erat prima oratio, una tamen e maximis quas scripsit Tullius, nonnullis locis expressis ex Asconio et veteribus grammaticis, et quibusdam Quintiliani ipsiusque Ciceronis verbis, et his quæ Marcianus Capella, lib. V, de Genere demonstrativo præfatus est. «Multiplex vero ex pluribus quæstionibus causa consistit, ut repetundarum omnes Verrinæ; et pro Scauro, de Bostaris nece, de Arinis uxore, et decimis tribus exqui-

Digitized by Google

ritur ». Nova autem hujus orationis fragmenta, amplissima sunt quæ Maius deprehendit an. 1814; exordii enim partem, divisionemque, et refutationis unum alterumque momentum vir ille luci reddidit. Non autem inter se consentiunt Maius Niebuhriusque, quanam ratione sint disponenda inter se illa fragmenta, et de illa re satis acriter alius alium impugnavit. Nos vero hoc discrimen prorsus inane esse arbitramur, quum densæ nimis tenebræ rem omnem involvant: nec satis certum sit qua parte stet rectum. Satis nobis sit sperare, et exspectare, donec novæ divitiæ emergant. Facile est autem deprehendere, oratorem ad id, in hac causa, sicuti in omnibus quibus de repetundis agitur, conniti, ut scilicet testium auctoritatem infirmet: contra Sardos verba facit, sicuti contra Gallos antea fecerat, quum M'. Fonteium defenderet, contra Græcos Asiaticos pro L. Flacco. Namque multo facilius erat victos populos Quiritibus propinare deridendos, quam prætores excusare, qui in eorum terga et fortunas sævierunt.

Accessit autem ad opes a præstantissimo viro Ang. Maio inventas, novus aliquis cumulus. Et nunc, quæ Am. *Peyron* deprehendit in manuscripto Taurinensi, omnia confirmant quæ doctissimus vir *Niebuhr* de ordinandis fragmentis conjecerat; nosque hanc opinionem sumus amplexi, quæ nullo modo nunc impugnari potest. Nunc quoque novis locis qui e tenebris eruti fuere, admirabilem admodum perorationem cognoscere datur, cujus aliquot tantum voces grammatici nobis servaverant, quæque, quamvis manca sit, philosophiæ ac eloquentiæ impressam sibi notam ferre omnino videtur. Non nimium dolendæ sunt quatuor lacunæ illæ, quibus septem lineæ desunt, namque paucissimis literis lineæ illæ constant, et geminas tantum nostræ editionis adimplerent. Ab ima parte decisum est folium manuscripti, quo expressa erat hæc peroratio, ut novam formam induceret; et ita quatuor columnæ aliquot verbis sunt deminutæ.

Digitized by Google

PRO A. GABINIO.

www.libtool.com.cn

J. M. Gesner. (ad Orat. post red. ad Quir. cap. 5) et Morabin. (de Cicer. exsil. pag. 115) contendunt Gabinium fuisse a Cicerone defensum in causa quadam capitali ante annum 695, et forsitan anno 686. Attamen si res illa omnino ignota est, si verba etiam illa, *alterius causam capitis receperam*, indicant tantum Ciceronem non defendisse, sed defendendi consilium iniisse, nullo modo dubitare licet, quin revera anno 699 verba fecerit pro hoc tam impio cive, cujus consulatus tam lugendus ipsi Tullio fuerat, quemque tamquam hostem sibi infestissimum reformidavit. Quintil. XI, 1 : « Dixit Cicero pro Gabinio et pro P. Vatinio, inimicissimis antea sibi hominibus, et in quos orationes etiam scripserat ». Val. Max. IV, 2, 4 : « A. Gabinium, repetundarum reum, summo studio defendit, qui eum in consulatu suo Urbe expulerat ». Vide quoque Dionem Cassium, XXXIX, 63 ; XLVI, 8. Cicero ipse ita loquitur de hac illius defensione in oratione pro Rabirio Postumo, cap. 8, eadem de causa accusato. « Non patitur mea me jam fides de Gabinio gravius agere ; quem enim ex tantis inimicitiis receptum in gratiam summo studio defenderim, hunc afflictum violare non debeo : quocum stante, si me Cn. Pompeii auctoritas in gratiam non reduxisset, nunc jam ipsius fortuna reduceret ». Et inferius etiam cap. 12 : « Mihi, C. Memmi, causa defendendi Gabinii fuit reconciliatio Gratiæ. Neque me vero pœnitet mortales inimicitias, sempiternas amicitias habere ». Rabirii causa acta est per hiemem 699 ; Gabinium quoque eodem tempore defendit orator : itaque vir ille eodem in anno, ambitus, majestatis, et repetundarum reus fuit (ad Attic. IV, 16). Cicero tamen in tertio ad Quintum Fratrem epistolarum libro, quo tam sæpe occurrit Gabinii nomen, nihil de hac defensione profert ; ad eam tantum alludit (III, 5) ; sed et multa alia argumenta comprobant, non omnes

Digitized by Google

servatas fuisse Tullii epistolas. Gabinius autem in exsilium missus, a C. Julio Cæsare fuit postea revocatus.

Hanc autem forsan ob causam hæc oratio desideratur, quod eam Cicero numquam in lucem protulit. Fragmentum autem, quod divus Hieronymus servavit, ex notis est expressum, quas Tiro post oratoris mortem collegerat. Censeo quoque Ciceronem non legendam tradidisse, quam pro Vatinio habuit orationem. Pudebat sane pollutæ, pavore dicam an necessitate, dignitatis; pudebat nobilissimam vocem hominibus maxime contemnendis commodare. Tiro autem omnia protulit quæ Cicero neglexerat, tamquam ad causas parvi pretii, aut quas invitus egerat, pertinerent. Optime enim famæ suæ consulens Tullius eas tantum scribebat orationes, quæ et ipso, et posteris dignæ viderentur; ipsoque testante vidimus hoc usitatum fuisse a veteribus oratoribus: namque Catonem ita in Dial. de Sen. c. 11, loquentem inducit: « Causarum illustrium quascumque defendi, nunc quammaxime conficio orationes ». Qui autem hunc laborem adjuvabant commentarii, eos sæpe oratores proferebant; Quintilianus (X, 7) de Sulpicii commentariis verbis agit honorificentissimis; sed quæ reliquit Cicero eo magis miratur, quod hominem agnoscit qui sibi uni negligenter scriberet. Quæ autem in unum corpus redegerat Tiro, maxime utilia juvenibus erant: itaque ad divi Hieronymi et Diomedis grammatici usque ætatem pervenerant. Hic, sicuti diximus ad Fragmentorum calcem, tertium decimum librum notat, et forsan multo numerosiores erant, si modo has orationes servavissent, quæ a Cicerone imparato actæ fuerant. Ex hoc tam vasto tamque utili romanæ eloquentiæ corpore Quintilianus hausit (IV, 1), quæ de secunda actione pro Scauro recitat. Qua autem ab oratione Diomedes, locum quem refert expresserit, ignotum.

Digitized by Google

DE ÆRE ALIENO MILONIS.

www.libtool.com.cn

Hujus orationis ad hanc diem titulus ipse ignorabatur: quæ vero Maius protulit, et rem, et aliquot sententias nobis aperuere. Anno 700 Milo et Clodius una petebant, hic consulatum, ille prætoram. Clodius medio in senatu contra Milonem fuerat invectus, quod ille non vera dixisset, quum æs alienum palam de more confessus fuerat; quumque depinxisset vividissimis coloribus luxuriam illam intolerabilem quæ, ipso Cicerone fatente, tria patrimonia exhauserat, proclamaverat se numquam traditurum rempublicam tamquam prædam ab insatiabili viro penitus devorandam. Cicero autem amicum defensurus, dicendi veniam rogavit. Actio autem illa in manuscripto vocatur *Interrogatio:* quod nomen quoque orationi in Vatinium inscribitur. In notis expressimus, quonam modo scholiastes vocem hanc explicuerit.

Hæc sunt orationum fragmenta quæ in unum corpus redigere potuimus. Ad opera pertinent, quæ omnino evanuere: nec satis ampla sunt, ut suo ordine inter cetera collocentur.

Quidquid autem ad orationes attinet pro P. Quintio, pro M'. Fonteio, de lege Agraria I, in Pisonem, post hæc fragmenta fuit repositum. Ad hanc diem fuerat inconsulte, nulloque ordine digestum; quod facile deprehenditur, si ea consulantur, quæ adnotavimus de fragmentis quibusdam commentitiis in orationem pro Q. Roscio.

Inter omnes illos, ut ita dicam, pannos, quibus olim forsan compleri poterit mutila adhuc aliqua oratio, adnotandum est, quidquid deprehendit Maius quod attinet ad orationem pro Flacco, et quæ pertinentia ad actiones pro Flacco, pro M'. Fonteio et pro C. Rabirio detexit Niebuhr. Quum autem nova illa fragmenta satis ampla sint, ut in legitimum locum possint reponi, orationibus ex quibus defluxerant, restituimus.

Qui autem de omnibus curant quæ ad literas pertinent,

Digitized by Google

quique veteribus studuere scriptoribus, his sane movebuntur, ab Amed. *Peyron* detectis, anno 1824, quæ cum cap. 12 et 13 Milonianæ congruunt. Benj. *Weiske* qui selectas orationes quasdam edidit, aliquid mancum in hoc opere præstantissimo deprehendere visus fuerat: sed narrationi ad cap. 10 aliquid deesse profitebatur. Locus autem quo fragmentum alterum reponendum est, clarissime indicatur: namque in eadem linea, quamvis brevissima sit, occurrunt nonnullæ literæ verborum jam notissimorum, et aliæ quæ novum fragmentum efficiunt: difficile ergo admodum mihi videtur contra novas illas opes pugnare. Illic multa quæ animo obversantur non perpendam: qui fit, ut numquam in ullo manuscripto vel veterrimo, voces illæ apparuerint? Nam Cicero sæpius hanc orationem edidit sicuti et alias quasdam. Nonne fragmentum illud verbi gratia ad hanc pertinere potest orationem, quam primum pro Milone habuit Tullius, quæque temporibus Asconii et Quintiliani etiam adhuc exstabat? quumque a manuscripto comprobetur has lineas cum veteribus cohærere literis, nonne respondere possemus, hunc locum omnino similem esse in utraque oratione? Multa et alia sunt quæ, licet disceptari possint, relinquo: doctis supersit tempus, ut tantam componant litem.

Attamen credo primum fragmentum non eamdem apud viros doctos fidem obtinere. Quod ex variis elementis quasi conflatum Am. *Peyron* edidit: hausit enim et a Quintiliano et a Scholiasta qui expressit plures sententias ex oratione *de ære alieno Milonis*. Quod quidem primo non ita huic fragmento favet; et, ut vera profitear, numquam sustinerem in hanc magnificentissimam orationem novas invehere partes, quibus admissis, et alia rursus desiderarentur. Sed quum in hac causa a doctis viris sit res dijudicanda, necesse est ut ea exponam quæ ad me scripsit Am. *Peyron* 6 februarii 1825, ut notum mihi faceret, quanam ratione Maius, quædam verba a Scholiasta relata pro orationis ipsius fragmento habuerit: «te hortor, inquit, uti intuearis com-

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

mentarium Ambrosianum Mediolanensem, tamquam alicujus grammatici *adversaria* nullo ordine digesta, qui scholia quam celerrime recitabat, vix primas indicans voces et postremas loci, quem explanabat, *Atque per... de nost. omn.* etc. ratus se totum locum meliori ordine relaturum, quum rursus hanc materiam tractaret, et rescriberet quæ confuse nulloque ordine chartis mandabat». Quæ omnia certe sapientissima sunt, sed tamen fragmentum mihi videtur non satis clarum ac fixum, ut non nova luce collustrari necesse sit.

Plaudendum tamen est nobilissimis laboribus eorum qui literis amicissimi, ex Romæ, Florentiæ, Mediolani, Veronæque ac Taurini Bibliothecis nova eliciunt eloquentiæ monumenta. Utinam Italia, tam dives pretiosorum operum, tenebris eruat aliquot artis miracula vetustate abolita, et ipsa nova luce veterem hanc suam gloriam collustret!

Nunc vero, donec inveniatur et deprehendatur ignoti voluminis pars aliqua, si convertere oculos velimus et mente recolligere quæ fuerint detecta, videbimus decem ac novem orationes iis addendas esse, quas quinquaginta et sex numero expressimus, et majorem etiam numerum deprehendi posse, quippe erant duæ actiones pro Tullio, geminæ pro Cornelio, geminæ pro Scauro, etc. tum ex tertio decimo commentariorum libro, de quo grammaticus quidam agit, nullo modo conjicere possumus, quot libri fuerint orationum illarum, quarum capita tantum, et quasi summam Tiro servaverat. Quin immo multa et alia sunt: de his egimus scriptis quorum adhuc aliquot voces supersunt: quid esset, si hic numerare velimus, quæ tantum titulo innotuere?

Itaque conjicere licet in hac urbe qua Ciceronis orationes ipso vivente a discipulis in scholis memoriæ mandabantur (Ep. ad Quint. III, 1), collectum fuisse, si non omnino, at saltem partim, quidquid egit variis forensis vitæ ætatibus; ut pro femina Arretina dictatore Sulla (pro Cæcin. cap. 33);

Digitized by Google

pro Scamandro Fabricii liberto, 677 (pro Cluentio, cap. 17 et seqq.); pro C. Mustio, quem juvenis defenderat (in Verr. I, 53); in M. Claudium (Fragment. nov. orat. pro Tullio, cap. 7); pro Sthenio, ante tribunorum collegium, 602 (in Verr. II, 41); pro Cluentio contra Ennium (pro Cluent. cap. 59); pro C. Orcinino, 688, vel 689 (de Petit. consul. cap. 5); pro C. Pisone, consulari 690 (pro Flacco, cap. 39); pro A. Thermo, quem bis defendit, quemque pœna exsolvit, 694 (ibid.); pro C. Antonio olim collega, quem, eodem anno incipiente, frustra defendit (pro Dom. cap. 16); pro L. Bestia, ambitus reo, condemnato undecima februarii die 697 (Ep. ad Quint. fratr. II, 3), postquam sexies ab oratore fuisset defensus (Phil. XI, 5; XIII, 12); pro Cispio, qui damnatus quoque fuit ad annum circiter 698 (pro Plancio, cap. 31); pro Caninio Gallo, ad idem tempus (Epist. ad Div. VII, 1); pro Reatinis adversus Interamnates mense Julio 699 (ad Att. IV, 15; pro Scauro, 7); pro Messio, pro Druso, eodem anno (ibid. IV, 15, 16); Annalium scriptor Fenestella contendebat Ciceronem defendisse anno 688 Catilinam repetundarum reum (Ascon. ad orat. in tog. cand.); videtur tamen hoc mente tantummodo agitavisse Cicero (ad Attic. I, 2). Eodem anno quo Milonis causa dijudicata fuit, C. Munatium Plancum Bursam accusavit, ut qui populum post Clodii necem, ad incendendam curiam impulerat, et exsilio multandum curavit (ad Div. VII, 2, XII, 18; Philipp. VI, 4, XIII, 12; Dion. XL, 55): Plancus vero, sicuti Gabinius aliique complures, a Cæsare fuit revocatus. Aliquot orationes quo tempore egerit orator, haud ita facile est adnotare; attamen testari possumus, eum etiam defendisse Titiniam Cottæ uxorem, contra Curionem patrem (Brut. cap. 60; Orat. cap. 37); M. Saufeium, pro quo verba iterum fecit (Ascon. ad Milonian.), sicuti pro Acilio (ad Div. VII, 30), et pro Dolabella, quem postea generum habuit (ibid. III, 10; VI, 11); Bursam qui postea, ipso suadente, damnatus est (ibid. VII, 2); Q. Mucium, quem Calenus furti insimulaverat

Digitized by Google

(Fragment. orat. in tog. candid.); L. Atratinum, ejus patrem qui Cœlium accusavit (pro Cœl. cap. 1, 3, etc.); P. Ascitium, qui, anno 676, accusabatur Dionis necis particeps fuisse (ibid. cap. 10) Sabinum Munatio accusante (Plutarch. in vit. Ciceronis, cap. 25); C. Curtium Postumum (ad Attic. IX, 6); Popilium Lænam, qui Ciceronem mactavit (Seneca, Controv. III, 17), etc. etc. Inter orationes de republica administranda habitas, eas memorabimus, quas apud populum *de Pecuniis residuis* egit, per præturam (Fragment. orat. pro Corn. pr.); ut legem Agrariam rursus impugnaret, hoc anno quo consul fuit (ad Attic. II, 1); ut provinciam detrectaret eodem anno (ibid. II, 1; ad Div. V, 2; in Pison. cap. 2); apud senatum pro Cæsare (de Prov. consul. cap. 11) sæpius contra Gabinium, ad annum 698 (Quintil. XI, 1); de libertate Tenediorum (ad Quint. Fr. II, 11); pro Crasso (ad Div. I, 9); pro *amnistia*, in templo Telluris post Cæsaris necem (Dion. XLIV, 23); et multas alias opiniones, quarum nonnullæ in lucem emissæ sunt. Quid multa? Cicero quoque orationes pro amicis scripsit; namque (ad Quint. Fratr. III, 8) funebrem laudationem juvenis Serrani Domestici scribit, quæ a patre habita est vigesima quarta novembris die anni 699, novaque Mediolanensis bibliothecæ scholia docent nos eum edictum contra Clodium scripsisse, quod tribunus Racilius anno 697 protulit.

Paullulum immorati fuimus in hisce orationum fragmentis, quia pars illa historiæ Ciceronis fuerat nimis ad hanc diem a commentatoribus neglecta (*Middleton* ne dimidiam quidem partem retulit); nec aliquid inane ac inutile prorsus agere nos censuimus, quum omnia, quantum in nobis fuit, collegimus Ciceronianæ gloriæ monumenta, propter quæ ipso vivente fuerat orator romanus prædicatus ac proclamatus.

www.libool.com.cn

Digitized by Google

II. EPISTOLARUM FRAGMENTA.

www.libtool.com.cn

AD M. TITINIUM.

In oratione pro Cluentio, cap. 56, occurrit quidam Cn. Titinius, vel Titinnius eques romanus. Q. Titinius senator factus, quum Verris judex sederet (Verr. I, 49), sæpissime nominatur in epistolis ad Atticum; et apparet (IX, 6) filium ejus a principio belli civilis cum Cæsare stetisse. Titinios autem Sulla proscripserat (de Petit. consul. cap. 2). Gens illa numquam consularis fuit, et tota ferme in administranda pecunia versata est. Attamen, si quid conjicere ex harum epistolarum fragmentis licet, videtur M. Titinius, ceterum omnino ignotus, eloquentiæ operam dedisse; namque Cicero non ita de primis tentamentis suis verba faceret, ad eum qui res illas minimum curaret. Inde creditum est, sed absque ullo argumento, hic agi de Titinio veteri poeta quem Nonius, Charisiusque, et Festus nonnumquam memoravere.

AD CORNELIUM NEPOTEM.

Quidam commentatores contenderunt epistolas Ciceronis ad Cornelium Nepotem, Corneliique Nepotis ad Tullium, sexdecim libris absolvi : certum est satis numerosas esse, namque ubique amicitiæ vestigia inter eos apparent (Cic. ad Attic. XVI, 5; Corn. Nepos, vit. Attici; Fronton. epist. ad Marc. Aurel. I, 6; Aulus Gellius, XV, 28; Lactant. III, 15; Ammianus Marcellinus, XXVI, 1, etc.). Aulus vero Gellius ipse commemorat librum primum Ciceronis vitæ quam scripserat Cornelius Nepos, et oratori, et Attico amicissimus.

AD C. CÆSAREM.

Illæ præsertim a nobis desiderandæ sunt epistolæ. Fragmenta vero earum quas Nonius expressit, indicant post

Digitized by Google

Pharsalicam pugnam fuisse scriptas : ceteræ quoque ad dictatorem erant scriptæ, nisi in hoc libro continerentur, quæ compositæ fuerant dum in Galliis Cæsar bellum ageret. Quum summus ille imperator, patria armis oppressa, adnixus est primum clementia et comitate potestatem illam temperare legibus adversam; tum Cicero qui, mortuo Catone, et Ligariis Marcellisque in exsilium pulsis, solus veteris reipublicæ imaginem repræsentare videbatur, tentavit epistolam, de republica administranda, ad Cæsarem mittere, difficillimum opus, cui diu incubuit, quodque postremo infectum reliquit (Epist. ad Att. XII, 40, 51, 52; XIII, 1, 27, 28, 31). Quasdam ex hac epistola sententias iis recitaverat qui Cæsari adhærebant, qui nullo modo rem probavere, nec probare poterant, si quis fuerit eorum de republica animus, his Ciceronis ad Cæsarem ipsum epistolis, judicamus : « quidam e tuis amicis tibi suadent, ut senatum dedigneris ac contemnas, tamquam non esset ». Itaque se umquam audiendum desperavit Cicero, et has partes elegit, quæ optimo cuique sunt amplectendæ, quum militari potentia subnixus aliquis ad tyrannidem grassatur, animum liberum in silentio ac solitudine servavit. Ex hoc quasi otio aliquando expergefactus est, uti victorum causam ante victorem ageret, et vera quædam inter fastus ac triumphales pompas palam proclamaret. Quæ vero agendi ratio magis tibi miranda videbitur, si eam conferas cum moribus hominis qui Ciceroni bellum indixit, quo melius Cæsari assentaretur. Sallustius postquam omnibus flagitiis vitam dehonestavisset, duas epistolas quoque de republica administranda ad eum scripsit, quem dominum palam jactitabat, quia pœnis eripuerat quibus rapinæ erant plectendæ, et in senatum restituerat, unde fuerat propter infamiam vitæ et scelera ejectus. Hoc mente tantum destinatum habebat, uti his scriptis Cæsarem ad impotentem dominatum impelleret, eosque in odium adduceret, qui libertatis causam in his erant temporibus difficillimis amplexi. Sane Cæsaris amici geminas

Digitized by Google

illas epistolas summo studio excepere; nam nullo modo reformidandum erat, ne Sallustii consilia dictatori displicerent.www.libtool.com.cn

AD CÆSAREM JUNIOREM.

In his epistolis quæ Cicero ad Cæsarem juniorem ab anno 709 scripsit, deprehendere potuissemus, quonammodo ad conservandam rempublicam juvenem excitaret, quæ nomine uno Cæsaris a militibus tuta esse poterat; quonammodo senatus veterumque morum studium foveret, quonammodo pacem ac concordiam stabiliri posse speraret, quod quidem mentem nobilissimi viri ad ultimum erexit, donec pessimo exitu spes illa fuisset deleta. Tum si felici quodam fato non evanuissent quæ respondit Octavius, potuissemus introspicere, inter pietatis et obedientiæ argumenta, hanc flagitiosam perfidiam, quæ turpiter fidem virtutemque vincit ac superat. Nunc vero pretiosa illa monumenta tempus abolevit, et supersunt tantum aliquot sententiæ ex tribus libris a grammatico Nonio expressæ, ea tantum mente, ut peculiares quasdam dicendi figuras notaret. Attamen ex quibusdam quæ adnotavimus apparebit, fragmenta illa non esse admodum inania, quum belli apud Mutinam historiam et Philippicas quadam luce collustrent.

AD C. PANSAM ET AD A. HIRTIUM.

Nonius commemorat tertium librum epistolarum Ciceronis ad C. Pansam, et nonum earum quæ ad A. Hirtium scriptæ sunt. Quarum certe maxima pars de bello agebat, quod apud Mutinam contra Antonium fuit susceptum, quoque consules ambo morte fuere oppressi. Qui autem exitus omnia Ciceronis consilia evertit. Quidam Octavium aiunt venena eorum vulneribus infudisse. Dignus sane fuit quem tanto scelere insimularent; qui enim ambitione obcæcatus parum de flagitiis curat, raro falsi criminis arguitur.

Digitized by Google

AD M. BRUTUM.

www.libtool.com.cn

Ex his epistolis quæ octo libris continebantur, novem tantum M. Bruti et sexdecim Ciceronis supersunt: quædam etiam aliqua parte claudicant. Adnotandum est, tamquam rem omnino singularem, fragmenta illa servata nobis fuisse a Quintiliano, nepotum Domitiani præceptore, quique hunc imperatorem divi nomine consecrarat.

AD M. FILIUM.

Nunc duo tantum opera possidemus, quæ Cicero ad filium instituendum scripserat, Partitiones scilicet Oratorias, et libros de Officiis. Quas autem ad eum scripsit, epistolæ numero infinitæ sane erant (de Offic. III, 2). Duo tempora amplectebantur, primum quum Marcus Athenis apud Cratippum philosophum versaretur, et deinde quum in exercitu Bruti imperaret. Superest una et altera ejus ad Tironem epistola ad Div. XVI, 21, 25; gratulaturque sibi orator, quod filius linguam rectius tractet in epist. ad Att. XIV, 7; XV, 16, 17. Quintilianus tradidit memoriæ (I, 3) Ciceronem graviter ea impugnare, quæ in Marci literis contra latini sermonis elegantiam peccabant. Quadam die eum objurgavit (Serv. ad Æneid. VIII), quod scripserat *direxi literam tuam*, quum rectius dixisset, *epistolam tuam* vel *literas tuas*. Adnotationes illæ quibus carum Tironem etiam admonebat (ad Div. XVI, 17) multum conferrent ad intimam linguæ latinæ cognitionem: sed majori studio evolverentur sane præcepta virtutis et sapientiæ, quibus filium pater sapientissimus imbuere conabatur.

AD LICINIUM CALVUM.

Celeberrimus orator, C. Licinius Calvus, primum Ciceroni fuerat infestissimus, qui, dum prætor esset, tribunali præfuerat ante quod reus repetundarum protractus est Calvi

Digitized by Google

pater (Val. Max. IX, 12, 7); sed postea in gratiam rediere, et ab iisdem fuere lacessiti, a Tigellio (ad Div. VII, 24), a Vatinio (Catull. Carm. 53; Quintil. VI, 1, 3, IX, 2; Tacit. de Oratoribus, 34, etc.). Calvus autem Atticam eloquentiam sequebatur. Quonammodo judicaretur a Cicerone, apparet Brut. cap. 82; ad Div. XV, 21. Poeta simul erat, et carmen satiricum contra Cæsarem scripsit (Sueton. Cæs. cap. 49, 73). Ex iis quæ a grammaticis referuntur, conjicere licet libros plures epistolarum fuisse a Cicerone ad Calvum scriptos.

www.libros.com.ar

AD Q. AXIUM.

Vix nomine notus est hic Q. Axius senator, qui obiter a Cicerone est dictus (ad Attic. III, 15; IV, 15; V, 21; X, 13); attamen plures ad eum epistolarum libros scripserat orator. Inde judicandum, quot et quanta desint, et quam multa monumenta fuerint tempore abolita. Quam vero ex his literis sententiam servavit Suetonius, ea comprobat Ciceronem ad hunc virum de administranda republica sæpissime scripsisse.

AD CATONEM.

Servantur tres epistolæ ad Catonem a Cicerone scriptæ, ad Div. XV, 3, 4, 6. Quum sententia, quam Nonius refert, in his non deprehendatur, necesse est ut ab alia quasi serie sit deprompta. Sæpissime enim ad Catonem literas misit Cicero, præsertim bello ingravescente civili. A Catone responsa servaverat quoque Tiro, namque unum ex his refertur, ibid. XV, 5.

AD CÆRELLIAM.

Philosophiæ studiosa erat Cærellia, primaque perlegere volebat, quæ de sapientia scriberet Cicero (ad Att. XIII, 21). Non ita tamen in epistolis severe semper egisse videntur.

Digitized by Google

AD L. PLANCUM.

Fuit unus e Cæsaris ducibus, quos frustra in senatus partes protrahere Cicero est aggressus : rempublicam ille prodidit, ut Octaviano faveret. Nonnullas epistolas ab eo scriptas legimus ad Div. X, 1-24 : nec apparet ibi sententia, quam ex iis Aulus Gellius hausit. Sane eam ex quodam opere elegerat, quod tantum ex ejus verbis novimus.

E variis autem illis epistolarum libris quos recensuimus, manifeste apparet, quosdam octo, novem aut sexdecim partibus constare, et perquam difficile esse mente æquare numerum literarum, quæ tempore absumptæ evanuere. Omissis græcis literis, quæ numerosæ erant (Plutarch. in vit. Cic. 24), certe plures ex latinis epistolis libri ibi non referuntur, quia nulla ex iis ad nos usque fragmenta pervenere. Vetus scholiastes orationis pro Plancio (Mediolani, 1817, pag. 177) longam epistolam apologeticam refert, *ad instar voluminis scriptam*, quam Pompeio miserat Cicero, de iis quæ ipso consule fuerant perpetrata. De hac agit pro Sulla, c. 24, et pro Plancio, cap. 34. Una tantum emersit epistola ex his quas ad Pompeium miserat, ad Div. V, 7. Quam multas autem sane scribere debuit civibus illustrissimis, variis vitæ suæ temporibus. Satis erit si indicaverimus, tempus exsilii, Asiæ administrationem, bellum civile, et amicitiam illam quam coluit semper cum exsulibus quos Cæsar restituit, aut quibus numquam pepercit, tandem dictatoris mortem, quo exstincto, bellum pro libertate novum exarsit, et clades ipsa victoria potior ac nobilior. Hæc tantum tempora intueamur, ne nimis multa eodem oculorum conjectu amplectamur : quanto enim studio et celeritate ingenii impelli debuit Cicero, quum centum et amplius epistolas primis etiam anni 710 diebus ad senatus defensores scriberet (ad Div. X, XI, XII; ad Brut.) quum etiam de philosophia dissereret, Philippicasque contra Antonium ageret. Temporibus etiam multo remissioribus,

Digitized by Google

animum semper exercebat; scribebat sæpius die ac noctu (ad Att. XIII, 26); per prandia, aut ambulando, aut quum veheretur rheda, dictabat (ibid. V, 17), quum Ciliciam provinciam suam peragraret. Quidam arbitrari possent has literas non ideo servatas fuisse, quia parvi essent momenti, aut quia ab iis fuerint abolitæ, qui Octaviano aut Cæsaribus assentabantur; quæ opinio mihi non omnino recta videtur. Etenim ex epistolis ad Atticum patet, his in libris fuisse insertas quasdam, et satis multas quidem, quæ ne minimi quidem apud posteros momenti esse poterant; et ex iis quæ supersunt, videmus nullo modo sublatum fuisse quidquid Cicero in tyrannos jactitaret. Quum omnibus in civitatibus voces illæ recitarentur de C. J. Cæsare prolatæ (*O perditum latronem!* ad Att. VII, 18), quum vir ille diceretur, nihil umquam nisi nefaria consilia mente agitavisse, quid hoc Tiberium aut Domitianum movere potuisset, quum potestatem suam cohortium prætorianarum armis, et populi romani infamia et ignavia stabilivissent?

III. FRAGMENTA OPERUM PHILOSOPHICORUM.

DE REPUBLICA.

De hoc opere nihil hic dicemus, quum jam non in fragmentis annumeretur, sed in volumine quinto hujus tertiæ partis Ciceronianæ totum, quale nunc est, imprimatur.

DE JURE CIVILI.

In dialogis de Oratore I, 42, II, 33, Cicero loquentem Crassum induxit, menteque agitantem opus, quo jus civile methodice explanaretur. Quod consilium autem Cicero ipse ceperat. Etsi opus hoc vere philosophicum non peregit, attamen hoc ab eo tentatum fuisse indicat liber specialis, de quo Quint. XII, 3, cuique, si fides A. Gell. (I, 22) adhibetur, hic titulus inscribebatur: *De jure civili in artem redigendo.* Multi interpretes, qui leges romanas diversa prorsus ratione

Digitized by Google

modis omnibus torquere sunt adnixi, dubitavere an juris prudentissimus esse videretur Cicero; irati nempe quod sæpissime jureconsultos irrisisset, et in orat. pro Murena, c. 13, dixisset: « Itaque, si mihi, homini vehementer occupato, stomachum moveritis, triduo me jurisconsultum esse profitebor ». Credo tamen, hunc præstantissimum scriptorem, Scævolæ auguris, et Scævolæ summi pontificis discipulum, si laborem esset amplexus ipsi multo faciliorem quam recentioribus, longe melius, quam commentationum scriptores, legum romanarum seriem indigestam explicare potuisse. Quod quidem non est aggressus, tantummodo quanam via esset gradiendum demonstravit, suasitque uti moderato sapientique animo materia illa tractaretur : ideone ignorantiæ a nobis, sicuti a Papone et aliis, est insimulandus, quod nonnumquam jocatus est, et optimis consiliis clientes adjuvit?

www.libtool.com.cn

DE AUGURIIS.

Præter grammaticum, qui nonnullas hujus libri voces servavit, Servius de eo agit in scholiis ad Æneid. V : « Secundum Romanos dies incipit a media nocte, quod Cicero exsequitur in Auguralibus ». Quod si autem Cicero Augur libros illos scripsit, ut Appio morem gereret, qui libros de hac materia scriptos ad eum dedicaverat, anno Urb. 703 (ad Div. III, 4, 9, 11), hanc sane summa reverentia patriam religionem observabat, et ministerium illud, quo fuerat decoratus. Sane non absonum fuisset hoc opus cum libris de Divinatione conferre.

HORTENSIUS.

Hoc opere, cujus multa supersunt fragmenta, Cicero quasi præludit ad philosophiæ studium. Juvenes romanos ad hunc laborem gravissimum excitaturus (de Div. II, 1), agebat de novis studiis, quibus post impensas reipublicæ curas indulgebat. Hæc præcipue mente agitabat, quum

Digitized by Google

opus illud exaravit, anno 708 (de Fin. I, 1; Acad. II, 19), et rem optime cessuram arbitratus est, si ea Hortensio tribueret, quæ contra philosophiam jactitabantur. Quod si hoc in opere tam potentem eloquentiæ viribus adversarium confutavisset, certus erat nusquam ea rursus exprobrari, quæ, licet ab homine peritissimo defensa, victa fuissent. Dialogi autem personæ Cicero, Q. Catulus, Luciusque Lucullus fuisse videntur. Hortensius primum laudibus præstantissimis eloquentiam ad cælum tollebat, et deinde in philosophiam propter præcepta, aut vana, aut obscura invehebatur. Tum Catulus, et ipse forsan Cicero, hujus scientiæ se patronos profitebantur, qua contra naturæ tenebras mens humana tendit, quaque sæpissime, sententiis gravissimis elati, mala hujus vitæ ac labores obliviscimur, et toti in ævi melioris spem jucundam ardenti cogitatione exsultamus. Quamvis autem mancum sit pluribus e partibus opus illud, licet tamen introspicere, quantum, judice Cicerone, animi voluptates a corporis distent voluptatibus; quanto vir ille animi nostri conatus potiores haberet vano popularis auræ studio, gloriæque caducæ consectatione; tunc intelligimus qua ratione latinæ ecclesiæ eloquentissimus defensor, quique Veterum ingenio acerrimo commovebatur, Divus Augustinus protulerit (Confess. III, 4; de Ordine, I, 10), se Hortensio potissimum ad veram philosophiam, id est, ad christianam religionem amplectendam fuisse adductum. Quam autem defendebat Cicero, veritas ea numquam nobiliori, aut meliori exemplo confirmari potuit.

LAUS CATONIS UTICENSIS.

Laus Catonis, quæ ad finem anni 707 in medium fuit prolata, Cæsare dictatore, certe fortissimum virum denuntiabat: senserat ipse Cicero, quam difficile esset virum illum dignis laudibus concelebrare. Ad Attic. enim XII, 4, ait: «De Catone (laus) πρόβλημα Ἀρχιμήδειον est: vere laudari

Digitized by Google

ille vir non potest, quod ille ea quæ nunc sunt, et futura viderit, et ne fierent contenderit; et, facta ne videret, vitam reliquerit». Ad Div. VI, 7, se Bruti nomine quasi obtexit, et visus est participem facti sui quærere, qui quodammodo excusaretur. Orat. c. 10, ita de hoc libro agit: « Catonem numquam attigissem, tempora timens inimica virtuti, nisi tibi hortanti, et illius mihi memoriam caram excitanti non parere nefas esse duxissem». Opus illud inter libros de philosophia scriptos adnumerabat (de Divin. II, 1), quia in Catone pulcherrimum Stoicæ philosophiæ exemplum deprehendebat, cui nihil nisi virtus asperior potuit exprobrari. Dialogus erat, si fides Juvenalis scholiastæ est adhibenda, VI, 338. Quam quidem materiam et ipse Brutus tractaverat, sed oratione jejuna nimis ac frigida: itaque Cæsar aiebat, Bruti Catone lecto se sibi visum disertum, et Ciceronis eodem sæpissime legendo se copiosiorem factum (Attic. XIII, 46). Sed magnam gloriam adeptus est, quum Anti-Catonem scripsit, uti Ciceroni responderet, ab Hispania redux, ubi Pompeii filios debellaverat (Tacit. Annal. IV, 34; Dion. XLIII, 13). Quod quidem responsum Cicero tamquam recte et eleganter scriptum laudabat, sed non optime cogitatum et dispositum arbitrabatur (Topic. c. 25). Paullo post (ad Att. XIII, 37, 48), Porciam collaudavit Catonis sororem, et Domitii uxorem, qui acerrime Corfinium defenderat. Cæsar autem militibus subnixus, ingenii tamquam exercitationes ducebat omnia ea quibus victi contra victoriam quodammodo insurgebant.

DE GLORIA.

Julio mense anni 709, Cicero librum de Gloria scripsit, uti quodammodo unicam illam qua impellebatur cupidinem defenderet. Quem Atticus statim perlegit (ad Attic. XV, 27; XVI, 2, 6), et quarto decimo in sæculo in manibus omnium erat. Petrarcha enim unum possidebat codicem, quem dono acceperat a Raimondo Soranzo, Avenionis

Digitized by Google

in aula pontificali jureconsulto: MS illum seni pauperi commodavit, quo olim præceptore usus fuerat; ille autem urgente fame librum feneratori locavit, nec ulla abhinc ejus vestigia deprehendere docti. Ita rem narrat ipse Petrarcha Rerum Senil. XV, 1. Paulus Jovius, in iis, quas scripsit laudationibus, c. 123 (Ven. 1546), primus Petrum Alcyonium incusavit, Venetiis medicum, quod librum illum e medio sustulisset, uti fragmenta ejus in libro reponeret, quem anno 1522 protulit; hoc titulo designatum: *Medices legatus, seu de Exsilio.* Paulus autem Manutius, duobus post P. Jovium annis, in commentario de literis ad Att. XV, 27, quædam addit, quibus Alcyonium gravius incusat: « Apparet enim, ait, in indice librorum Bernardi Justiniani, Veneti, liber Ciceronis de Gloria. Bibliothecam autem moriens Monacharum domo dedit, sed nusquam manuscriptus ille detectus fuit. Omnes certiores facti sunt furti auctorem esse Petrum Alcyonium earum medicum, cui bibliotheca patebat. Saltem occurrunt in libro de exsilio multa quæ in hunc virum non cadere potuissent ». Manutius contendit hunc esse hominem improbum, et eadem de eo sentit Lilius Giraldi (de Poet. suor. temp. Dialog. I, p. 542). Inde multi Alcyonium impugnavere, multique illius causam sunt amplexi. J. B. Mencken, qui dialogum de exsilio, in Analectis de calamitate literatorum (Leipsick, 1707), et Morabinus, qui rem illam tractavit ad calcem libri de Consolatione, Alcyonium omni culpa absolvere adnituntur. Alii vero semper in eum invehuntur, et quod furtum fecerit, et quod e medio præstantissimum veteris eloquentiæ monumentum sustulerit. In hac contentione magnam vim possidere debet oratio, quam quidem detegendæ veritatis rationem non neglexere: quod si tali argumento sit standum, omni probro liberatur Alcyonius. Namque quis tamquam a Cicerone scriptum locum illum possit recitare? « Non sine autem aliquo numine ingeneravit natura hominum generi quamdam honoris cupiditatem, eamque auxit certo quodam studio laudis ex

Digitized by Google

monumentis, quam gloriam voramus». Varillas, nullis argumentis fretus, Philelphum incusavit, tamquam si librum de Gloria abolevisset; ignorantia vero et tempus in primis causa fuere, cur omnino opera illa evanuerint.

www.libtool.com.cn

CONSOLATIO.

Ex occurrit res disceptanda, quam in medio volumine tractabimus, quum opus agetur, quod quidam tamquam a Cicerone exaratum in lucem ediderc.

DE SUIS CONSILIIS

Sigonius arbitratur hoc opus idem esse ac illud de quo Asconius [illegible] in Tog. candid. agit, quodque ita designat: «a expositione suorum consiliorum». Quæ quidem conjectura nobis certa videtur, sed forsan immerito hos consiliorum Sigonius ab iis non secernit, quos postea Cicero scripsit de rebus quæ post dictaturæ necem evenere (Dion. XLVI, 8), quorum nulla nunc vestigia supersunt. Tullius quæ de iis agere videtur, quum ad Att. XIV, 17, hæc ait: «Illa vero, quæ tu contexi vis, aliud quoddam separatum volumen expectant». Non vero mirum videri debet, quod illa historiæ evanuerint; nobilium quarumdam familiarum interierat, ea monumenta abolevi.

DE VIRTUTIBUS.

Cicero, a Patrono fides adhibenda, hoc titulo ea pauca expresserat, quæ in libris de Officiis fusius explanaverat, Aristotelem imitaturus, qui post scientiæ morales elementa, præcepta eas artes scripserat. Nihil affirmare possumus de hoc opere, de quo scriptor unus tantummodo verba fecit, eaque tres tantum voces retulit.

CHOROGRAPHIA.

Verbum illud chorographia, sive descriptio topographica, a Vitruvio, VIII, 2, usurpatur, et in MSS quibusdam hoc tractatus Pomponii Melæ operibus inest. Priscianus chorographiam Ciceroni tribuit. Quum autem Varro opus quoddam

Digitized by Google

in aula pontificali jureconsulto: MS illum seni pauperi commodavit, quo olim præceptore usus fuerat; ille autem urgente fame librum fœneratori locavit, nec ulla abhinc ejus vestigia deprehendere docti. Ita rem narrat ipse Petrarcha Rerum Senil. XV, 1. Paulus Jovius, in iis, quas scripsit laudationibus, c. 123 (Ven. 1546), primus Petrum Alcyonium incusavit, Venetiis medicum, quod librum illum e medio sustulisset, uti fragmenta ejus in libro reponeret, quem anno 1522 protulit; hoc titulo designatum: *Medices legatus, seu de Exsilio.* Paulus autem Manutius, duobus post P. Jovium annis, in commentario de literis ad Att. XV, 27, quædam addit, quibus Alcyonium gravius incusat: « Apparet enim, ait, in indice librorum Bernardi Justiniani, Veneti, liber Ciceronis de Gloria. Bibliothecam autem moriens Monacharum domo dedit, sed nusquam manuscriptus ille detectus fuit. Omnes certiores facti sunt furti auctorem esse Petrum Alcyonium earum medicum, cui bibliotheca patebat. Saltem occurrunt in libro de exsilio multa quæ in hunc virum non cadere potuissent ». Manutius contendit hunc esse hominem improbum, et eadem de eo sentit Lilius Gyraldi (de Poet. suor. temp. Dialog. I, p. 542). Inde multi Alcyonium impugnavere, multique illius causam sunt amplexi. J. B. Mencken, qui dialogum de exsilio, in Analectis de calamitate literatorum (Leipsick, 1707), et Morabinus, qui rem illam tractavit ad calcem libri de Consolatione, Alcyonium omni culpa absolvere adnituntur. Alii vero semper in eum invehuntur, et quod furtum fecerit, et quod e medio præstantissimum veteris eloquentiæ monumentum sustulerit. In hac contentione magnam vim possidere debet oratio, quam quidem detegendæ veritatis rationem non neglexere: quod si tali argumento sit standum, omni probro liberatur Alcyonius. Namque quis tamquam a Cicerone scriptum locum illum possit recitare? « Non sine autem aliquo numine ingeneravit natura hominum generi quamdam honoris cupiditatem, eamque auxit certo quodam studio laudis ex

Digitized by Google

actionibus, quam gloriam vocamus». Varillas, nullis argumentis fretus, Philelphum incusavit, tamquam si librum de Gloria abolevisset; ignorantia vero et tempus in primis causæ stetere, cur omnino opera illa evanuerint.

www.libtool.com.cn

CONSOLATIO.

Ibi occurrit res disceptanda, quam in medio volumine tractabimus, quum opus agetur, quod quidam tamquam a Cicerone exaratum in lucem edidere.

DE SUIS CONSILIIS.

Sigonius arbitratur hoc opus idem esse ac illud de quo Asconius (in Tog. candid.) agit, quodque ita designat: «in expositione suorum consiliorum». Quæ quidem conjectura nobis certa videtur; sed forsan immerito hos codicillos Sigonius ab iis non secernit, quos postea Cicero scripsit de rebus quæ post dictatoris necem evenere (Dion. XLVI, 8), quorum nulla nunc vestigia supersunt. Tullius ipse de iis agere videtur, quum ad Att. XIV, 17, hæc ait: «Ista vero, quæ tu contexi vis, aliud quoddam separatum volumen exspectant». Non vero mirum videri debet, quod illæ historiæ evanuerint; nobilium quarumdam familiarum interierat, ea monumenta aboleri.

DE VIRTUTIBUS.

Cicero, si Patricio fides adhibenda, hoc titulo ea paucis expresserat, quæ in libris de Officiis fusius explanaverat, Aristotelem imitaturus, qui post scientiæ moralis elementa, præcepta περὶ ἀρετῶν scripserat. Nihil affirmare possumus de hoc opere, de quo scriptor unus tantummodo verba fecit, cujusque tres tantum voces retulit.

CHOROGRAPHIA.

Verbum illud chorographia, sive descriptio topographica, a Vitruvio, VIII, 2, usurpatur, et in MSS quibusdam hic titulus Pomponii Melæ operibus inest. Priscianus chorographiam Ciceroni tribuit. Quum autem Varro opus quoddam

Digitized by Google

eodem titulo inscripsisset, Patricius suspicatur aut gramma ticum, aut librarios in errorem incidisse. Attamen certum est Ciceronem cogitavisse de geographia scribenda (ad Att. II, 4, 6, 7): et quædam forsan a Tirone fragmenta colligi potuissent, si opus infectum remansit.

www.libtool.com.cn

Non in hac serie operum quæ tempus abolevit, eas triginta notas *tachygraphicas* recensuimus, a quibusdam editoribus servatas ex Trithemii polygraphia. Monachus ille qui librum de hac arte scripserat, narrat, se dum an. 1496 bibliothecas Italiæ percurreret, invenisse manuscriptum squalidum neglectumque ac deformem, qui jamjam erat eradendus (*decreverant enim pergameni amore radendum*): hunc autem pro operibus Divi Anselmi recens editis obtinuit. Testatur vero ibi notas esse quas Cicero filio suo scripsit, quasque postea amplificaverat Divus Cyprianus Carthaginis episcopus. Duobus abhinc annis idem ille monachus in quadam ecclesia deprehendit librum Psalmorum iis cum notis exaratum, cui pro titulo inscriptum fuerat: liber Psalmorum lingua Armenica conversus. Deinde triginta verba refert cum notis quibus depinguntur, sunt autem: «approbat, comprobat, improbus, probus, probitas, improbitas, probabilis, reprobat, modus, modulus, modestus, immodestus, modicus, immodicus, commodus, incommodus, accommodat, in modum, admodum, quemadmodum, epistola, litera, literæ, syllaba, tempus, per tempus, per idem tempus, temporalis, extemporalis, homo». Nemini dubium esse potest, quin ars illa, quam nunc colimus, usitata fuerit apud Romanos; de hac egere Cicero ad Att. XIII, 32; Suetonius, Tit. c. 3; Quintilianus, VIII, 2; Plinius junior, IX, 36; Martialis, VII, 52. Manilius his versibus descripsit, Astronom. IV, 197:

> Hic et scriptor erit velox, cui litera verbum est,
> Quique notis linguam superet, cursimque loquentis
> Excipiat longas nova per compendia voces.

Qui artem illam colebant notarii dicebantur; et Cicero, teste Plutarcho, in vita Catonis Uticensis, his usus est uti

Digitized by Google

servaret integras orationes, quas habuerant in senatu patres, quum de conjuratis ageretur. Verisimile tamen non est, Ciceronem ipsum hanc artem notarios suos edocuisse, quam ab Ennii temporibus quidam scriptores originem duxisse contendunt (Isid. Orig. I, 22). Nullo vero modo credi potest librum illum, de quo agit Trithemius, a Cicerone fuisse ordine dispositum, quum hanc curam maximus ille orator libertis suis mandaret. Seneca ipse, quamvis contraria asserat Isidorus, non hujusmodi opus composuit, namque nimis arroganter forsan (Ep. 90) «vilissimorum mancipiorum ista commenta sunt». Cicero, Mecænasve tueri ac defendere sane poterant hanc artem recens auctam (Dion. LV, 7), sed Tiro et Aquila huic studebant. Eusebius in Chronicis ad quartum annum Olympiadis 193, Tironi opus quoddam simile tribuit, et notæ illæ a quibusdam Tironianæ dicebantur. Qui hujus generis monumenta curant, veteres Valerii Probi tabulas adire velim (de Notis Romanorum interpretandis), Magnonis etiam (Notæ juris), et Petri diaconi (de Notis literarum), quæ certe præter notas quasdam usitatas in jure ante Justinianum, quasdam ex arte ea quæ verba signis excipit, mutuatas continet. Consulendi quoque, tum J. Nicolaius de Siglis Veterum, Leyd. 1706, tum Fabricius in Bibliotheca latina, II, 9, et Justi Lipsii literæ (ad Belg. I, 27), qui certe non jam desideraret artem, quæ ipsius tempore omnino evanuerat, et Gruterus in inscriptionibus cum quibus expressit quidquid ex antiquis signis ad nos usque pervenit. Sane notariorum incuria, quum tot sæcula effluxerint, multa adulterata, quædam etiam multo magis ardua sunt ac longiora quam literæ usitatæ ad voces exprimendas. Quum ita incerta hæc omnia essent, nec satis cum ceteris conveniret Trithemius, editores triginta voces, cum notis quibus designabantur, e medio sustulere : quorum quum exemplum essemus sequuti, noluimus tamen silentio prætermittere hanc artem, quæ, quum verba oratoris exciperet, ad nos usque præstantissima eloquentiæ monumenta, non interrupta serie, traduxit.

Digitized by Google

Nunc satis erit si paucis operum philosophicorum fragmenta signemus, quæ explanata quidem manca multis e partibus habemus. Academicorum quæ supersunt, ad secundam operis editionem pertinent, et probant scriptorem paucissima ex priore mutavisse. Quæ ad libros de Natura Deorum, ad tertiam operis partem referri posse arbitremur. Quædam ad calcem de Divinatione desiderantur, sed quæ allata sunt a quibusdam scriptoribus, nullo modo admitti possunt. Fragmenta libri de Legibus certiora videntur, nec ita difficile est locum iis proprium assignare. Quidquid autem de Fato scribitur, quum obscurum sit admodum, nullo modo fit certius, ex iis quæ Macrobius et Aulus Gellius retulere.

Dubito an sit omnino adhibenda fides iis quæ Busching narrat : de manuscripto enim verba facit, ex bibliotheca Escuriali, cui titulus : *Ciceronis fragmenta de Natura Deorum et Divinatione*, et de altero, qui sic inscribitur : *Varia ejusdem fragmentorum volumina*. Quæ si in medium prolata essent, forsan multo ditiores essemus.

In fragmentis vero, ignotorum operum de quibus nondum a nobis est facta mentio, quædam occurrent, quæ e philosophicis scriptis excerpta facile agnoscas. Quædam autem ex libris de geographia aut historia naturali hausta fuisse agnosces. Ex his libris unus est, cujus titulum servasse Plinius videtur : sæpissime enim Ciceronem laudat in Admirandis, opere scripto sane instar eorum, quæ Græci Θαυμάσια aut Περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων dicebant. Cato Major, quadam in originum suarum parte, collegerat quidquid mirandum in Italia Hispaniaque occurrebat : « In iisdem exposuit, quæ in Italia Hispaniisque viderentur admiranda ». Cornel. Nep. XXIV, 3. Quædam hujus generis fragmenta assui possunt operibus nonnullis servatis; sed sæpissime multa desiderantur. Quasdam sententias in fragmentis non retulimus, sicuti primi editores, quia in libris de Officiis, aut contra Verrem, aut etiam contra Catilinam, fuere repositæ. Erro-

Digitized by Google

ribus illis vere mirandis, tandem finis unus imponetur, quum desinent editores, veteres libros cum omnibus mendis in lucem edere, sicuti usitatum est in Britannia, in Germaniaque, ubi Schützius religiose omnes Ernestii errores servavit.

Quum libros de philosophia aut historia recensuimus, non mentio facta est de historia quam græco sermone de suo Consulatu scripserat Cicero (ad Att. I, 19, II, 1), neque de iis quæ collegerat ad historiam romanam (Plutarch. Cic. vit. c. 41; Dion. XLVI, 21); neque de commentariis (Ἀνέκδοτα, ad Att. XIV, 17, XV, 4, 27; Dio, XLVI, 8), qui forsan de iis agebant quæ ad Cæsaris necem pertinebant, et si admittuntur ea, quæ de libro de suis Consiliis conjecimus, alteram partem hujus operis absolvebant; neque de funebri oratione ad laudem Porciæ Catonis sororis scripta (ad Attic. XIII, 37, 48); Catulum quoque prætermisimus, qui primus erat Academicorum liber; quosdam prologos, quos libris de Philosophia præponebat (volumen Procemiorum, ad Attic. XVI, 6), sicuti Demosthenes exordia plurima composuerat, quæ in operibus servata sunt. Silentio prætermitto librum quemdam de arte militari, et alterum de republica administranda scriptum (Rhet. ad Her. III, 2), quæ forsan ipse numquam in lucem edidit Cicero. Quæ autem omnia opera tempus ita abolevit, ut ex iis nihil nisi titulus nunc supersit.

Nunc, quum ad calcem Tusculanarum et Paradoxorum reposuimus, quidquid de OEconomicis, de Protagora, de Timæo, in linguam latinam conversis exstabat, de poematum tantummodo fragmentis est agendum.

IV. POEMATUM FRAGMENTA.

Poesi ac philosophia ea tantum mente erat usus Cicero, ut daret aliquam ingenio remissionem; quas prima in juventute ad animi exercitationem amplexus est, quum humanæ scientiæ studiis suis curriculum percurreret, et virum

Digitized by Google

eum sic informaret, qui postquam patriam suam servavisset et illustrasset, fama sua totum erat orbem impleturus. Senex vero, quum leges vi oppressæ silerent, se totum ad philosophica studia convertit, et nova carmina composuit. Sed quum in ultimo vitæ tempore philosophiæ maxima cura omnique ope se addixisset, nihil aliud nisi animi remissionem in carminibus quæsivit. Qui autem una nocte quingentos versus scribit (Plut. Cic. Vit. c. 53), numquam perfectum et omni ex parte absolutum opus efficiet. Ennii sane lingua majorem expetebat curam, ut posset feliciter cogitata exprimere. Orator ille quidem, qui pedestri in sermone verba tam diligenter selecta inter se mirabili arte componebat, in carminibus scribendis eumdem laborem necessarium esse sane intelligebat; sed carmina, in libera republica ad animi remissionem scripta non tanti momenti esse poterant, quanti conciones, quæ populum ad nutum impellebant: et inde totum terrarum orbem regebant. Quum autem libertas armis jacuit oppressa, et Musæ forensem eloquentiam excepere, Virgilius Horatiusque e medio emersere, qui horridum illud veterum carminum genus novo et cultiori genere supplevere. Tum poesis in artem redacta, et certis quibusdam legibus adstricta; et ex illo singulari naturæ et industriæ temperamento, quod olim Cicero felicissime in orationibus adhibuerat, exstitere miracula non minori laude digna, quam quæ, stante republica, forensis eloquentia protulit. Summa igitur injuria esset, conferre Ciceronis versus cum iis qui serius editi sunt; satis erit ad illius laudem, si Plutarcho fidem adhibeamus, qui eum tamquam ætatis suæ et oratorum et poetarum principem depingit. Quamvis laus illi tribuatur ex multis carminibus quæ tempus abolevit, si ea tantum introspiciamus quæ servata sunt, non immerito tributam fuisse apparebit.

Inter carmina quæ desiderantur, annumerandus est Pontius Glaucus, opus paucis versibus tetrametris constans,

Digitized by Google

quod Plutarchi ætate adhuc exstabat (Vit. Cic. cap. 2): scriptum autem fuerat in tenera ætate ἔτι παιδὸς αὐτοῦ. Creditur autem ille Glaucus fuisse piscator Anthedonis in Bœotia; die autem quadam quum herbam manducavisset, nescio quam, in medios sese fluctus injecit (Pausanias, IX, 22; Athenæus, VII, 12), factusque numen quoddam maris, ventura canebat. Ab Æschylo et Pindaro fuerat celebratus. Multa et alia quidem, si Plutarcho creditur, junior scripserat Cicero. Serius autem anno 699 occurrit carmen a Cicerone scriptum, poscente fratre ejus, de Cæsaris in Galliis expeditione (Epist. ad Quint. fratr. III, 1); carmina etiam quædam Quinto mittit, qui idem bellum versibus adnititur celebrare (ibid. III, 4); sed fatetur vim animi et impetum omnino sibi deesse, nempe invito animo et ob patriæ sortem gravioribus curis agitato. Pependere igitur opera illa interrupta, quæ Cicero, si complevit, numquam in lucem protulit: sic scriptam Cæsari epistolam e medio sustulit (Epist. ad Att. XII et XIII), tamquam indignam ingenio suo assentationem testaretur. Plura etiam carmina amisimus, quibus Homerum et Græcos tragicos in latinum sermonem converterat; quod quidem laboris genus melius animum semper magna meditantem decebat. Translata jam ex Arato phænomena et pronostica nunc attingimus.

EX ARATO PHÆNOMENA ET PROGNOSTICA.

Poeta Aratus, Solis aut Tarso natus, in Asia Minore, æqualis vixit Ptolemæi Philadelphi, et amicus Antigoni Gonatæ, filii Demetrii Poliorcetæ. Cum Theocrito quodam amicitiæ commercio fuit conjunctus, qui sextum ei idyllium dicavit, quique de eo in septimo agit. Homeri imitator, cujus ante Aristarchum carmina recensuerat, et Hesiodi præsertim, cum quo majorem affinitatem habere videtur; hymnos, epistolas, et carmina didascalica scripsit. Phænomena nunc tantum supersunt, quibuscum prognostica exhi-

Digitized by Google

bentur, quia materia una atque eadem videtur. Sic Ovidius (Amor. I, 15) ad hoc usque tempus vera protulit :

Cum sole et luna semper Aratus erit.

www.libtool.com.cn

Nunc quam ob causam ad nos usque pervenerit quærendum. Quintil. X, 1, § 55, ait : « Arati materia motu caret, ut in qua nulla varietas, nullus affectus, nulla persona, nulla cujusquam sit oratio ; sufficit tamen operi, cui se parem credidit ». Quamvis autem his verbis non multum laudis Arato tribuatur, recentiores non eamdem quam Cic. (de Orat. I, 16) sententiam tulere, et a Quintiliano prolatis vixdum fidem adhibuerunt. Racinius junior (*Réflexions sur la poésie, ch.* 7) Ciceronem objurgat, quod nimia auctorem commendatione ornaverit, ideo tantum quod ipse latinam eum in linguam converterat. Doctissimus vir *Delambre*, qui Aratum, non ut poetam, sed ut astronomum habet, sic de eo agit : « hac una re valet Arati carmen, quod nos edocuerit quid Veteres de sphæra noscerent. Astronomiæ autem scientia his temporibus nondum exstabat : non ad idem tempus convenit stellarum ordo ac status, et conjicere licet Aratum nullo modo astronomum fuisse (eadem de eo sentiebat Cicero, Orat. I, 16 ; de Rep. I, 4). Pars autem carminis posterior multo minus vivida, prognostica tantum et vulgi errores continet ». Ex his omnibus manifestum est, poetam illum non multi apud doctos æstimari.

Unde vero fit, ut nomen tam celebre apud Veteres sortitus sit? unde fit, ut sibi non in minimis laudum futurum arbitrati sint Aristarchus Samius, Eratosthenes, et ipse Hipparchus, si scripta illius explanarent? unde fit, ut serius etiam carmen illud ita celebre notumque ab omnibus esset, ut Divus Paulus non dedignatus fuerit (Act. XVII, 28), quædam ante Areopagum ab eo excerpta recitare? Quia scilicet Veteres non ad unam scientiam spectabant, sed et ad ea quoque quibus scientia ceteris transmittitur ; atqui numquam præstantius quidquam excogitari poterat ad scientiam ceteris

Digitized by Google

hominibus tradendam quam poesis, quæ mentem excitat, facillime memoria tenetur, et doctorum labores per populum quodammodo spargit. Notæ autem, sane doctiores ipsis carminibus, fere omnes evanuere: poema superstes fuit; et illud latinam in linguam converterunt Cicero, Germanicus, Avienus, et ipse forsan Ovidius, ac Statii pater (Silv. V, 3, 23).

Translatio, vel potius imitatio, cui nomen Germanici Cæsaris inscribitur, notis latinis illustrata, quæ ex Eratosthenis Catasterismis excerptæ sunt, auctorem habuisse videtur Liviæ et Drusi filium, eumdem qui tam præclarum sibi, imperante Tiberio, nomen peperit. Firmicus Maternus hanc a Julio Cæsare scriptam arbitratur; nonnulli vero eam Domitiano tribuunt. Rufus autem Festus Avienus, qui floruit quarto aut quinto sæculo, quem plures non secernunt a Flavio Aviano fabularum auctore, perobscura paraphrasi rem tractavit in opere cui nomen : carmen de astris. Grotius (Leyd. 1600) et Bühlius (Leipsick, 1793, 1801) sicut quidam antiqui editores, opera illa cum Arati et Ciceronis carminibus edidere.

Ex Cicerone ipso didicimus (de Nat. Deor. II, 41) eum admodum juvenem Arati carmen transtulisse; saltem opus illud ad ann. circiter 667, XXI ætatis annum agens perfecisse videtur. Prognosticis autem serius operam dedit. Quod quidem carmen sæpissime in memoriam revocat, sed numquam quo tempore scripserit, narrat (de Div. I, 8, II, 20; Epist. ad Attic. XV, 16); sed quum ad Atticum misit anno tantum 693 (ad Attic. II, 1), videtur ad hoc tempus opus illud absolvisse, quum etiam de consulatu suo scriberet. Prognostica autem nunc quibusdam versibus tantum constant: phænomena autem, quamvis multo minor pars eorum desideretur, a Grotio aucta fuere ex ipsis Arati versibus; quidam editores in unum corpus hæc omnia redegerunt, et Ciceronis Grotiique carmina una edidere: nobis autem omnino absonum videtur, quidquid vetustas abolevit recentiorum labore reparare. Quin etiam Grotius, quum opus illud recensuit,

Digitized by Google

nimium est adnixus Arati versus et sententias religiose exprimere, quod numquam Ciceroni fuit usitatum, quum aliquid latinam in linguam transferret.

www.libtool.com.cn

M. T. C. EX HOMERI ODYSSEA.

Duo versus a divo Augustino servati, excerpti sunt ex oratione Ulyssis ad Amphinomum, unum e Penelopes procis (Odyss. XVIII, 135). Cicero ipse nos monuit (de Div. II, 29; de Finibus, V, 18) se transtulisse quosdam ex Homero versus; occurrunt enim etiamnunc quidam in operibus ejus. C. Matius, æqualis Ciceronis et amicus, qui de morte Cæsaris epistolam quamdam summa arte scripserat (ad Div. XI, 28), si Justo Lipsio fides adhibeatur, omnem Iliadem ediderat latinum in sermonem conversam; sed Ilias illa latina cujusdam erat Cn. Matii, poetæ mimiambici. Quod si versus ex Sophocle translati, quorum mentio in Tusculanis, II, 8, est facta, ab ipso Cicerone vere sunt scripti, credendum est summum hunc virum, quum mens gravissimis curis agitaretur, plures sic locos ex græcis auctoribus ad animi remissionem transtulisse; nec felicissime semper, quum sæpius contra sensum peccaverit.

ALCYONES.

Julius Capitolinus in Gordiani vita. c. 3, de hoc poemate et simul de duobus aliis quibus nomen *Uxorius* et *Nilus*, mentionem facit, eaque Ciceroni tribuit. Supersunt autem tantum voces a Nonio servatæ.

LIMON.

Vox illa græca indicare videtur unum ex operibus illis, de quibus in præfatione Plinius agit, Ἴα, Μοῦσαι, Πάνδικται, Ἐγχειρίδιον, Ἀσιμὼν, Πιναξίδιον. Domina autem *Dacier*, in translata gallice Terentii vita, arbitratur hoc opere contineri virorum laudes præstantissimorum. Nullo modo mirum est Ciceronem inter eos Terentium celebravisse, cujus scripta sæpissime versabat, ac pluribus in locis commendat.

Digitized by Google

MARIUS.

www.libtool.com.cn

Sæpissime adnotavimus quanto studio memoriam Marii Cicero coleret, viri novi, et ex Arpinis quoque oriundi. Narrat (de Div. I, 28; II, 67) se, quum in exsilium proficisceretur, monitum fuisse in somnis se brevi reversurum: Marium videre sibi videbatur, dextram porrigentem et Romam reducentem. Inter ea quæ provecta parum ætate scripsit, habendum est Marii carmen: sane quum scriberet, animum subibat recordatio præstantissimorum facinorum quibus inclaruerat Marius; obstrepebat auribus Jugurthæ ac Cimbrorum clades, et junior vates, dum militari gloria civilium discordiarum furores involveret, et sibi Arpinati, et plebi Marianæ patrocinabatur. Scævola (de Legib. I, 1) immortalem huic carmini famam prænuntiabat: qua quidem in re erravit, sed supersunt versus quidam elegantissimi, qui certe cum Lucretio conferri possent, quorumque vim Voltarius, quum eos gallicum in sermonem transferret, se numquam æquaturum profitebatur.

DE CONSULATU SUO.

Carmen illud Ciceronis iis tantum nobis innotuit, quæ ipse inde assumpta scriptis aliis infudit. Videtur tribus constitisse partibus, quarum unaquæque Musæ nomen inscriptum gerebat. Fragmentum autem hujus operis amplissimum est quædam Uraniæ oratio (de Div. I, 11, 13), quæ ad secundam partem pertinebat. Calliope vero in tertia (Ep. ad Att. II, 3) Ciceronem hortabatur, ut priore se fama semper dignum præstaret: Jupiter ipse eadem suadebat ad secundi libri calcem. Cicero autem, qui, quoniam patriam suam servaverat, ratus erat semper se ei invigilare debere, hos versus sibi potius quam ceteris, ut ipse testatur (Epist. ad Quint. fratr. II, 9) scripserat. Quum multa sint in oratione Uraniæ vere admiranda, ea præsertim adnotabimus, quæ Catilinæ conju-

Digitized by Google

rationem prænuntiarunt. His in locis poeta apparet Cicero, et memoria eorum quæ ipse consul his in rebus egerat, animum novo impetu rapuisse videtur. Auctor libri contra Tullium, qui Sallustio adscribitur, de his sane cogitabat, quum Ciceroni crimini verteret, quod deos suis laudibus misceret, quod induceret Minervam quæ eum omnes artes edoceret, et Jovem ipsum qui deorum consiliis eum interesse juberet. Attamen quis hæc tam perfecto civi exprobrare sustinebit? Utinam potuisset, quum hæc carmina scriberet, quumque magis ac magis Cæsaris ingravesceret in rempublicam dominatio, iterum patriam suam jugo exsolvere, quamvis et novas inde sibi fuisset laudes impertiturus!

DE TEMPORIBUS SUIS.

Opus illud ad ann. 696 scriptum; hoc autem in lucem ann. 699 fuit editum. Cicero enim illud mittit ad Cæsarem mense augusto hoc ipso anno (epist. ad Quint. fr. II, 16); septembri mense, de eo agit in epistola ad P. Lentulum (ad Div. I, 9), qui eum curaverat primas in opes restituendum post Clodii furores. Tres illi libri, inquit, in æternum et beneficia tua et animum gratum testabuntur. Multa alia supersunt monumenta grati animi Ciceronis erga Lentulum, sed carmen illud quod semper mansurum arbitrabatur, omnino evanuit; duoque tantum versus supersunt, quos celebres deridendo fecere.

Parva poemata, quorum hic fragmenta in unum corpus coegimus, a Cicerone fuisse scripta, non omnino liquet; sed quum orationum partes quasdam Ciceroni falso tributas servavimus, æquum censuimus versus etiam omnes colligere, quibus Tullii nomen est inscriptum. Et sane operæ pretium erat de his paullo attentius quam antea factum est cogitare: novaque admodum de his fragmentis in notis expromemus.

Ad calcem hujus voluminis, quidquid de versibus Quinti

Digitized by Google

Ciceronis superest, in lucem edidimus: quum in operibus M. Tullii contineatur Quinti opus de consulatus Petitione, nescio cur versus rejicerentur. Videtur carmina sua non ita parvi facere, quamvis non magno labore ea conficeret. In Galliis, quamvis esset Cæsaris legatus, intra sexdecim dierum spatium quatuor tragœdias scripsit (Ep. ad Quint. fr. III, 6). Fabulas autem ex græcis tragicis haurire solitus erat, ut saltem ex quarumdam titulo conjicere licet: *Electra*, *Troas*, *Erigone*. Postrema illa, quam de more suo M. T. Ciceroni missam voluit, in Alpium trajectu nescio quo fato periit (ibid. III, 9), quamvis ceteræ Romam pervenissent: attamen nullo modo possumus de iis judicium ferre, quippe quas omnino tempus deleverit: Cicero autem in fratre ubertatem tantummodo celebrat. Ex versibus patet, qui nomen Quinti inscriptum gerunt, geminis fratribus idem astronomicæ scientiæ inditum fuisse studium: sed videntur epigrammata mire convenisse cum ingenio et indole Quinti Ciceronis, cui uxor fuit Pomponia. Quum versibus suis feminas carpit, forsan eum acuebat aliquid simile iis quæ narrantur in epist. ad Attic. V, 1. Forsan et illas voces audierat «ego sum hic hospita»; forsan, ut Tullius, reputabat hanc Attici sororem fuisse hac die, iracundam, animique haud multum læti; et exclamavit: « Femina nulla bona est ».

Nunc autem recognitis omnibus illis fragmentis, et exposito illo veluti opum indice quascumque oblivioni dedit aut incuriosa hominum barbarorum negligentia, aut invidiosa malignitas, hoc unum nos sollicitat et angit; quod scilicet paucissimis verbis, uniformi et arido tenore longam operum seriem, quam vix plura continere potuissent volumina, expresserimus. Attamen, quamvis multa hoc in labore ardua essent, ad id sumus adnixi, ut certius, quot et quanta amiserimus, quisque posset intelligere, novaque ex hac nostra opera Ciceroni laus efflorescceret.

www.libtool.com.cn
Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

I.

M. T. CICERONIS

FRAGMENTA

EX ORATIONIBUS

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

ARGUMENTUM
www.libtool.com.cn
ORATIONIS PRO M. TULLIO.

P. Fabius emerat fundum in agro Thyrino, cui adfinis erat M. Tullius. De agri finibus primum controversiæ exortæ sunt; deinde de ædificio in centuria Populiana exstructo, quod esse in suo ædificatum contendebat Fabius. Servi ultro citroque missi sunt. Tandem ventum est ad arma. Familia Fabii summo mane ad ædificium venit, servos M. Tullii nec opinantes adoritur, et miseranda cæde omnes, Philino excepto, obtruncat, tectum villamque disturbat, omnia dissipat. Priore actione negabat Fabius hanc cædem ad familiam suam pertinere; hac altera confessus est. Quare Cicero totus est, ut evincat cædem dolo malo factam esse. « Damnum passum fuisse Marcum Tullium (1) convenit mihi cum adversario; vi hominibus armatis rem gestam esse non infitiantur; a familia P. Fabii commissam negare non audent. Jam dolo malo factum sit ambigitur ». Ita Marcianus Capella, lib. V, cap. de Partitione, memoriter recitans hujusce orationis locum, quem integrum ac sanum servavit Victorinus in lib. I Rhetor. Cic. cap. 57. Contra L. Quintius, vel Quinctius, patronus Fabii, contendebat, non injuria disturbatum fuisse ædificium Tullii, quippe in fundo Fabii exstructum; jure occisos esse eos, qui non ita pridem Fabii servum interfecerant, atque ipsum Fabium vita spoliaturi fuissent. Itaque tota causa fuit de verbis interdicti a Lucullo propositi; quemadmodum illa pro Cæcina versata est in enarrando interdicto *de vi hominibus armatis*. Quare merito Tacitus in dialogo de Oratore inquit: « Quis de exceptione et formula perpetietur illa immensa volumina, quæ pro M. Tullio, aut A. Cæcina legimus? » Porro ea dixit immensa, quippe quæ quum intra claustra interpretationis interdictorum contineantur, neque ultra illa exspatientur amœ-

(1) Pro *Marcum Tullium* legitur corrupte *Marcum Rullum* in aliquot certe Capellæ editionibus. Sed mendum tollitur maxime quidem ab egregio codice Capellæ Ambrosiano [F. 119, part. sup.], in quo apertissime legitur : « Cicero pro Marco Tullio ait, *Damnum passum fuisse Marcum Tullium*, etc. » A. M.

Digitized by Google

nis egressionibus, non æque lectu sunt jucunda, ac ceteræ orationes, quæ in latioribus eloquentiæ campis versantur; jam vero quæ minus grata nobis contingunt, eadem quoque videri solent prolixa et immensa.

www.libtool.com.cn

Habita est hæc oratio Marcello prætore, quo anno non satis constat. Æque latet qui fuerit M. Tullius. Quem esse M. Tullium Deculam, qui consulatum, Cicerone adolescente atque ad eloquentiæ laudem virescente, cum Cn. Dolabella gessit ann. Urb. 672, opinatur Sigonius, cui suffragatur Vossius, de Analog. II, 3. Contra Heinrichius, p. 58: « Ego non credam, Ciceronem adolescentem ita de cliente, viro consulari, dicturum fuisse, ut nunc legimus initio hujus fragmenti. Qui P. Sextium in causa ea, cujus orationem habemus, ann. Urb. 697, postulavit de vi, is quidam M. Tullius dicitur a Cicerone ad Quint. fr. II, 3: et erat cognomine Albinovanus. Vide in Vatinium, cap. 1. Oratoris libertos M. Tullios, Tironem et Lauream [vid. Manut. in Epist. ad Fam. V, 20] huc non temere quisquam vocarit ». Quum Taurinensia fragmenta majorem lucem non affundant nomini M. Tullii, præstat rem injudicatam relinquere.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS

www.libtool.com.cn

FRAGMENTA

EX ORATIONIBUS.

EX ORAT. PRO M. TULLIO, II.

I... RECUPERATORES[1]..... turos adversarios arbitrarer, tantam cædem et tam atrocem ad familiam suam pertinere: itaque animo soluto a cura et a cogitatione veneram, quod intelligebam, facile id me testibus planum facere posse. Nunc vero, posteaquam non modo confessus est vir primarius L. Quin[2]....

I. 1. *Recuperatores.* Sigonius panca huic orationi præfatur: plures etiam orationum, earumque pulcherrimarum, quam, qui nunc exstant, a Cicerone esse editos libros, non est dubium. Docent quum alia multa, tum maxime hæc fragmenta, et harum orationum crebra apud scriptores testimonia. De quibus hæc pauca, tanti resarciendi damni causa, mihi putavi esse scribenda. Primum oratio quædam pro M. Tullio celebratur. Hanc ego pro M. Tullio Decula, qui consulatum, Cicerone adolescente, ad eloquentiæ laudem virescente, cum Cn. Dolabella gessit, dictam suspicer. Defendit autem eum de vi, quantum ex orationis fragmentis intelligere possum. Artificium hujus defensionis his verbis expressit Fortunatianus in Rhetorica: « voluntas legis tertio considerator, quum exemplo multarum legum probamus, præsentem legem ita sentire, sicut M. Tullius fecit pro M. Tullio ». Hactenus Sigonius. Videntur paucissima quidem deesse hoc in loco: sententiam autem Amedæus *Peyron* recentissime sic restituit: cujus verba qualia sunt, conjecturasque servavimus: « Antea sic hanc causam adierant reciperatores ut numquam dicturos ». Has voces videre mihi videor in prima linea. Saltem prima litera *a* certissima est. Duo versus sequentes ita evanuerunt, ut vix vestigia supersint earum literarum. Textum sarcivi probabiliter, meo quidem judicio: superest, ut idem lectoribus probetur. Hæc prima esse totius orationis verba, vel me tacente, quisque intelligit. ED.

2. *L. Quintius.* Adversarius Ciceronis in hac causa, et P. Fabii patronus, fuit L. Quintius. De hoc Cicero

Digitized by Google

..... borabam, ut, quod arguebam, id factum esse ostenderem : nunc in eo consumenda est oratio, ut ne adversarii, quod infitiari nullo modo potuerunt, quum maxime cuperent, id quum confessi sunt, meliore loco esse videantur. Itaque tum vestrum difficilius judicium, mea facilis defensio fore videbatur. Ego enim omnia in tes[3] ..... quid est facilius, quam de eo, qui confitetur, judicare? Mihi autem difficile est satis copiose de eo dicere, quod nec atrocius verbis demonstrari potest, quam re ipsa est; neque apertius oratione mea fieri, quam ipsorum confessione factum est.

Quum in hac re, quam commemoravi, mihi mutanda ratio defensionis[4] ..... minus diligenter

in Bruto, 62, ait: « Complures minime dignos elegantis conventus auribus, aptissimos cognovi turbulentis concionibus, quo in genere nuper L. Quintius fuit ». Reapse hic idem Quintius patronus fuit Oppianici in horribili illa causa Cluentii. Et eum quidem in ea oratione sæpe exagitat Cicero, capite præsertim 40, ubi eum sic graphice describit: « Facite enim, ut non solum mores ejus et arrogantiam, sed etiam vultum atque amictum, atque illam usque ad talos demissam purpuram recordemini ». A. M. — Fuit tribunus plebis maxime popularis ac seditiosus a. U. 680. Vid. Pighius ad ann. 679, t. III, p. 305. Hunc eumdem videri quem Cicero dicit familiarem suum ad Att. VII, 9, vana est Corradi suspicio, quam cum aliis aliorum non melioribus conjecturis nollem Ernestius repetisset in Indice historico. Heinrich. — In supplenda lacuna id erat curandum, ut versus essent sex, quorum quisque quindecim minimum constaret literis, nec ultra viginti haberet. Mihi quidem eam, quam expressi, sententiam ratio contextus exposcere videbatur; quod si futuri editores meliora dabunt, lubentissime amplectar. Peyr.

3. *Tes.* Conjicit *Peyron* : « in testibus ponebam, quorum ipse consensus quasi conflatus judicandi moram vobis injiciebat. At confessio adversarii in me rei difficultatem transtulit. Etenim ». Consensus testium quum facilem Tullio defensionem faciebat, tum recuperatoribus judicandi difficultatem creabat, suspicionem enim conspirationis afferre poterat; recole fragmenta pro Scauro, et Quintilianum de testibus, V, 7. « Consensum conspirantem et pæne conflatum » dixit Cicero pro Ligario, 12. Judicandi mora injicitur judicibus, quoties alteruter patronus ita causam suam defendit, ut judices « sibi non liquere » pronuntient; vide pro Cæcina, 2. Ed.

4. *Defensionis.* Desiderantur ibi lineæ septem. Post vocem illam hæc ad-

Digitized by Google

illius existimationem, quam rem M. Tullii viderer defendere. Nunc, quoniam Quintius ad causam pertinere putavit, res ita multas, falsas præsertim et inique confictas, proferre de vita, et moribus, et existimatione M. Tullii, multis de causis mihi Fabius debebit ignoscere, si minus ejus famæ parcere videbor, quam antea consului. Pri[5].....ore, putavit ad officium suum pertinere adversario nulla in re parcere: quid me oportet Tullium pro Tullio facere, homine conjuncto mecum non minus animo, quam nomine? Ac mihi magis illud laborandum videtur, [6]recupera-

dit verba *Peyron:* « Tum erga P. Fabium paullo remittendum est de illa lenitate, qua priore actione omnia tua tanto studio vel dissimulaveram, vel excusaveram, ut non minus ». Et sic ea explanat: Nullus dubito hanc fuisse Tullii mentem in versibus deperditis. Summam *lenitatem* sibi ipse sæpe tribuit Cicero. Ed.

5. *Pri...* Sex lineæ deficiunt, quas ita supplet *Peyron:* « Priore actione summopere cavi ab offendendo Fabio: sed quando Quintius, mutato defensionis tenore ». Deficiente lacunæ mensura, ad quam divinationis meæ verba exigerem, hæc inserui tantum, ut quivis videat pauca defuisse ante primas Ambrosiani folii voces. Ed.

6. *Recuperatores.* In causa possessionum recuperandarum dabantur potissimum recuperatores a prætore; quare Festus ad voc. *reciperatio* inquit: « Per reciperatores reddantur res recipianturque, resque privatas inter se persequantur ». Sic, ut prætermittam *recuperatorium judicium*, de quo Cicero in Verr. III, 11, et illud in causa Cæcinæ, video recuperatores datos in causa injuriarum apud Gellium, XX, 1, et lib. de Inventione II; in causa pecuniæ creditæ apud Plautum, Bacchid. II, 3, 36, et arrhabonis accepti apud eumdem, Rud. V, 1, 2; in decernenda corona murali apud Livium, XXVI, 48; in eos, qui jugerum numerum ex edicto prætoris professi non essent, apud Ciceronem in Verrina V. Judices hi a prætore demandati tres esse solebant. Ambrosianus plerumque scribit *recuperatores*, Taurinensis ut plurimum *reciperatores*, quæ vetustior est orthographia. — *Ut quod.* Ambrosianus « ut quod antea nihil in istum dixi probar***** um quam in eo reprehendar », ita tamen, ut in quinque evanidis literis Cl. Mai. hasce deprehendat *eposs.* Revera prima et altera sunt literæ longæ; tertia exhibet speciem vocalis *o*. Quare vir Cl. in prima editione emendabat « ne quod antea nihil in istum dixisse probare possum in eo reprehendar »; in altera vero « ut, quod antea nihil in istum dixi, probare possim quam inique reprehendar ». Guillelmus Cramerus reponebat « ut, quod antea nihil in istum dixi, probare possim, quam in eo reprehendar ». Mihi vero visum est legere *probrosi umquam.* Peyr.

Digitized by Google

tores, ut, quod antea nihil in istum dixi, probare possim, quam ne in eo reprehendar, quod hoc tempore respondeo. Verum et tum id feci, quod oportuit; et nunc faciam, quod necesse est. Nam quum esset de re pecuniaria controversia, quod damnum datum M. Tullio diceremus, alienum a mea natura[7] videbatur, quidquam de existimatione P. Fabii dicere; non quia res postulare[8] non videretur: quid ergo[9] est? tametsi postulat causa, tamen, nisi plane cogit ingratiis[10], ad maledicendum non soleo descendere. Nunc quum coactus dicam, si quid forte dicam, tamen id ipsum verecunde modiceque[11] faciam, tantum ut, quoniam sibi me non esse inimicum potuit priore actione[12] Fabius judicare, nunc M. Tullio fidelem

www.jibtool.com.cn

7. *A mea natura.* Præpositio *a* aberat a codice. Peyr.

8. *Non quia res postulare.* Namque judicium de vi hominibus armatis pertinet ad summam dejectoris existimationem, vide pro Cæcina 2. Peyr.

9. *Quid ergo est.* Abrupta hæc videntur, sed veram in se artem habent. Qualia ni attendis, quid sit orator, non intelligas. Poterat sic decurrere oratio: non, quia res postulare non videretur, sed quia, tametsi postulat causa, tamen nisi plane cogit, etc. Eum cursum sistit orator subito, interrogans: « Quid ergo est? » et nunc denique rationem dicit. Heinrich.

10. *Nisi plane cogit ingratiis.* Locutio est elegans optimæque ætatis, *cogere*, vel *cogi ingratiis*, i. e. invitum, repugnantem: quo de verbo vulgatum olim errorem Ob. Gifanii ex ejus Indice Lucretiano, alioquin bonæ frugis pleno, correxerunt jam dudum Scioppius, Verisimil. I, 20, et Vossius, de Analog. I, 2 et 47..... Orator pro Quintio, c. 14: « extorquendum est invito atque ingratiis »; quod Facciolatus bene explicat: velit nolit. Denique ipsum hoc *cogere ingratiis* dicunt Terentius, Heautont. act. III, scen. 1, vs. 37, et Nepos, Themist. 4, 3. Heinrich.

11. *Modiceque.* Ang. Mains: « modique faciam tantum, ut quoniam ». Quod quidem omnino barbarum est dicendi genus. Rectissima autem conjectura Heinrichius emendavit *modiceque*. Sic pro Sulla, 29, « a me timide modiceque dicetur »; pro Cœlio, 13: « nunc agam modice, nec longius progrediar, quam me mea fides et causa ipsa coget »; et de Sen. 1: « modice ferre ». Monuit idem Philologus verba *tantum ut* sejungenda non esse; sic pro Flacco, 28, « submissa voce agam, tantum ut judices audiant »; pro Cæcina, 8, « prætor interdixit... sine ulla exceptione, tantum ut, unde dejecisset, restitueret ». Peyr.

12. *Priore actione.* Hinc cognoscimus Ciceronem bis dixisse pro Tullio. A. M.

Digitized by Google

certumque amicum esse cognoscat. Unum hoc abs te, L. Quinti, pervelim impetrare; quod tametsi eo volo, quia mihi utile est, tamen abs te idcirco, quia æquum est[13], postulo: ut ita tibi multum temporis ad dicendum sumas, ut his aliquid ad judicandum relinquas. Namque antea non defensionis tuæ modus, sed nox tibi finem dicendi[14] fecit. Nunc, si tibi placere potest, ne idem facias, id abs te postulo. Neque hoc idcirco postulo, quo te aliquid[15] censeam præterire oportere, aut non quam ornatissime et copiosissime dicere; verum ut semel unaquaque de re dicas: quod si facies, non vereor, ne dicendo dies eximatur.

II. Judicium vestrum est[1], recuperatores, quantæ pecuniæ paret, dolo malo familiæ P. Fabii, vi hominibus armatis coactisve, damnum factum esse M. Tullio. Ejus rei taxationem[2] nos fecimus; æstimatio vestra est: judicium datum est in quadruplum[3]. Quum

13. *Quia æcum est.* Pro *æquum*, uti etiam Bavaricus et Vaticanus codd. apud Garatonium ad Plancianam, cap. 15. Confer in fragmento orationis pro Flacco, cap. 1, *relicum* pro *reliquum*. A. M. — In Taurinensibus membranis vidi *æcum*, *relicum*, tum etiam *æquum*, *reliquum*, *iniquom*, incerta plane orthographia. Peyr.

14. *Sed nox tibi fine dicendi.* Sic codex; lege *finem*. Peyr.

15. *Quo te aliquid.* Quum Cl. Mai. legisset *quo te aliquid*, Heinrichius malebat *quod*, nec in textum inducere audebat. Revera codex habet *quod;* at litera *d*, utpote postrema longi versus, scripta est forma minori. Peyr.

II. 1. *Judicium vestrum est.* Hæc est formula judicandi a prætore data. Cramer.

2. *Ejus rei taxationem.* Hinc apparet *taxationem* dici de pecuniæ summa, quæ a patrono dejecti proponebatur ob damnum datum; *æstimationem* vero de ea, quæ a judicibus post damnatum reum, decernebatur. —*Fecimus.* Ambrosianus *fecim;* Taurinensis *fecimus*. Peyr.

3. *Judicium datum est in quadruplum.* Quum multas leges in hisce fragmentis commemorat Cicero, quæ, utpote simillimæ, facile legentem possunt in errorem inducere, tum juvat eas singillatim enarrare. Lex erat Aquillia, seu verius plebiscitum de damno, cujus capite primo cavebatur, ne damnum inferretur, eaque pœna statuebatur, qua lædens tanti condemnabatur, quanti plurimi homo, vel animal læsum eo anno fuerit. Contra inficiantem actio erat in duplum. Vocabulum *injuria* adeo erat solemne in hoc plebiscito, ut, si

www.libpol.com.cn

Digitized by Google

omnes leges, omniaque judicia, quæ paullo graviora

jus occidendi vel lædendi appareret, actio Aquillia prorsus inhiberetur. Vide illam in Digest. lib. IX, tit. 2. Proximum sequitur antiquissimum interdictum *de Vi*, quod a Cicerone his verbis proponitur: « Unde tu, aut familia tua, aut procurator tuus illum, aut familiam, aut procuratorem illius in hoc anno vi dejecisti, quum ille possideret, nec vi, nec clam, nec precario possideret, eo illum restituas jubeo », atque adeo interdictum *Unde Vi* appellabatur. Porro non *Vis* armata atque solida hic intelligi debet, sed simulata, qua, quum de fundi possessione controversia esset exorta, litigantes inermes, advocatis testibus, ad constitutum experiundi juris gratia veniebant in rem præsentem, atque petitor alterum dejiciebat. Quæ simulata vis dicebatur « vis facta moribus, civilis, quotidiana », frequentes enim erant ejusmodi lites, « ex conventu vis facta »; atque ipse conventus appellabatur « deductio moribus facta ». Hac peracta præparatione, dejectus prætorem adibat, ut interdictum *Unde Vi* impetraret; uterque ex jure manu conserebat rem quisque suam vindicaturus. In hanc rem formulæ verbosæ præstitutæ erant, quas ridet Cicero pro Murena, 12. Sed quum propter temporum iniquitatem vis simulata in solidam vim abiisset, ut petitor homines sive servos, sive liberos cogeret, atque vel adversarium, vel adversarii familiam a fundo controverso armis fugaret, latum fuit interdictum *De Vi hominibus armatis*. Rem declarat Cicero pro Cæcina, 32: « Dupliciter homines dejiciuntur, aut sine coactis armatisve hominibus, aut per ejusmodi rationem et vim. Ad duas dissimiles res duo dejuncta interdicta sunt. In illa vi quotidiana non satis est posse docere se dejectum, nisi ostendere possit, quum possideret, tum dejectum. Ne id quidem satis est, nisi docet ita se possedisse, ut nec vi, nec clam, nec precario possederit », et cetera quæ lege. Interdicto exceptionem quandoque addebat prætor; ait enim Cicero, ibid. 8: « Prætor interdixit, ut est consuetudo, *De vi hominibus armatis*, sine ulla exceptione, tantum ut, unde dejecisset, restitueret ». Quæ verba ita enarrat Hotmannus in comment. ad h. l. « Pure ac simpliciter decrevit ut restitueret, neque addit quum Cæcina possideret, sed sive possideret, sive non possideret, restitui jussit ». Quæ Hotmanni interpretatio luculenter refellitur a loco mox laudato pro Cæcina, 32; hoc enim interdictum omnem de possessione controvertendi locum tollebat; quare Cicero, ibid. « Possedit enim Cæcina, recuperatores; et id, tametsi extra causam est, percurram tamen brevi ». Veram exceptionem commemorat ipse Tullius, Epist. ad Famil. VII, 13: « Neque est, quod illam exceptionem interdicto pertimescas Quod tu prior vi hominibus armatis non veneris ». Ita enim vi illata propulsata fuisset. Tota oratio pro Cæcina in interpretando hoc interdicto versatur, quare a pluribus abstineo, id monuisse contentus interdictum *de Vi* cum interdicto *de Vi hominibus armatis* in unum titulum coaluisse in Digest. lib. XLIII, tit. 16, illa vero adi sis leg. 1, § 41, et leg. 6, de litis æstimatione. Crescente vero temporum iniquitate, hominumque audacia, qua familiæ armatæ cædes facerent, ædificia incen-

Digitized by Google

atque asperiora[4] videntur esse, ex improborum iniquitate et injuria nata sunt; tum hoc judicium paucis hisce annis propter hominum malam consuetudinem, nimiamque licentiam constitutum est. Nam quum multæ familiæ dicerentur in agris longinquis et pascuis armatæ esse, cædesque facere; quumque ea consuetudo non solum ad res privatorum, sed etiam ad summam rempubl.[5] pertinere videretur; M. Lucul-

derent, bona raperent, Lucullus quartum interdictum proposuit, seu verius paullo mutavit præcedens interdictum. Illud autem cum Cramero hisce fere verbis expressum fuisse credo: « Si cui dolo malo hominibus armatis coactisve damni quid factum esse dicetur, in eum, qui id fecisse dicetur, intra annum, quo experiundi potestas fuerit, in quadruplum, post annum in simplum judicium dabo ». Atqui hoc interdictum pæne concinit cum illo *De Vi bonorum raptorum*, Digest. lib. XLVII, tit. 8. Enimvero, verba sunt Crameri, utrobique actio est prætoria, cujus fundamentum damnum alteri datum, causa dolus malus, instrumentum familia armata coactave, finis quadruplicatio damni, ut ovum non sit ovo similius. Cur autem hoc edictum indeque nata actio postmodum ado evanuerit, ut, si Ulpianum excipias, in juris libris ejus vix vestigium supersit, id non est difficile ad explicandum. Quum enim orta esset his temporibus, quibus per bella civilia nihil non licere crederetur, ubi ad unius imperium res redacta est, facilius singulorum licentiæ frena injecta fuerunt, ad quam rem non parum profuit ab Augusto inde miles perpetuus. Jam vero difficilis est rerum memoria, numquam posthac, vel rarissime, occursantium. Retinuisse tamen et Seneca videri potest, qui Controv. V, 5: « lex, ait, fuit, ut qui sciens damnum dederit, reddat quadruplum, qui insciens simplum », nec tamen insto. Quidquid vero sit, noster hic Tullii locus oppido est memorabilis. Inde enim discimus et auctorem edicti de vi coactis hominibus, et causam ejus occasionemque proponendi, denique et tempus, quo introductum sit. Etenim ille M. Terentius Varro Lucullus, id ipsi plenum nomen, quum cos. fuerit cum Cassio Vero a. U. C. 681, non ita multo ante prætura functus fuerit necesse est, quam peregrinam fuisse solum Asconium auctorem habemus. Quod si cui difficultatem moveat e peregrini prætoris edicto jus inter cives disceptatum fuisse, is cogitet, quum multa ex urbano in peregrinum aut provinciali transierint, nihil obstare, quin et e peregrino aliqua migraverint in urbanum, præcipue e delictorum materia, quæ in primis jus gentium attingere videretur, adeoque Hadriani ætate utraque edicta in unum conflata fuisse. Hucusque doctus jurisconsultus Cramerus in notis ad h. l. PEYR.

4. *Omniaque... asperiora.* Sic Tauinensis; Ambrosian. *omniaquæ*. Sæpe inutiles diphthongi in hisce schedis occurrunt. PEYR.

5. *Sed etiam ad summam rempubl.* I. e. ipsa respublica in discrimen adducta esse videretur. HEINRICH. —

Digitized by Google

lus[6], qui summa æquitate atque sapientia jus dixit, primus hoc judicium composuit[7]; et id spectavit, ut omnes[8] ita familias suas continerent, ut non modo armati damnum nemini darent, verum etiam lacessiti, jure se potius, quam armis defenderent. Et quum sciret[9], de damno legem esse Aquilliam[10], tamen hoc ita existimavit, apud majores nostros quum et res, et cupiditates minores essent, et familiæ non magnæ magno metu contineretur, ut perraro[11] fieret, ut homo occideretur, idque nefarium ac singulare facinus putaretur; nihil opus fuisse judicio de vi, coactis armatisque hominibus. Quod enim usu non veniebat, de eo si quis legem aut judicium constitueret, non tam prohibere videretur, quam admonere[12]. His temporibus, quum ex bello[13] diuturno atque domestico res in eam consuetudinem venisset,

Verba hæc *ad summam remp. pertinere* laudat, ni fallor, ex Cicerone Victorinus in Rh. Cic. I, c. 47. A. M.

6. *M. Lucullus.* Jus inter peregrinos prætor dixit, teste Asconio ad orationem Ciceronis in toga candida. Frater Lucii is fuit, ut narrat Plutarchus in Lucullo. A. M. — Asconius ad or. laud. p. 979 Græv. Plutarch. in Lucullo, c. 1. Est hic M. Terentius M. F. Licinianus Varro Lucullus, frater, non germanus, sed consobrinus, si Eutropio fides, L. Luculli, cos. cum C. Cassio a. U. C. 681, a quibus coss. lex frumentaria Terentia Cassia. Vid. Manut. in Ep. ad Q. fr. II, 1; Pigh. ad an. 680, t. III, p. 306, et H. Verheyk. ad Eutrop. VI, 7. Heinrich. — Ex imagine foliorum patet legendum esse *adque sapientia*; Cl. Mains edidit *ac sapientia*. Peyr.

7. *Hoc judicium composuit.* Hoc est, pœnas contra vim ab hominibus armatis illatam statuit. Ed.

8. *Ut omnes.* Taurinensis, *ut homines;* Ambrosianus, *ut omnis.* Ed.

9. *Sciret.* MS Ambros. *scirent.*

10. *Legem Aquilliam.* Vide Instituta, IV, 3, et Gaium recens editum, III, 210. Ed.

11. *Ut perraro.* Particula *ut* abest a Taurinensi. Hujus intra breve spatium repetitæ multa exempla ex Cicerone congerit Heinrichius ad h. l. Peyr.

12. *Quam admonere.* Sic prorsus idem Cicero in orat. pro Roscio Amerino, 25, de Solone, qui nullum supplicium parricidio statuerat, ait: « Sapienter fecisse dicitur, quum de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat, ne non tam prohibere, quam admonere videretur ». A. M. — Ambrosianus hoc in loco habet *videtur.*

13. *Quum ex bello.* Taurinensis *et bello.* Mariana et Sullana tempora respicit. Peyr.

Digitized by Google

ut homines minore religione armis uterentur : necesse putavit esse, et in universam[14] familiam judicium dare, si quod a familia factum diceretur; et recuperatores dare, ut quam primum res judicaretur; et pœnam graviorem constituere, ut metu comprimeretur audacia; et illam latebram tollere, DAMNUM INJURIA[15], quod in aliis causis[16] debet valere, et valet

www.libtool.com.cn

. 14. *Et in universam.* Ambrosianus non habet particulam *et*, quæ maxime opportuna est. Quæstio a juris peritis instituebatur, utrum legi Aquilliæ locus esset, si servus cædem noxamve fecerit. Ita vero Ulpianus, Digest. lib. IX, tit. 4, l. 2, rem definit : « Si servus, sciente domino, occidit, in solidum dominum obligat; ipse enim videtur dominus occidisse : si autem insciente, noxalis est; nec enim debuit ex maleficio servi in plus teneri, quam ut noxæ eum dedat.... Celsus tamen differentiam facit inter legem Aquilliam, et legem duodecim Tabularum. Nam in lege antiqua, *si servus sciente domino furtum fecit, vel aliam noxam commisit, servi nomine actio est noxalis*, nec dominus suo nomine tenetur; at in lege Aquillia [inquit] dominus suo nomine tenetur, non servi. Utriusque legis reddit rationem; duodecim Tabularum, quasi voluerit servos dominis in hac re non obtemperare; Aquilliæ, quasi ignoverit servo, qui domino paruit, periturus si non fecisset ». Lege ergo Aquillia solus tenebatur dominus. Jam vero quum solerent domini illa uti exceptione, qua profiterentur, se inscientibus, damnum a familia datum esse, seu, ut ait Tullius, « quod a familia factum diceretur »; tum Lucullus « et in universam familiam » judicium ampliavit, ut domini « familias suas continerent ». — *Quod a familia.* Cl. Maius edidit *siquod*, neutro codice suffragante. PEYR.

15. *Damnum injuria.* Locus in Ambrosiano obliteratus; versus fere duo sunt, ubi apparent tantum dubia verborum vestigia. Dat paullo plura Taurinensis. Maius autem, ut locum illum suppleret, hanc sententiam sic scribendam proposuerat : « damnum, injuria *si absit, inferri posse : ut privati* ipsi statuerent, etc. » In altera autem editione quum manuscriptum legere conatus fuisset, sic iterum edidit : « *Damnum injuria* quod [in illis quum vis] debet va[lere puta valeo e..].. ex hujusmodi damno quod [vicem] armatus...[num]... privati ipsi statuerent, etc. » Non multo certior est illa lectio, et fere inextricabilis videtur. Sic autem *Peyron* locum illum explanat : *Damnum injuria.* Solemnia verba, quibus hoc judicium designabatur. Sic Cicero pro Comœdo, 11, « lite contestata, judicio *damni injuria* constituto, tu sine me cum Flavio decidisti ». Ulpianus ad legem Aquilliam, Digest. IX, 2, 1 : « lex Aquillia omnibus legibus, quæ ante se de *damno injuria* loquutæ sunt, derogavit », atque alibi sæpe apud jurisconsultos. Cave tamen, ne credas scribendum esse *damnum injuriæ*, phrasis enim elliptica est pro « damnum injuria datum ». Præter illud effugium, quod damnum non a domino, sed a familia datum dicere-

Digitized by Google

lege Aquillia; et ex hujusmodi damno, quod vi per servos armatos datum esset[17]..... ipsi statuerent, quo tempore possent suo jure arma capere, manum cogere, homines occidere. Quum judicium ita daret, ut hoc solum in judicium venire videretur, ne vi hominibus coactis armatisve damnum dolo malo familiæ datum, neque illud adderet, INJURIA; putavit se audaciam improborum sustulisse, quum spem defensionis nullam reliquisset[18].

III. Quoniam quod judicium, et quo consilio constitutum sit, cognostis; nunc rem ipsam, ut gesta sit, dum breviter vobis demonstro, attendite. Fundum habet in agro Thurino[1] M. Tullius paternum, recuperatores; quem se habere usque eo non moleste tulit, donec vicinum ejusmodi nactus est, qui agri fines armis proferre mallet, quam jure[2] defendere.

tur, quum alia dominis superesset latebra, qua contendebant noxam non injuria, sed jure illatam fuisse; tum Lucullus nullam defensionis spem relicturus edixit de *injuria* non esse quærendum, quod adeo vocabulum in suo interdicto non admisit. ED.

16. *Quod in aliis causis.* Hæc et sequentia, quæ Taurinensis suppeditat, ita sunt in Ambrosiano obliterata, ut diligentissimos Cl. Maii oculos fallerent; me meliora sed non omnia legisse demonstrat imago hujusce folii. PEYR.

17. *Servos armatos datum esset.* Desiderantur septem versus in Ambrosiano. PEYR.

III. 1. *Fundum habet in agro Thurino.* Antiqua urbs Lucaniæ fuit Thurium: quamquam Acro ad Horatii lib. II, Sat. 8, vs. 20, dicit *Thurium* oppidum Calabriæ. At noster codex habet *Thyrinum* pro *Thurinum* ex permutatione consueta inter se vocalium ejusdem, aut proximi soni: nam *y* apud Veteres sonabat interdum ut *u*. Citat hunc locum Quintilianus, Instit. lib. IV, cap. 2, sub finem, ubi ait: « Initium narrationis frequenter et a re [fieri] sicut pro Tullio Cicero: *Fundum habet in agro Thurino M. Tullius paternum* ». Institutionum editio Parisiaca anni 1542 habet *in agro Tigurino*, ut et codex unus Ambrosianus Quintiliani. Verum longe rectius aliæ editiones *in agro Thurino*, quod confirmant tres codices Ambrosiani ejusdem Quintiliani. Reapse quis prædium divitis viri romani inter montes potius Helvetios, quam in Lucaniæ beato agro requirat? A. M.

2. *Quam jure defendere.* Ita in codice certissime. Aliud agebat Cl. Maius, exscribens *quam jure obtinere*. PEYR.

Digitized by Google

Nam P. Fabius[3] nuper emit agrum de C. Claudio[4] senatore (cui fundo erat affinis M. Tullius), sane magno, dimidio fere pluris, incultum, exustis villis omnibus, quam quanti integrum atque ornatissimum carissimis prædiis ipse Claudius *emerat*[5].....

.....

clam circumscripsisset etiam[6] consulari Macedonia et Asia. Etiam illud addam, quod ad rem pertinet. Imperatore mortuo, pecuniam nescio quomodo quæsitam dum vult in prædio ponere[7], non posuit, sed abjecit. Nihil adhuc[8]... *Stultitiam su*am calamitate[9]

3. *Nam P. Fabius.* Litera *P.* prænominis omissa fuit a Cl. Maio, est tamen insignis. P. Fabius nuper emit agrum de C. Claudio senatore, cui agro Tullius erat fundo affinis. Pretio autem sane magno, dimidio fere pluris, emit hunc agrum incultum, exustis villis omnibus; pluris, inquam, emit, quam quanti integrum atque ornatissimum carissimis pretiis ipse Claudius emerat. Ita construo Tulliana verba. Cl. Maius in pr. editione : « Nam Fabius nuper emit agrum de C. Claudio senatore [cui fundo erat affinis M. Tullius sane magno] dimidio fere incultum, exustis villis omnibus, pluris quam quanti integrum, etc. » In altera vero editione : « Nam Fabius nuper emit agrum de C. Claudio senatore [cui fundo erat affinis M. Tullius sane magno] dimidio fere pluris incultum exustis villis omnibus, quam quanti integrum, etc. » Quæ interpunctio perimit germanum sensum. Peyr.

4. *Emit agrum de C. Claudio.* Videtur hic frater Appii et Publii. Confer orationis pro Scauro n° 33, cum Scholiaste, qui C. Claudium ait etiam tenuisse Asiam prætorio imperio. Asiæ autem et hic mentio fit paullo post. A. M.

5. *Claudius emerat.* Post Claudius facile addas, quod certe hic fuit, *emerat.* Heinrich. — Desiderantur decem versus. Peyr.

6. *Circumscripsisse isti a.* Cl. Maius legit *circumscripsisset etia*, atque reposuit *circumscripsisset etiam;* equidem uti legi, sic edidi, neque in contextu mutilo quidquam statuo. Paullo infra anne fortasse distinguendum erat : « Et jam illud addam »? Peyr.

7. *Ponere.* Pecuniam *ponere* et *collocare* sunt verba juris, et pecuniaria, uti vocat Quintilianus. Cramer. — Homo pecuniam abjecit in prædio conditionis deterrimæ, quippe quod pretio emerat insano. Hoc orator ait ad rem pertinere; quandoquidem hinc hominis stomachus, et rursum ex stomacho facinus. Heinrich.

8. *Nihil adhuc m...* Desiderantur decem versus. Peyr.

9. *Calamitatem.* Cl. Maius legit *calamitate,* atque ex ingenio supplevit : « *stultitiam su*am calamitate vicinorum corrigit ». Perplacent ista; at ego legi *calamitatem,* neque in contextu mutilo quidquam muto. Peyr.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

vicinorum corrigit, et quod stomachum suum damno Tullii explere conatus est. Est in eo agro centuria[10], quæ Populiana[11] nominatur, recuperatores; quæ semper[12] M. Tullii fuit, quam etiam pater posse*derat*[13]. ..... posita esse[14], et ad fundum ejus convenire..... Ac primum, quod eum negotii totius et emptionis suæ pœnitebat, fundum proscripsit[15]. Eum autem emptum habebat cum socio Cn. Acerronio, viro optimo[16]..... modum proscripsisse[17]. Ho-

10. *Centuria*. Vox illa primum spatium centum jugerum indicabat, mox pro ducentis est usurpata. Sic enim in Columella, V, 1, legitur: « Centuriam nunc dicimus, ut Varro ait, de Ling. Lat. IV, 4, ducentorum jugerum modum ». Olim autem ab centum jugeribus vocabatur centuria; sed mox duplicata nomen retinuit. Ex aliis etiam qui de agricultura scripserunt, agnoscere licet, centuriam nunc quinquaginta, mox ducenta et decem, mox quadringenta jugera continuisse (Hygin. de Licent. Constitut. pag. 154, ed. Goes.). Ex variis illis significationibus conjicere licet, verbum illud nonnumquam indicare partem ruris non certis definitam limitibus. Hoc sensu in loco de quo agitur est intelligendum; namque spatium terræ non mensura, sed peculiari quodam nomine designatur. Ed.

11. *Popiliana*. Ita codex, atque Heinrichius ex conjectura. Cl. Maius legit *Populiana*, uti inferius ter habet codex. Peyr.

12. *Quæ semper*. Codex *qui;* dubito tamen in codice esse *que*, maxime enim sunt affines literæ *E* et *I*. Peyr.

13. *Possederat*. Ita mutilam vocem optime supplevit Cl. Maius. Desiderantur undecim versus. Peyr.

14. *Posita esse*. Anguror contextum ejusmodi fuisse : Fabius secum statuit illa arva usurpare; viderat enim in vicinia posita esse, et ad fundum ejus convenire. Peyr.

15. *Fundum proscripsit*. Fundum proscribere est venalem proponere. A. M. — *Cn. Acerronio*. Par nomen est in lapide Ferentini apud Muratorium, Thes. Inscript. p. 1621, 10, et in fastis consularibus ad a. 790. Peyr.

16. *Viro op....* Mutilam vocem ita supplet Cl. Maius, ut sit *optimo*. Desiderantur undecim versus. Peyr.

17. *Modum proscripsisse*. Lacuna ante hæc verba posset expleri in hanc sententiam : « qui tulit indigne, quum audisset, istum suo arbitratu et sua voluntate totum fundi modum proscripsisse ». Nam Fabius videtur fecisse, ut socius queri posset tamquam ille apud Plautum in Trinummo, I, 2, 130: « Quia rure dum sum ego unos sex dies, Me absente atque insciente, inconsulto meo, Ædis venalis hasce inscribit literis ». Proscripsit tabulam, se fundum venditurum; ex nota formula. Vid. Epist. ad Q. fr. II, 6, et de Offic. III, 13, 7. Cf. Brisson. Select. Antiq. III, 8, et G. Cuper. Obs. I, 17. Inscripserat jugerum numerum, quo *modus* agri demonstrabatur. Vid. Digest. tit. de act. empt. vend. [XIX,

Digitized by Google

minem appellat. Iste[18] sane arroganter, quod commodum fuit, respondit: neque dum fines auctor[19] demonstraverat[20]. Mittit ad procuratorem literas et ad villicum[21] Tullius..... facturum negavit; illis absentibus fines Acerronio demonstravit; neque tamen hanc centuriam Populianam vacuam tradidit[22]. Acerronius, quomodo potuit, se de tota re[23] ex.... *ag*mine ejusmodi semiustulatus[24] effugit.

www.libtool.com.cn

1], l. 13, § 14, et tit. de evict. [XXI, 2], l. 64. HEINRICH.

18. *Iste.* Fabius, qui in judicio adest: sed dictum, ut mox sæpius, cum contemptu. Nam aliter, quippe honoris causa, fere dicitur *hic.* HEINRICH.

19. *Neque dum fines auctor.* Scilicet Fabius venditor. A. M.

20. *Demonstraverat.* Sic rursus postea « fines Acerronio demonstravit ». Res nova apud Ciceronem, sed in jure romano translatitia. Legitimæ sunt locutiones « fines demonstrare, ostendere », vel *nominare,* in agro vendito: quæ est extrema auctoris actio. Qui fines demonstrat, tradit fundum. Digest. tit. de evict. XXI, 2, I, 45. Et demonstrantur fines aut per dominum, aut per servum villicum, domini jussu. Digest. tit. de contrab. empt. XVIII, 1, l. 18, § 1. HEINRICH.

21. *Villicum.* Cum una *l*, quod et ipse vidi in aliis antiquis codicibus, et Garatonius ad Plancianam, cap. 25, magnopere probat. Inferius tamen, cap. 9, legitur *villam*, non *vilam*, etsi et *vilam* antiquum dicit Garatonius. A. M.

22. *Vacuam tradidit.* Venditus ager vacua possessio est, antequam traditus emptori, isque ingressus est possessionem. Hoc in Pandectis vulgatum nunc primum legimus apud Ciceronem. Sed in ipsa re, hac quidem parte narrationis, summa est obscuritas. HEINRICH.

23. *Sè de tota re.* Ipse quoque cum Cl. Maio legi *sedetorare*, sed concoquere nequeo quod Vir Cl. notat Acerronium sedendo supplicasse. Heinrichius emendabat *possedit*, Niebuhrius in epistolis ad me datis mihi auctor fuit de emendatione « se de tota re excusabat », quam recepi. PEYR.

24. *Semustilatus.* Ita palimpsestus; ita Varro apud Nonium Marcellum [p. 263, ed. Paris. 1586] ad fidem codicis Merceri. Cl. Maius edebat *semustulatus.* Revera recentiores scribere amant *ustulo;* sed scripturæ antiquioris *ustilo* alia quoque vestigia supersunt; sic in orat. pro Milone, 12, codex Lagomarsinianus 54 legit *semiustilatum;* in Suetonio, Tib. 75, sunt codices qui habent *semiustillandum;* Glossæ Cyrilli ἀπόκαυμα, *ustilatio; sic optumus, lubens, monumentum,* etc. variata orthographia scribuntur *optimus, libens, monimentum,* etc. Conjici quoque posset *ustilo* antiquis scriptum fuisse pro *ustillo* diminutivo verbo, quemadmodum *querela* et *querella, belua* et *bellua* scribitur. PEYR.—...*mine ejusmodi.* Cl. Maius supplet *agmine ejusmodi;* Heinr. vero « ex discrimine ejusmodi ». PEYR.

Digitized by Google

IV. Adducit iste interea in saltum homines electos maximis animis et viribus, et iis arma, quæ cuique habilia[1] atque apta essent, comparat; prorsus ut quivis intelligeret, non eos ad rem rusticam, verum ad cædem ac pugnam comparari. Brevi illo tempore Q. Catii Æmiliani[2], hominis honesti, quem vos nostis, duo homines[3] occiderunt; multa alia fecerunt; passim vagabantur armati, non obscure[4], sed ut plane intelligere viderentur, ad quam rem parati essent; agros, vias denique infestas habebant. Venit in Thurinum interea Tullius. Deinde iste paterfamilias Asiaticus[5], beatus, novus arator, et idem pecuarius, quum ambularet in agro, animadvertit in hac ipsa centuria Populiana ædificium non ita magnum, servumque M. Tullii Philinum[6]. Quid vobis, inquit, istic negotii[7] in meo est? Servus respondit pudenter, at non stulte, Dominum esse ad villam, posse eum cum eo disceptare, si quid vellet. Rogat Fabius Accerronium (nam ibi tum erat), ut secum simul veniat ad Tullium. Venit[8]. Ad villam erat Tullius. Appellat Fabius, ut

IV. 1. *Habilia.* Ita reposuit Heinrichius pro mendosa codicis lectione *abitalia.* Ennius dixit «habiles gladios filo gracilento»; Seneca, de Ira, II, 35 : «gladium commodum et habilem»; lege Heinsium, Animadvers. ad Tac. Ann. XII, 67. Contra Liv. XXIV, 34, dixit «inhabile telum». Peyr.

2. *Q. Catii Æmiliani.* Ignoti hominis nomen. Peyr.

3. *Duo homines. Duo* pro *duos*, quod grammatici concedunt. A. M.— Nimirum hanc formam, ut etiam *ambo* pro *ambos*, satis comprobat usus in veteribus codd. et monumentis. Vide Vossium de Anal. II, 6; Gron. ad Liv. XXXV, 21; Oudendorp. ad Suet. Claud. 14, et Caiet. Marinium in opere præclaro de monumentis fratrum Arval. P. I, p. 47. Heinr.

4. *Non obscure.* Heinrichius mavult *ut non obscure.* Peyr.

5. *Asiaticus.* Hæc omnia derisorie in hunc virum congerit. Ed.

6. *Philinum.* Codex *filium;* paullo infra «Philinus quem antea nominavi». Peyr.

7. *Stic... im meo.* Vulgarem pronuntiationem expressit orator, quam Cl. Maius posthabens edidit «istic... in meo». Peyr.

8. *Venitur.* Cl. Maius legit *venit.* In imagine hujusce folii lineam diagonalem repræsentavi a læva ad dextram descendentem, quæ est pars vocalis *U*; altera vero pars ejusdem

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

aut ipse Tullium deduceret[9], aut ab eo deduceretur. Dicit deducturum se Tullius, vadimonium[10] Fabio Romam promissurum. Manet in ea conditione Fabius: datur, conceditur[11].

V. Proxima nocte, jam fere quum lux appropinquaret, ad illud ædificium, de quo antea dixi, quod erat in centuria Populiana, servi P. Fabii frequentes armatique veniunt. Introitum ipsi sibi manu[1] patefaciunt; homines magni pretii servos M. Tullii nec opinantes adoriuntur, quod facile factu fuit; neque tam multos[2], neque repugnantes, multi armati paratique occidunt. Tantumque odii crudelitatisque habuerunt, ut eos omnes gurgulionibus[3] insectis relinquerent: ne, si quem semivivum ac spirantem reli-

vocalis deest, quum membrana perforata sit; tandem sequitur insignis litera *R*. Codex itaque habet *venitur*, cui consonat sequens *disceditur*. PEYR.

9. *Deduceret*. Fabius ergo usurus interdicto *Unde Vi* appellabat, ut moribus deductio fieret. *Deduci* porro dicebatur ille, qui per vim civilem et quotidianam a controverso fundo deturbabatur; idemque subinde apud prætorem postulabat, ut unde dejectus fuerat, eo restitueretur. Cf. a me superius adnotata ad c. 2. PEYR.

10. *Vadimonium*. En fortissimum argumentum pro sententia Fr. Polleti et Bav. Voordæ D. *de Vadimonio*, cap. 2, § 3, promissum fuisse vadimonium priusquam in jus veniretur, quod plerique negant. CRAM.

11. *Mature disceditur*. Hæc verba omisit in prima editione Cl. Maius, in altera ita legit « datur, conceditur ». Haud dubito de lectione. Pars consonæ *M* insignis superest; inter *R* et *D* spatium intercedit nulli, nisi lineari literæ excipiendæ par [lineares literas voco *E*, *F*, *I*, *L*, *P*, *T*, quia vix unica recta linea pinguntur in codice]; postrema syllaba *DIS* meis quidem oculis luculenta apparebat. Sensus ipse postulat vocabulum, quod notet *discessionem*. PEYR.

V. 1. *Vi manuque*. Cod. *ipsisibimanuque*. Suadente Henrichio, addidi *vi*. Sic pro Flacco, 6: « si quid ipsi audistis de vi, de manu, de armis, de copiis »; tum de Leg. Agr. II, 36: « vi ac manu perfringi ». Affinis syllaba *BI* librarium fefellit. PEYRON.

2. *Tam multos*. Cl. Maius legit *jam multos*; ipse in codice vidi *tam*, quod malebat Cramerus. PEYR.

3. *Gurgulionibus*. Hic locus citatur a Capella, lib. V, cap. de Elocutione, omisso nomine hujus orationis: sed nunc apparet ex qua citaverit. Jam quod Capellæ editiones habent *ejectis*, vel *exactis* pro *insectis*, id primum corrigitur nunc a Tulliano palimpsesto, tum etiam a codice Capellæ Ambrosiano [F. 119, part. sup.], in quo legitur *exectis*. A. M.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

quissent, minor his[4] honor haberetur. Præterea tectum villamque disturbant. Hanc rem tam atrocem, tam indignam, tam repentinam nuntiat M. Tullio Philinus, quem antea nominavi; qui graviter saucius e cæde effugerat. Tullius statim dimittit ad amicos, quorum ea vicinitate[5] tum illa bona atque honesta copia præsto fuit. Omnibus acerba res et misera videbatur. Quum amici in comm..... turbarunt.

VI. Audite, quæso[1], in eas res, quas commemoro, hominum honestorum testimonium. Hæc, quæ mei testes dicunt, fatetur adversarius, eos vere dicere; quæ mei testes non dicunt, quia non viderunt, nec sciunt, ea dicit ipse adversarius. Nostri testes dicunt, occisos homines, cruorem in locis pluribus, dejectum ædificium se vidisse; dicunt nihil amplius. Quid Fabius? Horum nihil negat[2]. Quid ergo addit amplius?

4. *Is honor.* Ita cum Heinrichio emendavi codicem legentem *minorhis-honor.* Librarius enim aspirationem modo demit scribens *is*, *em*, *tyrinus*, modo addit *minhis.* Peyr.

5. *Ea vicinitate.* Locus paullo subobscurus est; intelligendum est: amici boni atque honesti, hoc est fideles, et ad eum defendendum parati eum conveniunt. Forsan pro *illa* legendum esset *illi*: sic saltem opinatur doctissimus vir J. V. L. Ed.

VI. 1. *Audite, quæso, in eas res, quas commemoro, hom.* etc. Hoc in loco Amedæus *Peyron* aliam sententiam expressit, ex veteribus fragmentis excerptam, quam nos ad caput tantum 13 in lucem edidimus: quæ autem his verbis constat: «Dico, vim factam a P. Fabii familia: adversarii non negant. Damnum datum esse M. Tullio concedis: vici unam rem. Vi, hominibus armatis, non negas: vici alteram. Dolo malo factum negas: de hoc judicium est». Hæc autem ad opinionem tuendam profert: hoc fragmentum a Victorino in lib. I, c. 57 Rhetor. Cic. servatum, collocandum esse duxi in hac orationis parte; est enim sicuti propositio sequentis disputationis, in qua Cicero demonstrat dolum malum nec ab indole hujusce judicii, nec a vi hominibus armatis coactisve facta sejungi posse. Ed.

2. *Nihil negat.* Hoc capite aggreditur orator demonstrare quam nocentissimum esse Fabium, qui ea ipse fateatur, quæ servi ejus per summam injuriam ac summum scelus patravere. Proinde admodum planus est locus ille: nihilque de eo disseruit Amed. *Peyron.* Nos autem quum jam sæpissime in aliis locis quid verba illa *dolo malo* significent explanavimus, supervacaneum judicavimus iterum eadem recensere. Ex principio autem hujus

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

Suam familiam fecisse dicit. Quomodo? Vi, hominibus armatis. Quo animo? Ut id fieret, quod factum est. Quid est id? Ut homines M. Tullii occiderentur. Quod ergo eo animo factum est, ut homines unum in locum convenirent, ut arma caperent, ut certo consilio certum in locum proficiscerentur, ut idoneum tempus eligerent, ut cædem facerent, id si voluerunt, et cogitarunt, et perfecerunt, potestis eam voluntatem, id consilium, id factum a dolo malo sejungere? At istuc totum DOLO MALO additur in hoc judicio, ejus causa, qui agit; non illius, quicum agitur. Id ut intelligatis, recuperatores, quæso, ut diligenter attendatis : profecto, quin ita sit, non dubitabitis.

VII. Si ita judicium daretur, ut id concluderetur, quod a familia factum esset, si quæ familia[1] ipsa in cæde interesse noluisset, et homines aut servos, aut liberos, coegisset, aut conduxisset; totum hoc judicium[2], et prætoris severitas dissolveretur. Nemo enim potest[3] hæc judicare, qua in re familia non interfuisset, in ea re eam ipsam familiam vi, armatis hominibus, damnum dedisse. Ergo id quia poterat fieri, et facile poterat, idcirco non satis habitum est, quæri, quid familia ipsa fecisset; verum etiam illud, QUID FAMILIÆ DOLO MALO[4] FACTUM ESSET. Nam quum facit ipsa familia vi, armatisve coactisve hominibus, et damnum cuipiam dat, id dolo malo fieri necesse est;

capitis ad cap. 13 nova omnia e Taurinensi MS sunt hausta. Ed.

VII. 1. *Si quæ familia.* Plerique grammatici scribendum præcipiunt *si qua;* contrariæ sententiæ patroni jam utantur hoc exemplo. Peyr.

2. *Totum hoc judicium.* Hoc est, jus persequendi scelus : namque inane fuisset, tribunal rem hujusmodi discedptandam sibi proponere, si liceret ita judicium effugere. Ed.

3. *Nemo enim potest hæc judicare.* Videretur *hoc* magis convenire huic loco. J. V. L.

4. *Familiæ dolo malo.* Hoc est, dolo malo non familiæ, sed per familiam illato. Hoc capite legis quæ mens sit plane exprimitur. Ed.

Digitized by Google

quum autem rationem init, ut[5] id fiat, familia ipsa non facit, fit autem dolo malo ejus. Ergo addito DOLO MALO, actoris et petitoris fit causa copiosior[6]. Utrum enim ostendere potest, sive eam ipsam familiam sibi damnum dedisse, sive consilio et opera ejus familiæ factum esse, vincat necesse est.

Videtis prætores per hos annos intercedere hoc... ... me[7], et M. Claudium : UNDE DE DOLO MALO TUO, M. TULLI, M. CLAUDIUS[8], AUT FAMILIA, AUT PROCURATOR EJUS VI DETRUSUS EST; cetera ex formula[9], sicut ita interdictum est, et sponsio facta. Ego me ad judicem si defendam, vi me dejecisse[10] confitear, dolo malo negem; ecquis me audiat? Non opinor quidem : quia si vi dejeci[11] M. Claudium, dolo malo dejeci; in vi enim dolus malus inest. Et Claudio utrumvis satis est planum facere, vel se a me ipso vi dejectum esse, vel me consilium inisse, ut vi dejiceretur. Plus igitur *prodest*[12] Claudio *quum* interdicitur, unde a dolo malo meo vi dejectus sit, quam si daretur, unde a me vi dejectus esset. Nam in hoc posteriore[13], nisi ipse egomet dejecissem, vincerem sponsionem; in illo priore, ubi dolus malus auditur, sive consilium inis-

5. *Ut id fiat.* MS *ea.* Vitiose, ut sæpius. J. V. L.

6. *Copiosior.* Multo facilius est de ea re verba facere; namque quocumque se vertat adversarius, a petitore et accusatore facillime sceleris arguetur. ED.

7. *Hoc... me.* Deest ibi versus unus, quo autem sententia planior foret, supplevit Amed. *Peyron*, *interdicto inter;* maluimus autem locum illum mancum relinquere, quam sic conjecturis ultro prolatis orationem temere nonnumquam reparare. ED.

8. *M. Claudius.* Nuspiam alibi a Cicerone commemoratus. PEYRON.

9. *Ex formula.* Mendosa hæc puto. J. V. L.

10. *Vi me dejecisse.* Am. *Peyron* addit *ut.* Frustra. Deinde habet, « et quis me audiat? » J. V. L.

11. *Dejeci.* Nulla prorsus hujus causæ ad nos usque fragmenta pervenere. ED.

12. *Plus igitur prodest.* Sic idem conjicit. J. V. L.

13. *Posteriore.* Scilicet casu; ceterum locus ille omnino est obscurus, quia plane nescimus qua de re agatur. ED.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

sem, ut vi dejiceretur, sive ipse dejecissem, necesse erat de dolo malo meo vi dejectum judicari.

www.libtool.com.cn

VIII. Hoc persimile, atque adeo plane idem est in hoc judicio, recuperatores. Quæro enim abs te. Si ita judicium datum esset[1], quantæ pecuniæ paret a familia P. Fabii hominibus armatis damnum M. Tullio *da*tum, quid haberes, quod diceres? Nihil, opinor. Fateris enim omnia et familiam P. Fabii fecisse, et vi, hominibus armatis, fecisse. Quod additum est DOLO MALO, id te adjuvare putas; in quo opprimitur[2] et excluditur omnis tua defensio. Nam si additum id non esset, ac tibi libitum esset ita defendere, tuam familiam non fecisse, vinceres, si id probare potuisses. Nunc, sive illa defensione uti voluisses, sive hac, qua uteris[3], condemneris necesse est. Nisi putamus, *eum in judi*cium venire, qui consilium inierit; illum, qui fecerit, non venire : quum consilium sine facto intelligi possit, factum sine consilio non possit. An quod factum ejusmodi est, ut sine occulto consilio, sine nocte, sine vi, sine damno alterius, sine armis, sine cæde, sine maleficio fieri non potuerit, id sine dolo malo factum judicabitur? an qua in re prætor illi improbam defensionem tolli voluit, in ea re mihi difficiliorem actionem[4] factam putabitis? Hic mihi isti

VIII. 1. *Judicium datum esset.* Si quæstio a judicibus disceptanda ita proposita esset : quanta pecunia debet exsolvi Tullio ob damnum illi ab hominibus armatis illatum. Vox *paret* ibi pro *apparet* usurpata est : nec ita ambiguus est locus ille. ED.

2. *Opprimitur.* Non fieri potest, ut jam te defendere ac tueri possis. ED.

3. *Sive hac, qua uteris.* Non omnino compertum nobis est quamnam rationem defensionis adhibuerit adversarius Ciceronis : ex iis autem quæ vidimus conjicere licet eum ad causam tuendam hæc protulisse : non fecisse *dolo malo* servos P. Fabii, atque ideo eum hoc judicio teneri non posse. ED.

4. *Actionem.* H. e. accusationem : namque quum prætor hac lege perfugium omne scelestis hominibus eripere voluerit, necesse est ut qui accuset, multo minus difficile munus impleat. ED.

Digitized by Google

singulari ingenio videntur esse, qui et id, quod mihi contra illos datum est, ipsi arripiunt, et scopulo atque saxis pro portu stationeque utuntur. Nam in dolo malo volunt delitescere; in quo non modo, quum omnia ipsi fecerunt, quæ fatentur, verum etiam si per alios id fecissent, hærerent ac tenerentur.

www.libtool.com.cn

Ego non in una re sola, quod mihi satis est, neque in universa re solum, quod mihi satis est, sed singillatim in omnibus dolum malum exstare dico. Consilium capiunt, ut ad servos M. Tullii veniant, dolo malo faciunt; arma capiunt, dolo malo faciunt; tempus ad insidiandum atque celandum idoneum eligunt, dolo malo faciunt; vi in tectum irruunt, in ipsa vi dolus est; occidunt homines, tectum diruunt: nec homo occidi, nec consulto alteri damnum dari sine dolo malo potest. Ergo si omnes partes[5] sunt ejusmodi, ut in singulis dolus malus hæreat, universam rem et totum facinus sine dolo malo factum judicabitis?

IX. Quid ad hæc Quintius? Sane nihil certum[1], neque unum, in quo non modo possit, verum putet se posse consistere. Primum enim illud injecit[2], nihil

5. *Omnes partes.* Huc spectabat Boethius de Definit. ed. Paris. ann. 1544, p. 23, inquiens: «Hoc etiam pro M. Tullio tenet (Cicero), ubi per enumerationem malorum, per quos fit dolus malus, definitio ita fit, ut singulis speciebus dolus malus possit agnosci». Peyr.

IX. 1. *Nihil certum.* In defensione sua Quintius nullo modo certa via progreditur; et ea quæ ad Fabium excusandum profert, ita infirma sunt, et extra causam quæsita, ut ipse fidem iis adhibere nequeat, nedum judices his verbis possit flectere. Quum autem non certum rei defendendi modum sibi constituerit, apparet plane causam omnino malam esse; namque quid in accusatore impugnet, quid in facto defendat, nescit, et extra causam argumenta quærit. Ed.

2. *Injecit.* Multum diuque hæsi in hac voce legenda; tandem intercepta spatia, atque ipsa fugientia lineamenta me permoverunt, ut scriberem *injecit*, nempe obiter mentionem fecit. Sic ad Attic. XVI, 5: «Bruto quum sæpe injecissem de ὁμονοίᾳ»; et pro Quint. 21: «id, quod Hortensium quia nuper injecit». Peyr.

Digitized by Google

posse dolo malo familiæ fieri : hoc loco non solum fecit, ut defenderet Fabium, sed ut omnino hujuscemodi judicia dissolveret. Nam si venit id in judicium de familia, quod omnino familia nulla potest committere, nullum est judicium; absolvantur omnes de simili [3] causa necesse est. Hoc solum bona [4] mehercule, si hoc solum esset, tamen vos talis viri nolle deseretis maximam rem conjunctam cum summa re fortunisque privatorum, severissimum judicium maximaque ratione compositum per vos videretur esse dissolutum [5]. Sed non id solum agitur..... ego intelligo; et tamen *di*cendum [6] est ad ea, quæ dixit Quintius, non quo ad rem pertineat, sed ne quid, quia a me prætermissum est, pro concesso putetur.

Dicis oportere quæri [7], homines M. Tullii injuria occisi essent, necne. De quo hoc primum quæro, venerit ea res [8] in hoc judicium, necne. Si non venit,

3. *De simili.* Consona *M* vix apparet; penultima litera non bene insignis videtur esse *L*, est tamen ex genere longarum, seu linearium. Cicero, ad Quint. Fr. II, 16 : « de prævaricatione absolutus ». Peyr.

4. *Hoc solum bona.* Mutila hæc omnia. Legendum quidem censeo, « tamen v. t. v. nolletis deserere m. r... ne severissimum judicium ». J. V. L. —*Hoc solum bona.* Hæc et sequentia luculenter leguntur in codice, mutila tamen esse quisque videt, neque facile expedio. Sane pro *nolle* reponendum est *nolite*, tum aliquid deest. Peyr.

5. *Esse dissolutum.* Sensus est : Quando hæc una causa esset, scilicet neminem jam posse hoc teneri judicio, si Fabius absolvatur, vos non sineretis judicio hoc vestro bonos omnes malorum insidiis patere. Ed.

6. *Dicendum.* Primam syllabam *DI* obliteratam supplevi. Posteaquam orator interdictum Luculli declarasset, atque cædem a familia P. Fabii dolo malo factam esse demonstrasset, progreditur ad objecta adversarii diluenda. Peyr.

7. *Quæri.* Contendebat Quintius ædificium M. Tullii, utpote in fundo P. Fabii exstructum, jure fuisse dirutum. Conquerebatur ergo prætoris iniquitatem, qui vocabulum *injuria* non admiserat in interdicto, atque appellaverat tribunos plebis. De ejusmodi appellatione ita Cicero pro Quintio, 20 : « Tribuni igitur appellabantur... non est istud judicium pati, neque judicio defendere, quum auxilium a tribunis petas ». Peyr.

8. *Ea res in hoc judicium.* Ita legere videor fugientia literarum vestigia. Peyr.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

quid attinet aut nos dicere, aut vos quærere? Si autem venit, quid attinuit te tam multis verbis a prætore postulare, ut adderet in judicium INJURIA, et quia, non impetrasses, tribunos plebis appellare, et hic in judicio queri prætoris iniquitatem, quod de INJURIA non addiderit? Hæc quum prætorem postulabas, quum tribunos [9] appellabas; nempe ita [10] dicebas, potestatem tibi fieri oportere, ut, si posses, recuperatores persuaderes, non esse injuria M. Tullio damnum datum. Quod ergo ideo in judicium addi voluisti, ut de eo tibi apud recuperatores dicere liceret; eo non addito, nihilominus tamen ita dicis, quasi id ipsum, a quo detrusus [11] es, impetraris. At quibus verbis in decernendo Metellus [12] usus est, ceteri, quos appellasti. Nonne hæc omnium fuit oratio, quod vi, hominibus armatis coactisve, familia fecisse diceretur, id tametsi [13] nullo jure fieri potuerit, tamen se nihil addituros? Et recte, recuperatores. Nam quum, perfugio nullo constituto, tamen hæc scelera servi audacissime faciant, domini impudentissime confiteantur, quid censetis fore, si prætor judicet ejusmodi cædes [14] fieri jure posse? An quidquam interest, utrum magistratus peccato defensionem constituant, an peccandi potestatem licentiamque permittant? Et-

9. *Quum tribunos.* Particula *quum* vix divinando legi potest. PEYR.

10. *Nempe ita.* Lectu difficilia. PEYR.

11. *Detrusus.* En certas literas **E**** *S***S*, quare legi etiam potest *depulsus*. PEYR.

12. *Metellus.* Opinor esse prætoris nomen, qui interdictum dederat. Jam vero Marcus Cæcilius Metellus prætura gesserat ann. Urb. 684; vide Act. I in Verr. 9 et 10. Q. C. Metellus Celer prætura munere functus est, Cicerone consule, ann. U. 690. At quum suspicari liceat alios etiam Metellos fuisse per illos annos prætores, tum certo statui nequit, quis iste fuerit. PEYR.

13. *Tametsi.* Librarius scripserat *tamensi*, tum emendavit *tametsi*, ita ut litera *T* lateat in litera *N* paullo erasa. PEYR.

14. *Cædes fieri jure.* Codex *cædis*. PEYR.

Digitized by Google

enim, recuperatores, non damno commoventur magistratus, ut in hæc verba judicium dent : nam si id esset, nec recuperatores potius darent, quam judicem; nec in universam familiam [15], sed in eum, *qui*cum[16] nominatim ageretur; nec in quadruplum [17], sed in duplum[18]; et DAMNO adderetur[19] INJURIA. Neque enim is, qui hoc judicium dedit, de ceteris damnis ab lege Aquillia recedit, in quibus nihil agitur, nisi damnum; qua de re prætor animum debet advertere.

X. In hoc judicio videtis agi de vi; videtis agi de hominibus armatis; videtis ædificiorum expugnationes, agri vastationes, hominum trucidationes, incen-

15. *Familiam.* Cod. habet *familia.* PEYR.

16. *Quicum.* Codex *cum.* Ceterum hic legis Aquilliæ actio comparatur cum actione de vi bonorum raptorum, seu cum interdicto Lucculli. Nam ex lege Aquillia, Digest. lib. IX, tit. 2, leg. 32, si familia damnum dederat, persecutio pœnæ non in singulos dabatur, ne ex uno delicto tota familia dominus careret, sed sufficiebat id præstari, quod præstandum foret, si unus liber dedisset damnum injuria; hæc pæne sunt verba Gaii. Contra in actione de Vi bon. rapt. Digest. lib. XLVII, tit. 8, leg. 1, § 14 : « Hæc actio etiam familiæ nomine competit; non imposita necessitate ostendendi qui sunt ex familia homines, qui rapuerunt, vel etiam damnum dederunt ». Apparet ergo Lucullum judicium dedisse « in universam familiam ». PEYR.

17. *In quadruplum.* Interdicti Luculliani pœna erat *in quadruplum*, quod supra c. 2. PEYR.

18. *In duplum.* Ex lege Aquillia ita pœna æstimabatur, « quanti id in eo anno plurimi fuit, tantum æs dare domino damnas esto ». Tamen « adversus inficiantem in duplum actio » erat, teste Gaio et Ulpiano, Digest. l. IX, tit. 2, leg. 2, § 1, et leg. 23, § 10. Confessus quidem fuerat Quintius altera actione, illam cædem ad familiam Fabii pertinere; at, præterquam quod judicium, negante Quintio, institutum fuerat, novimus progressu temporis pœnam legis Aquilliæ fuisse quandoque duplicatam. Sic Digest. lib. XI, tit. 3, de Serv. corr. leg. 5, § 2 : « Hæc actio etiam adversus fatentem in duplum est, quamvis Aquillia inficiantem dumtaxat coerceat ». PEYR.

19. *Damno adderetur.* Codex *damnum adderetur.* Vocabulum *injuria* cardo erat, atque fundamentum actionis Aquilliæ. Contra in actione de Vi bon. rapt. Digest. lib. XLVII, tit. 8, leg. 2, § 22 : « Non utique spectamus rem in bonis actoris esse; sive in bonis sit, sive non sit.... sive bona fide a me possideatur ... dicendum est competere mihi hanc actionem »; ita ut jus, aut injuria nullum habeat locum. PEYR.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

dia, rapinas, sanguinem in judicium venire; et miramini satis habuisse eos, qui hoc judicium dederunt, id quæri, utrum hæc tam acerba, tam indigna, tam atrocia facta essent, necne; non, utrum jure facta, an injuria? Non ergo prætores a lege Aquillia recesserunt[1], quæ de damno est, sed de vi et armatis severum judicium constituerunt; nec jus et injuriam quæri nusquam putarunt oportere, sed eos, qui armis, quam jure, agere maluissent, de jure et injuria disputare noluerunt[2]. Neque ideo de INJURIA non addiderunt, quod in aliis rebus non adderent[3], sed ne ipsi judicarent, posse homines servos jure arma capere, et manum cogere; neque quod putarent, si additum esset, posse hoc talibus viris persuadere, non injuria factum, sed ne quod[4] tamen scutum[5] dare in judicio viderentur iis, quos propter hæc arma in judicium vocavissent.

Fuit illud interdictum apud majores nostros DE VI, quod hodie quoque est, UNDE TU, AUT FAMILIA TUA, AUT PROCURATOR TUUS ILLUM, AUT FAMILIAM, AUT PROCURATOREM ILLIUS IN HOC ANNO VI DEJECISTI; deinde additur illius jam hoc causa, quicum agitur, QUUM

X. 1. *Non ergo prætores a lege Aquillia recesserunt.* Hoc est, nihil statuerunt, quod cum lege Aquillia non conveniret. ED.

2. *Disputare noluerunt.* Ut tollerent omnino e republica injurias et ædificiorum expugnationes, decreverunt, quum damnum ab hominibus armatis esset illatum, non quæri oportere, an injuria fecissent, sed an tantummodo fecissent. Namque putabant nullo modo fieri posse, ut aliquis jure vim inferre posset. ED.

3. *Non adderent.* Si nullo modo de injuria mentionem habuere, hoc non evenit, quod de injuria nusquam quæri posse arbitrarentur, sed quia in tali re supervacaneum de injuria quæri judicabant, quum ipso facto vis et injuria manifeste deprehenderentur. ED.

4. *Sed ne quod.* Sic MS Amed. *Peyron* e conjectura, « sed ne quoddam scutum ». J. V. L.

5. *Scutum dare.* Namque si de injuria hac in lege fuisset scriptum, nullo modo potuissent recte judicia statui, quum diu disputari potuisset de rebus quæ ad causam nullo fere modo pertinebant. ED.

Digitized by Google

ILLE POSSIDERET, et hoc amplius, QUOD NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO POSSIDERET. Multa dantur[6] ei, qui vi alterum detrusisse dicitur; quorum si unum quodlibet probari[7] judici potuerit, etiamsi confessus erit, se vi dejecisse, vincat necesse est, vel non possedisse eum, qui dejectus sit, vel vi possedisse, vel clam, vel precario. Ei, qui de vi confessus esset, tot defensiones tamen ad causam obtinendam majores reliquerunt.

Age illud alterum interdictum consideremus, quod item nunc est constitutum propter eamdem iniquitatem temporum, nimiamque hominum[8]..... ..... boni debent dicere. Atque ille legem mihi de XII Tabulis recitavit, quæ permittit, ut furem noctu liceat occidere, et luci[9], si se telo defendat; et legem antiquam de legibus sacratis, quæ jubeat impune occidi eum, qui tribunum plebis pulsaverit[10]. Nihil, ut opinor, præterea de legibus[11].

XI. Qua in re hoc primum quæro, quid ad hoc judicium recitari istas leges pertinuerit. Num quem tribunum plebis servi M. Tullii pulsaverunt? Non opinor. Num furatum domum P. Fabii noctu venerunt? Ne id quidem. Num luce furatum venerunt, et se telo defenderunt? Dici non potest. Ergo istis legibus,

6. *Multa dantur.* Scilicet multa conceduntur, multa effugia dantur. PEYR.

7. *Probari.* Malim ego *probare.* J. V. L.

8. *Licentiam.* Hoc verbum addidi recolens cap. 2. Puto Ciceronem hic dixisse de interdicto de Vi hominibus armatis. Hoc autem fragmentum anteponendum esse censui proxime sequenti, in quo orator nonnulla objecta a legibus petita diluens tandem subdit «nihil, ut opinor, præterea de legibus». PEYR.

9. *Et luce.* Codex *et luci.* Hanc legem XII Tabularum commemorant Macrobius, Saturnal. Cicero pro Milone, Gaius ad legem Aquilliam, etc.

10. *Pulsaverit.* «Religione inviolatos esse eos [tribunos] tum lege etiam fecerunt». Livius, III, 55. PEYR.

11. *Præterea de legibus.* Nullam aliam legem recitavit, qua fretus se judicio exsolvere aggrederetur. ED.

Digitized by Google

quas recitasti, certe non potuisti istius familia servos M. Tullii occidere.

Non, inquit, ad eam rem recitavi, sed ut hoc intelligeres, non visum esse majoribus nostris tam indignum istuc nescio quid[1], quam tu putas, hominem occidi. At primum istæ ipsæ leges, quas recitas, ut mittam cetera, significant, quam noluerint majores nostri, nisi quum pernecesse esset, hominem occidi. Primum ista lex sacrata est, quam rogarunt armati[2], ut inermes sine periculo possent esse. Quare non injuria quo magistratu[3] munitæ leges sunt, ejus magistratus corpus legibus vallatum esse voluerunt. Furem, hoc est, prædonem et latronem, luce occidi vetant XII Tabulæ, quum intra parietes tuos hostem certissimum teneas, NISI SE TELO DEFENDERIT[4], inquit; etiamsi cum telo venerit, nisi utetur telo eo, ac repugnabit, non occides; QUOD SI[5] REPUGNAVERIT, ENDO-

XI. 1. *Istuc nescio quid.* Hoc est, non adeo indignum atque horribile esse hominem occidi. Ed.

2. *Rogarunt armati.* Quum plebs arma pro libertate sua recuperanda sumpsisset, eas leges decerni voluit quibus contra civium armatorum impotentiam defenderetur. Ed.

3. *Magistratu.* Tribunis scilicet plebis, qui postquam ceteros legibus essent tutati, necessario legum opem requirere sibi ipsi debebant. Ed.

4. *Defenderit.* Codex *defendit.* Par locus est in Miloniana, 3, ubi codices, variatis lectionibus, exhibent *defenderit*, *defenderet*, *defendat.* Discrepant etiam Veteres, qui hanc legem commemorarunt. Gellius, XI, 18 : « Furem... occidi permiserunt, si... interdiu se, quum prenderetur, defenderet ». Julius Paulus, Sent. V, 23, 9 : « Si quis furem... diurnum, quum se telo defenderet, occiderit ». At Ulpianus, VII, 3 ; Gaius, Pand. IX, 2, 4, § 1, et XLVII, 2, 54, § 2, legunt *defendat.* Augustinus, Quæst. in Exod. II, 84, laudans ipsum Milonianæ locum, ait : « Hoc et in legibus antiquis... invenitur, impune occidi nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit ». Sed cum Garatonio [ad hunc Milonianæ locum] observandum est, ei verbo congruere tempora oportere, a quo pendeat infinitivus. Jam in Augustino pendet ab *invenitur*, in Gellio a *permiserunt*, in Miloniana a *voluerunt.* Hoc vero Scaurinæ loco pendet a *vetant.* Peyr.

5. *Quod si.* Codex *quos si*, dubito tamen hic quidpiam latere veteris orthographiæ. De voce *endoplorato* ita Festus : « Endoplorato : implorato, quod est cum quæstione inclamare.

Digitized by Google

PLORATO, hoc est, conclamato, ut aliqui audiant et conveniant. Quid ad hanc clementiam addi potest? qui ne hoc quidem permiserint, ut domi suæ caput suum sine testibus et arbitris[6] ferro defendere liceret.

Quid est, cui magis ignosci conveniat, quoniam me ad XII Tabulas revocas, quam si quis quem imprudens occiderit? Nemo, opinor. Hæc enim tacita lex est humanitatis, ut ab homine consilii, non fortunæ, pœna repetatur. Tamen hujusce rei veniam majores non dederunt. Nam lex est in XII Tabulis, SI TELUM MANU FUGIT[7] MA.....

XII..... Tamen verum[1] factum esset, non modo servos : tamen in eo ipso loco, qui tuus esset, non modo servos M. Tullii occidere jure non potuisti; verum etiam si tectum, hoc insciente[2], aut per vim demolitus esses, quod hic in tuo ædificasset, et suum esse defenderet, id per vim aut clam[3] factum judica-

Implorare namque est cum fletu rogare, quod est proprie vapulantis ». PEYR.

6. *Arbitris.* Codex *arbitriis*. PEYR.

7. *Magis quam jecit.* Cicero, Topic. 17 : « Nam jacere telum, voluntatis est; ferire quem nolueris, fortunæ. Ex quo aries ille subjicitur in vestris actionibus : si telum manu fugit magis, quam jecit ». Idem in Orator. III, 39 : « Nonnumquam etiam brevitas translatione conficitur, ut illud, *si telum manu fugit.* Imprudentia teli emissi brevius propriis verbis exponi non potuit, quam est uno significata translato ». Ita ergo mutilus contextus supplendus videbatur. PEYR.

XII. 1. *Tamen verum.* Hæc turbata esse quisque videt; paria verba *tamen*, et *non modo servos* fefellerunt librarium. Posteaquam Cicero diluerat ea, quæ ex legibus opponebat Fabius, in hoc fragmento refutat ea, quæ ex familia Tullii objiciebat. PEYR.

2. *Hoc insciente. Hoc*, ablativo casu, nempe Tullio. PEYR.

3. *Per vim aut clam.* Quam recte hæc affirmasset Cicero, patet ex Ulpiano, Dig. lib. XLIII, t. 24, *quod vi aut clam*, leg. 1 : « Hoc interdictum restitutorium est... Et parvi refert, utrum jus habuerit faciendi, an non; sive enim jus habuit, sive non, tamen tenetur Interdicto, propter quod Vi aut clam fecit... *Vi factum* videri Quintus Mucius scripsit, si quis contra, quam prohiberetur, fecerit ». Tum lege 3, § 7 : « *Clam facere* videri Cassius scribit eum, qui celavit adversarium, neque ei denuntiavit : si modo timuit ejus controversiam, aut debuit timere. Idem Aristo putat, eum quoque clam facere, qui celandi animo habet eum, quem prohibiturum se in-

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

quas recitasti, certe non potuisti istius familia servos M. Tullii occidere.

Non, inquit, ad eam rem recitavi, sed ut hoc intelligeres, non visum esse majoribus nostris tam indignum istuc nescio quid[1], quam tu putas, hominem occidi. At primum istæ ipsæ leges, quas recitas, ut mittam cetera, significant, quam noluerint majores nostri, nisi quum pernecesse esset, hominem occidi. Primum ista lex sacrata est, quam rogarunt armati[2], ut inermes sine periculo possent esse. Quare non injuria quo magistratu[3] munitæ leges sunt, ejus magistratus corpus legibus vallatum esse voluerunt. Furem, hoc est, prædonem et latronem, luce occidi vetant XII Tabulæ, quum intra parietes tuos hostem certissimum teneas, NISI SE TELO DEFENDERIT[4], inquit; etiamsi cum telo venerit, nisi utetur telo eo, ac repugnabit, non occides; QUOD SI[5] REPUGNAVERIT, ENDO-

XI. 1. *Istuc nescio quid.* Hoc est, non adeo indignum atque horribile esse hominem occidi. Ed.

2. *Rogarunt armati.* Quum plebs arma pro libertate sua recuperanda sumpsisset, eas leges decerni voluit quibus contra civium armatorum impotentiam defenderetur. Ed.

3. *Magistratu.* Tribunis scilicet plebis, qui postquam ceteros legibus essent tutati, necessario legum opem requirere sibi ipsi debebant. Ed.

4. *Defenderit.* Codex *defendit.* Par locus est in Miloniana, 3, ubi codices, variatis lectionibus, exhibent *defenderit*, *defenderet*, *defendat.* Discrepant etiam Veteres, qui hanc legem commemorarunt. Gellius, XI, 18 : « Furem... occidi permiserunt, si... interdiu se, quum prenderetur, defenderet ». Julius Paulus, Sent. V, 23, 9 : « Si quis furem... diurnum, quum se telo defenderet, occiderit ». At Ulpianus, VII, 3 ; Gaius, Pand. IX, 2, 4, § 1, et XLVII, 2, 54, § 2, legunt *defendat.* Augustinus, Quæst. in Exod. II, 84, laudans ipsum Milonianæ locum, ait : « Hoc et in legibus antiquis... invenitur, impune occidi nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit ». Sed cum Garatonio [ad hunc Milonianæ locum] observandum est, ei verbo congruere tempora oportere, a quo pendeat infinitivus. Jam in Augustino pendet ab *invenitur*, in Gellio a *permiserunt*, in Miloniana a *voluerunt.* Hoc vero Scaurinæ loco pendet a *vetant.* Peyr.

5. *Quod si.* Codex *quos si*, dubito tamen hic quidpiam latere veteris orthographiæ. De voce *endoplorato* ita Festus : « Endoplorato : implorato, quod est cum quæstione inclamare.

Digitized by Google

PLORATO, hoc est, conclamato, ut aliqui audiant et conveniant. Quid ad hanc clementiam addi potest? qui ne hoc quidem permiserint, ut domi suæ caput suum sine testibus et arbitris[6] ferro defendere liceret.

Quid est, cui magis ignosci conveniat, quoniam me ad XII Tabulas revocas, quam si quis quem imprudens occiderit? Nemo, opinor. Hæc enim tacita lex est humanitatis, ut ab homine consilii, non fortunæ, pœna repetatur. Tamen hujusce rei veniam majores non dederunt. Nam lex est in XII Tabulis, SI TELUM MANU FUGIT[7] MA.....

XII..... Tamen verum[1] factum esset, non modo servos : tamen in eo ipso loco, qui tuus esset, non modo servos M. Tullii occidere jure non potuisti; verum etiam si tectum, hoc insciente[2], aut per vim demolitus esses, quod hic in tuo ædificasset, et suum esse defenderet, id per vim aut clam[3] factum judica-

Implorare namque est cum fletu rogare, quod est proprie vapulantis ». PEYR.

6. *Arbitris.* Codex *arbitriis.* PEYR.

7. *Magis quam jecit.* Cicero, Topic. 17 : « Nam jacere telum, voluntatis est; ferire quem nolueris, fortunæ. Ex quo aries ille subjicitur in vestris actionibus : si telum manu fugit magis, quam jecit ». Idem in Orator. III, 39 : « Nonnumquam etiam brevitas translatione conficitur, ut illud, *si telum manu fugit.* Imprudentia teli emissi brevius propriis verbis exponi non potuit, quam est uno significata translato ». Ita ergo mutilus contextus supplendus videbatur. PEYR.

XII. 1. *Tamen verum.* Hæc turbata esse quisque videt; paria verba *tamen*, et *non modo servos* fefellerunt librarium. Posteaquam Cicero diluerat ea, quæ ex legibus opponebat Fabius, in hoc fragmento refutat ea, quæ ex familia Tullii objiciebat. PEYR.

2. *Hoc insciente. Hoc*, ablativo casu, nempe Tullio. PEYR.

3. *Per vim aut clam.* Quam recte hæc affirmasset Cicero, patet ex Ulpiano, Dig. lib. XLIII, t. 24, *quod vi aut clam*, leg. 1 : « Hoc interdictum restitutorium est... Et parvi refert, utrum jus habuerit faciendi, an non; sive enim jus habuit, sive non, tamen tenetur Interdicto, propter quod Vi aut clam fecit... *Vi factum* videri Quintus Mucius scripsit, si quis contra, quam prohiberetur, fecerit ». Tum lege 3, § 7 : « *Clam facere* videri Cassius scribit eum, qui celavit adversarium, neque ei denuntiavit : si modo timuit ejus controversiam, aut debuit timere. Idem Aristo putat, eum quoque clam facere, qui celandi animo habet eum, quem prohibiturum se in-

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

retur. Tu ipse jam statue, quam verum sit, quum paucas tegulas[4] dejicere impune familia tua non potuerit, maximam cædem sine fraude facere potuisse. Ego ipse, tecto illo disturbato, si hodie postulem, quod vi aut clam factum sit, tu aut per arbitrum restituas[5], aut sponsione condemneris, necesse est. Nunc hoc probabis viris talibus, quum ædificium tuo jure disturbare non potueris, quod esset, quemadmodum tu vis, in tuo, homines, qui in eo ædificio fuerint, te tuo jure potuisse occidere?

At servus[6] meus non comparet, qui visus est cum tuis; at casa mea est incensa a tuis. Quid ad hæc respondeam? Ostendi falsa esse: verumtamen confitebor. Quid postea? hoc sequitur, ut familia M. Tullii concidi oportuerit? Vix mehercule, ut corium[7] peti; vix, ut gravius expostulari. Verum, ut esses durissi-

tellegerit, et id existimat, aut existimare debet, se prohibitum iri ». Patet ergo *hoc insciente*, ablativo casu intelligendum esse. PEYR.

4. *Paucas tegulas*. « Si quis ædificium demolitus fuerit, quamvis non usque ad solum, quin interdicto teneatur, dubitari desiit. Proinde et si tegulas de ædificio sustulerit, magis est, ut interdicto teneatur ». Ulpianus, lib. I, leg. 7, § 9, 10. PEYR.

5. *Restituas*. Solemne hoc prætoris verbum servat formula interdicti in Digest. l. l. In privatis controversiis consuevisse petitorem sponsione certæ pecuniæ adversarium lacessere norunt omnes. PEYR.

6. *Ad servus*. Ita pro *at*. Inde videre licet servum P. Fabii, qui Tullii familiam adierat, ita ex hominum oculis evanuisse, ut Fabius ratus illum fuisse a servis Tullii interemptum, horum cæde ulciscereturservi mortem. Idem etiam contendebat suam casam a familia M. Tullii fuisse incensam. PEYR.

7. *Ut corium peti*. Ita codex Inculentissime. *Corium* pro hominis pelle atque toto corpore quandoque comici scriptores usurpant; ut *petere corium* sit vitam alicujus, vel aliquem aggredi, quemadmodum, metaphora a gladiatoribus ducta, Cicero pro Murena aiebat: « Sciebam Catilinam non latus aut ventrem, sed caput et collum petere solere ». Verum petebatne Fabius vitam M. Tullii? Nonne contextus exposcit comparativum adverbium ante vocem *peti*, tum etiam *possit*, vel simile verbum? Quare quum unum et alterum vocabulum desit, tum conjicio integrum versum fuisse a librario prætermissum in pervetusto cod. qui fortasse dabat: « erit vix mehercule ut cotingat ferocius adversarium peti, etc. » Meliora ab aliis exspecto. PEYR.

Digitized by Google

mus, agi quidem usitato jure et quotidiana actione potuit : quid opus fuit vi? quid armatis hominibus? quid cæde? quid sanguine?

www.libtool.com.cn

At enim oppugnatum me fortasse venissent. Hæc est illorum in causa perdita extrema non oratio, neque defensio, sed conjectura, et quasi divinatio. Illi oppugnatum venturi erant? Quem? Fabium. Quo consilio? Ut occiderent. Quam ob causam? quid ut proficerent? qui comperisti? Et ut rem perspicuam quam paucissimis verbis agam, dubitari hoc potest, recuperatores, utri oppugnasse videantur, qui ad villam venerunt, an qui in villa manserunt? qui occisi sunt, an ii, ex quorum numero saucius factus est nemo? quibus, cur facerent, causa non fuit, an ii, qui fecisse se confitentur? Verum, ut hoc tibi credam, metuisse te, ne oppugnarere : quis hoc statuit umquam[8], aut cui concedi sine summo omnium periculo potest[9], ut eum jure potuerit occidere, a quo metuisse se dicat, ne ipse posterius occideretur?...

XIII. Hoc judicium sic exspectatur, ut non unæ rei statui, sed omnibus constitui putetur. *Priscianus*, VI, *pag.* 678, *ed. Putsch.*

Dico, vim factam a P. Fabii familia[1] : adversarii non negant. Damnum datum esse M. Tullio concedis :

8. *Statuit umquam.* Codex *statutumquam.* Peyr.

9. *Potest, ut eum.* In his verbis finem facit folium Taurinense. Cetera habui ex Quintiliano, Inst. V, 13, qui locum ita recitat : « Quis hoc statuit umquam, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum jure potuerit occidere, a quo metuisse se dicat, ne ipse posterius occideretur? »

XIII. 1. *A familia P. Fabii commissam.* Lego, « Fabii vim commissam ». Nam in superiore fragmento sic loquitur : « Dico vim factam a P. Fabii familia, adversarii non negant ». Et idem, « Vi, hominibus armatis : non negas ». Alioqui quid sit *commissam*, non intelligo. Nam commissam rem non placet : quam prius gestam dixit. Verendum autem quoque esse arbitror, ne hoc fragmentum cum superiore idem sit, verbis tantum diversis a diversis auctoribus Victorino et Marciano recitatum. Peyr.

Digitized by Google

vici unam rem. Vi, hominibus armatis, non negas : vici alteram. Dolo malo factum negas : de hoc judicium est. *Victorinus ad Rhetoric. Ciceronis*, I, 57.

Damnum passum[2] esse M. Tullium, convenit mihi cum adversario; vi, hominibus armatis rem esse gestam, non infitiantur; a familia P. Fabii commissam negare non audent : an dolo malo factum sit, ambigitur. *Marcianus Capella*, V, *c. de Partitione.*

Si quis furem[3] occiderit, injuria occiderit. Quam-

2. *Damnum passum esse.* Repetitio prioris sententiæ mutatis verbis. Quod ait de dolo malo, id ejusmodi esse tradit Severinus in libro de Definitionibus. Hoc etiam pro M. Tullio tenet Cicero, ubi per enumerationem malorum, per quos fit dolus malus, definitio ita fiet, ut singulis speciebus dolus malus possit agnosci. Ed.

3. *Si quis furem.* Solebat Sigonius, pro sua humanitate, et erga me benivolentia singulari, quo tempore priorem fragmentorum suorum editionem adornabat, ut fere quodque folium ex officina librarii exierat, id ad me Venetiis Patavium mittere : itaque quum ejus etiam orationis ad me folium misisset homo officiosissimus, scripsi verecunde, videri postremum hunc orationis locum non optime habere, corrigendumque ad eum fortassis modum esse, ut pro, « Quid si se telo defenderit? injuria », legeretur, « Quid si se telo defenderit? haud injuria ». Quam nostram emendationem quomodo tum acceperit vir eruditissimus, satis indicavit, quum ita fere ad finem ejusdem editionis adjiciendum curaverit : « Quid si se telo defenderit? injuria : quid ita? quia constitutum est ». Andr. inquit, Patricius Polonus acute vidit legendum esse « Haud injuria ». Ita enim sententiæ ratio postulat ut legatur. Nunc, etsi de veritate emendationis, approbante Sigonio, dubitare non oporteat, tamen quibus rebus adductus ad emendationem ipsam descenderim, putavi mihi breviter esse exponendum : idque etiam hoc magis, quod ea deinde nullo, ut puto, auctoris ipsius studio, sed tamen typographorum, ut fit, errore deformata ac perversa esse videatur. Legunt enim totum fragmentum sic : « Si quis furem occiderit, haud injuria occiderit, quamobrem? quia jus constitutum nullum est : quid si se telo defenderit? injuria : quid ita? quia constitutum est ». Qua quidem sane lectione, particula *haud* de inferiore ad superiorem locum importunissime translata est. Sed nos ad rationem emendationis nostræ veniamus. Habet Cicero in ea pro Milone, sub initium, « Quod si duodecim tabulæ nocturnum furem quoquomodo, diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impune voluerunt, quis est, qui », et quæ sequuntur. Gellius autem scribit, lib. XI, cap. 11 : « IX decemviri, inquit, furem, qui manifesto furto prehensus esset, tum demum occidi permiserunt, si, aut, quum faceret furtum, nox esset, aut interdiu se telo, quum prehenderetur, defenderet ». Nota est igitur sententia XII Ta-

Digitized by Google

obrem? quia jus constitutum nullum est. Quid, si se telo defenderit? Non injuria. Quid ita? quia constitutum est. *Rufinianus, in Apophasi.*

bularum, « furem, si se telo defendisset, perimi sine injuria » licuisse. Sed et in libris veterum jurisconsultorum exstant ejus rei aperta vestigia : scribit enim Ulpianus leg. Nec timorem. Dig. de eo, quod metus causa : « Non omnem, inquit, adulterum licet occidere, vel furem, inquit, nisi se telo defendat ». Apertissime autem Gaius in leg. Itaque Dig. ad eamdem leg. Aquil. « lex duodecim tabularum, inquit, furem noctu deprehensum occidere permittit, ut tamen id ipsum cum clamore testificetur : interdiu autem deprehensum ita permittit occidere, si is se telo defendat, ut tamen æque cum clamore testificetur ». Et post L. Si pignore. Furem. D. Furtis : « furem, inquit, interdiu deprehensum non aliter occidere lex XII Tabularum permisit, quam si se telo defendat ». Quæ sententia etiam ab Augustino, l. XII, quæstionum super exodum usurpata, in ipsos quoque sacrarum legum canones, totidem pæne verbis relata est, addita etiam ratione, quod qui se telo defendat fur, jam amplius is, quam fur sit, cap. Si perfodiens. Extra de homicidis. Unde Marcianus quoque, c. 1, l. 1, D. ad L. Corneliam de sicariis, lege Cornelia teneri scribit, non modo qui hominem occiderit, sed etiam qui illius occidendi, furtive faciendi causa cum telo ambulaverit. Quum igitur hoc quidem loco ad illarum legum vim et rationem manifeste orator respiciat, profecto quemadmodum quidem locus legi debeat, dubitari nihil potest. Quod autem hic de fure loquitur Cicero, id de adulteris quoque M. Cato loquutus fuisse videtur in oratione de dote, cujus fragmentum exstat apud Gellium, lib. X, c. 23. « In adulterio, inquit, uxorem tuam si deprehendisses, sine judicio impune necares, illa te, si adulterares, digito non auderet contingere, neque jus est ». Dicit enim jus esse, quod Cicero constitutum esse, vel etiam, jus constitutum esse. Fragmentum ex Rufiniano sumptum est in Apophasi. Cohæret autem mirifice cum eo, quod præcessit : « Quis hoc statuit umquam, etc. » ut inde ad hunc ferme modum videatur esse inferendum : « Ne ipse posterius occideretur : hujus autem rei tanta vis est, ut id fere solum licere nobis putemus, quod lege statuitur, quod non statuitur, non putemus : si quis furem, etc. » PATA.

Digitized by Google

PRO L. VARENO[1].

Amici deficiunt[2], cognati deserunt. *Severianus*, *p.* 345, *ed. Capperon.*

In inimicissima civitate urgent, instant, insequuntur; studio, multitudine, pecunia, perjurio pugnant. *Id. ibid.*

C. Ancharius[3] Rufus fuit e municipio Fulginate. *Priscianus*, VII, *p.* 768.

1. *Vareno.* L. etiam Varenum videtur iisdem prope temporibus inter sicarios defendisse, quum ei objiceretur, quod C. Vareno necem attulisset: quod crimen Cicero negavit, atque in Ancharii familiam avertit: quod ipsum, etsi ex fragmentis collectis video facile intelligi posse, tamen, rhetorum etiam gravissimorum testimoniis, visum est faciendum, ut confirmarem. Quintil. lib. VIII, c. 11, «Interdum, inquit, in certam, aut in extrariam, aut in ejus ipsius, qui periit, voluntatem crimen transfertur, in quibus similis, atque in ἀντικατηγορία personarum, causarum, ceterorum comparatio est: ut Cicero pro Vareno in familiam Ancharianam avertens crimen facit»: et paullo post: «Cicero singula pro Vareno comparat in primo crimine»; et l. VI, c. 11: «Egregie Cicero contra juvenem, cujus subinde vulnus in judicio resolvebatur, pro Vareno multa dixit urbane»; et l. VII, c. 1: «Anteactæ vitæ crimina plerumque prima purganda sunt: ut id, de quo laturus est sententiam judex, audire propitius incipiat; sed hoc quoque pro Vareno in ultimum distulit, non quid frequentissime, sed quid tum expediret, intuitus»; et l. IV, c. 2: «Ergo hæ quoque quæstiones vim procemii obtinebunt, quum omnes judicem præparaverint; sed aliter pro Vareno reo postea quoque narravit, quam objecta diluit. Quod fiet utiliter, quoties crimen non repellendum tantum, sed etiam transferendum erit, ut prius his defensis velut initium sit alium culpandi narratio». Hujus etiam orationis meminit Plinius Epistolarum libro primo, ad Tacitum: «Testes sunt multæ multorum orationes, et Ciceronis pro Murena, pro Vareno, in quibus brevis, et nuda quasi subscriptio quorumdam criminum solis titulis indicatur: ex his apparet, illum permulta dixisse, quum ederet, omisisse». Damnatum autem eum esse tradit Quintilianus, libro XII, his verbis: «Quod Cicero vehementissimo multis orationibus tractat, præcipue tamen pro Vareno, qui omnibus malis premebatur: nam et est damnatus». Sig.

2. *Amici deficiunt.* Hæc et sequentia ex procemio videntur sumpta. Severianus id ostendit, quum ait: «Sunt etiam alii loci communes, qui principiis aptantur, ut misericordiam captent, quum aut adversariorum calumnias, factiones, solitudinem suscepti, vel cetera ejus infortunia memoramus. Sic pro Vareno: «Amici deficiunt, cognati deserunt»: et rei, aut accusatorum calumniam prodimus, ut in eodem loco: «In inimicissima civitate urgent, instant, etc.» Sigon.

3. *C. Anch.* Narratio videtur. Sig.

Digitized by Google

In præfectura Fulginate. *Id. ibid.*

Quum iter[4] per agros et loca sola faceret cum Populeno, in familiam Ancharianam incidisse dixerunt; deinde Populenum occisum esse; illico Varenum vinctum, adservatum, dum hic ostenderet, quid de eo fieri vellet. *Quintilianus*, V, 13.

In legem de sicariis commisit L. Varenus. Nam C. Varenum[5] occidendo, et Cnæum vulnerando, et Salarium item occidendo, cadit. *Id.* VII, *c.* 1.

Tum C. Varenus[6], is, qui a familia Anchariana occisus est (hoc quæso, judices, diligenter attendite)... *Id.* IV, 1.

L. ille Septimius[7] diceret; etenim est ad L. Crassi eloquentiam gravis, et vehemens, et volubilis. Erucius hic noster, Antoniaster est. *Id.* VIII, 3; *Priscianus*, III, *p.* 617.

4. *Quum iter per agros.* Quintilianus, lib. V, cap. 13 : « Præterea in contradictionibus interim totum crimen exponitur, ut Cicero pro Scauro contra Bostarem facit, velut orationem diversæ partis imitatus, aut pluribus propositionibus junctis, ut pro Vareno : « Quum iter per agros, etc. » Quod est utique faciendum, si erit incredibilis rei ordo, et ipsa expositione fidem perditurus ». Quod scriptum est autem : « Quum iter per loca sola faceret », simile est atque illud Sallustii in Jugurthino : « Cum parte equitatus proficiscitur in loca sola, obsessum turrim regiam ». Loca enim sola Veteres pro solitudine posuerunt. Sigon.

5. *Nam C. Varenum.* Videndum an Ciceronis sit. Quintilianus enim neminem citat, sed exempli tantum loco ponit. Cujuscumque autem sit, pro « L. Varenum occidendo », quod olim legebatur, lego, « C. Varenum occidendo » : sicut et Aldini libri indicant, et res ipsa. Pata.

6. *Tum C. Varenus.* Quintilianus, lib. IV, cap. 1 : « Judices et in narratione nonnumquam, et in argumentis, ut attendant, et ut faveant, rogamus, quale est Ciceronis pro L. Vareno : « Qui a familia Anchariana occisus est : hoc quæso, judices, diligenter attendite »; et lib. IX, 11 : « Brevior illa, ut ait Cicero, a re digressio fit multis modis; sed hæc, exempli causa, sufficient : Tum C. Varenus, is, qui a familia Anchariana occisus est : hoc quæso, judices, diligenter attendite ». Sigon.

7. *L. ille Septimius.* Significat L. Septimium L. Crassi, Erucium M. Antonii, nobilissimorum quondam oratorum, fuisse similes. Erucium autem fortasse intellexit eum, cui ipse respondit pro Sex. Roscio Ameriuo. Sig.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

PRO L. VARENO[1].

Amici deficiunt[2], cognati deserunt. *Severianus*, *p.* 345, *ed. Capperon.*

In inimicissima civitate urgent, instant, insequuntur; studio, multitudine, pecunia, perjurio pugnant. *Id. ibid.*

C. Ancharius[3] Rufus fuit e municipio Fulginate. *Priscianus*, VII, *p.* 768.

1. *Vareno.* L. etiam Varenum videtur iisdem prope temporibus inter sicarios defendisse, quum ei objiceretur, quod C. Vareno necem attulisset: quod crimen Cicero negavit, atque in Ancharii familiam avertit: quod ipsum, etsi ex fragmentis collectis video facile intelligi posse, tamen, rhetorum etiam gravissimorum testimoniis, visum est faciendum, ut confirmarem. Quintil. lib. VIII, c. 11, «Interdum, inquit, in certam, aut in extrariam, aut in ejus ipsius, qui periit, voluntatem crimen transfertur, in quibus similis, atque in ἀντικατηγορίᾳ personarum, causarum, ceterorum comparatio est: ut Cicero pro Vareno in familiam Ancharianam avertens crimen facit»: et paullo post: «Cicero singula pro Vareno comparat in primo crimine»; et l. VI, c. 11: «Egregie Cicero contra juvenem, cujus subinde vulnus in judicio resolvebatur, pro Vareno multa dixit urbane»; et l. VII, c. 1: «Anteactæ vitæ crimina plerumque prima purganda sunt: ut id, de quo laturus est sententiam judex, audire propitius incipiat; sed hoc quoque pro Vareno in ultimum distulit, non quid frequentissime, sed quid tum expediret, intuitus»; et l. IV, c. 2: «Ergo hæ quoque quæstiones vim procemii obtinebunt, quum omnes judicem præparaverint; sed aliter pro Vareno reo postea quoque narravit, quam objecta diluit. Quod fiet utiliter, quoties crimen non repellendum tantum, sed etiam transferendum erit, ut prius his defensis velut initium sit alium culpandi narratio». Hujus etiam orationis meminit Plinius Epistolarum libro primo, ad Tacitum: «Testes sunt multæ multorum orationes, et Ciceronis pro Murena, pro Vareno, in quibus brevis, et nuda quasi subscriptio quorumdam criminum solis titulis indicatur: ex his apparet, illum permulta dixisse, quum ederet, omisisse». Damnatum autem eum esse tradit Quintilianus, libro XII, his verbis: «Quod Cicero vehementissimo multis orationibus tractat, præcipue tamen pro Vareno, qui omnibus malis premebatur: nam et est damnatus». Sig.

2. *Amici deficiunt.* Hæc et sequentia ex procemio videntur sumpta. Severianus id ostendit, quum ait: «Sunt etiam alii loci communes, qui principiis aptantur, ut misericordiam captent, quum aut adversariorum calumnias, factiones, solitudinem suscepti, vel cetera ejus infortunia memoramus. Sic pro Vareno: «Amici deficiunt, cognati deserunt»: et rei, aut accusatorum calumniam prodimus, ut in eodem loco: «In inimicissima civitate urgent, instant, etc.» Sigon.

3. *C. Anch.* Narratio videtur. Sig.

Digitized by Google

In præfectura Fulginate. *Id. ibid.*

Quum iter[4] per agros et loca sola faceret cum Populeno, in familiam Ancharianam incidisse dixerunt; deinde Populenum occisum esse; illico Varenum vinctum, adservatum, dum hic ostenderet, quid de eo fieri vellet. *Quintilianus*, V, 13.

In legem de sicariis commisit L. Varenus. Nam C. Varenum[5] occidendo, et Cnæum vulnerando, et Salarium item occidendo, cadit. *Id.* VII, *c.* 1.

Tum C. Varenus[6], is, qui a familia Anchariana occisus est (hoc quæso, judices, diligenter attendite)... *Id.* IV, 1.

L. ille Septimius[7] diceret; etenim est ad L. Crassi eloquentiam gravis, et vehemens, et volubilis. Erucius hic noster, Antoniaster est. *Id.* VIII, 3; *Priscianus*, III, *p.* 617.

4. *Quum iter per agros.* Quintilianus, lib. V, cap. 13 : « Præterea in contradictionibus interim totum crimen exponitur, ut Cicero pro Scauro contra Bostarem facit, velut orationem diversæ partis imitatus, aut pluribus propositionibus junctis, ut pro Vareno : « Quum iter per agros, etc. » Quod est utique faciendum, si erit incredibilis rei ordo, et ipsa expositione fidem perditurus ». Quod scriptum est autem : « Quum iter per loca sola faceret », simile est atque illud Sallustii in Jugurthino : « Cum parte equitatus proficiscitur in loca sola, obsessum turrim regiam ». Loca enim sola Veteres pro solitudine posuerunt. Sigon.

5. *Nam C. Varenum.* Videndum an Ciceronis sit. Quintilianus enim neminem citat, sed exempli tantum loco ponit. Cujuscumque autem sit, pro « L. Varenum occidendo », quod olim legebatur, lego, « C. Varenum occidendo » : sicut et Aldini libri indicant, et res ipsa. Pata.

6. *Tum C. Varenus.* Quintilianus, lib. IV, cap. 1 : « Judices et in narratione nonnumquam, et in argumentis, ut attendant, et ut faveant, rogamus, quale est Ciceronis pro L. Vareno : « Qui a familia Anchariana occisus est : hoc quæso, judices, diligenter attendite »; et lib. IX, 11 : « Brevior illa, ut ait Cicero, a re digressio fit multis modis; sed hæc, exempli causa, sufficient : Tum C. Varenus, is, qui a familia Anchariana occisus est : hoc quæso, judices, diligenter attendite ». Sigon.

7. *L. ille Septimius.* Significat L. Septimium L. Crassi, Erucium M. Antonii, nobilissimorum quondam oratorum, fuisse similes. Erucium autem fortasse intellexit eum, cui ipse respondit pro Sex. Roscio Amerino. Sig.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

Ea cædes[8] si potissimum[9] crimini datur, detur ei, cuja interfuit; non ei, cuja nihil interfuit. *Priscianus*, XII, *p.* 950.

www.libool.com.cn

Optio vobis[10] datur, utrum velitis, casu illo itinere Varenum esse usum, an hujus persuasu et inductu. *Quintilianus*, V, 10.

Deum fidem! *Priscianus*, VII, *p.* 743.

8. *Ea cædes.* Hoc dictum est convenienter ei sententiæ, quam pro Sex. Roscio, et pro T. Milone usurpavit : « Cui bono ». Sig.

9. *Ea cædes si potissimum.* Reposui τὸ *potissimum* ex meo Prisciano, lib. XII, in fine. Nisi quod ibi quoque non suo loco repositum videtur. Plane enim ita sentio legendum esse : « Ea cædes si crimini datur, detur ei potissimum cuja interfuit, etc. » Patric.

10. *Optio vobis datur.* Quintilianus, lib. V, cap. 10 : « Fit ex duobus, quorum necessaria est alterutrum eligendi adversario potestas : efficiturque, ut, utrum elegerit, noceat. Facit hoc Cicero pro Vareno : Optio vobis datur, utrum velitis, etc. deinde utraque facit accusatori contraria ». Sigon.

QUUM QUÆSTOR LILYBÆO DECEDERET[1].

. . . . Quod non detrectare[2] militiam, sed defen-

1. *Decederet.* Vestigia ejus orationis ex Asconio apertissime deprehendi possunt, tum in præfatione in Divinationem Ciceronis, tum paullo post, in explicatione illorum verborum, sæpe esse pollicitum. Quibus utrisque ex locis apparet institutam a Cicerone hanc fuisse orationem, ut quæsturam suam rebus et officiis multis hactenus Lilybætanis commendatam, verbis etiam ad extremum commendatam redderet, atque adeo significaret, se, etiam absentem non modo cœptam erga provinciales homines benivolentiam Romæ conservaturum, sed eam quoque libenter, omnibus suis et assiduis officiis auctiorem facturum esse : si modo umquam tempus aliquod idoneum inciderit declarandæ suæ in illos perpetuæ voluntatis : editam autem ab illo eo consilio putarem, quo post ea etiam orationes suas consulares ediderat, nimirum ut, quemadmodum illæ consulatus, sic hæc quæsturæ ipsius quasi monumentum exstaret : in quo primo veluti gradu honorum, administrandæque reip. tantam sibi continentiæ, diligentiæ humanitatisque laudem comparasse videbatur, ut nullam umquam ullius quæsturam præstantiorem et clariorem fuisse existimaret. Qua de re Plutarchus in ejus vita, et ipse Cicero in defensione Planci. Tempus porro quo ea oratio habita est, quum ex iisdem quorum paullo ante meminimus Pediani locis colligi, tum ex ipsa quoque orationis inscriptione, et libro de claris Orato-

Digitized by Google

dere provinciam judicata est. *Fronto, Exempl. eloc. ed. A. Maii, p.* 375.

www.libtool.com.cn

ribus plane cognosci potest. Ex libro, inquam, de claris Oratoribus illo loco: « Quum rediissemus ex Asia, causas nobiles egimus quum quæsturam nos, consulatum Cotta, ædilitatem peteret Hortensius: interim me quæstorem Siciliensis excepit annus: Cotta ex consulatu profectus est in Galliam: princeps et erat, et habebatur Hortensius. Quum autem anno post e Sicilia me accepissem, etc. » Patr.

2. *Quod non detrectare.* Fragmentum recens allatum a me ex Frontonis quodam libro, qui continet exempla elocutionum. Quem quidem librum, quum Jo. Zamoscius noster, adolescens literatissimus, ex Italia in Poloniam ad me misisset, quoniam antea quoque ex eo Sigonius quadraginta fere alia fragmenta elicuerat, inque suam posteriorem editionem transtulerat, dedi et ipse operam, ut inde etiam et huic nostræ commentationi accessio nonnulla quæsita esse videretur. Vidi autem præterea alium ejusdem auctoris librum, inscriptum de nominum verborumque differentiis, sed eo libro noster quidem hic labor minime potuit adjuvari. Hunc sane grammaticum Gellius, lib. II, cap. 26, facit de coloribus cum Phavorino philosopho disputantem: itemque cum quodam alio de verbis Quadrigarii historici, lib. XIII, cap. antepenultimo, et de verbis Ennii, lib. XIX, cap. 10; libro autem XIX, c. 13, ostendere videtur discipulum fuisse Sulpicii Apollinaris. Brevitatem et siccitatem ipsius in epistolis comprobat Macrobius in Saturnalibus. Fragmentum porro hoc citatur ab eo, illo in lib. qui, ut dixi, exempla elocutionum complectitur, ad demonstrandam hanc locutionis formulam, « Detrecto hanc rem ». Patr.

PRO P. OPPIO[1].

Utrum quum Cottam appetisset, an quum ipse

1. *P. Oppio.* P. Oppium M. Cottæ fuisse quæstorem ejus, qui cum L. Lucullo consul Propontidem et Bithyniam provinciam sortitus bellum adversus Mithridatem, Ponti regem, parum feliciter est molitus; eumque Cottam ob insidiarum suspicionem a se removisse tradit Dio, lib. XLVI: Defendisse autem hunc videtur de majestate, quum crimini daretur, quod de cibariis militum detraxisset: idque crimen M. ipsius Cottæ testimonio premeretur. Hæc autem ex verbis maxime Quintiliani colliguntur, qui libro V, c. 13, ita scribit: « Objicitur Oppio, quod de militum cibariis detraxit: asperum crimen: sed contrarium ostendit Cicero, quia iidem accusatores objecerunt Oppio, quod is voluerit largiendo corrumpere exercitum »; et Fortunatianus: « Proparasceve est, qua judicem nobis præparamus, quum aut quædam nobis obsunt, et illis prius occurrendum est, ut fecit Cicero pro Oppio contra M. Cottæ auctoritatem ». Item Quintilianus, lib. XI, cap. 1: « Cicero quamquam erat in Cottam gravissime dicturus, neque aliter agi P. Oppii causa poterat, longa tamen præfatione excusavit

Digitized by Google

sese conaretur occidere, telum ei e manibus ereptum est? *Quintilianus*, V, 10.

Quos educere invitos[2] in provinciam non potuit, eos invitos retinere qui potuit? *Id. ibid.*

At enim verisimile[3] non est, tantum scelus M. Cottam esse commentum. Quid? hoc verisimile est, tantum scelus Oppium esse conatum? *Id.* XI, 1.

Questusque mecum est. *Fronto*, *p.* 393.

Etenim multum[4] posse ad salutem alterius, honori

officii sui necessitatem »; et lib. V, cap. 13 : « Fortissime invaseris, quod est judicibus ipsis periculosum, ut pro Oppio monet pluribus, ne illud actionis genus in equestrem ordinem admittant ». Sig. — *Utrum*. Quintil. lib. X, cap. 10 : « Fit etiam ex duobus, quorum necessaria est alterutrum eligendi adversario potestas, efficiturque ut utrum elegerit, noceat. Facit hoc Cicero pro Oppio : Utrum quum Cottam appetisset, etc. » Hæc autem ad purgandas insidias, quas Oppius Cottæ fecisse insimulabatur, pertinent. Quo pertinere arbitror verba illa ex lib. III Historiarum Sallustii prolata a Nonio : « Oppius postquam orans nihil proficiebat, timide veste tectum pugionem expedire conatus, a Cotta, Vulscioque impeditur ». Sig.

2. *Quos educere invitos*. Quintil. eodem in loco : « Non dubito hæc quoque vocare consequentia, quamvis ex prioribus dent argumentum ad ea, quæ consequuntur, quorum quidam duas species esse voluerunt. Actionis, ut pro Oppio : Quos educere invitos, etc. » Hæc vero eo spectant, ut Oppium a Cotta dimissum, sed invito Cotta profectum ostendat. Sigon.

3. *At enim v. non est*. Idem lib. V, c. 13 : « Communem, qui prior dicit, contrarium facit. Est enim contrarius, quo adversarius bene uti potest : At enim non verisimile est, tantum scelus M. Cottam esse commentum : quid? hoc verisimile est, tantum scelus Oppium esse conatum? » et lib. VI, cap. 6 : « Infinitum est, enumerare, ut Cottæ detraxerit auctoritatem » ; et lib. V, cap. 13 : « Superba, ut in Oppium ex epistola Cottæ reum factum ». Addit Severianus « misericordiam nos movere, si ab iis nos impugnari dicimus, quorum auxilio tuti esse deberemus : ut Cicero pro Oppio » : quod contra Cottam dictum videtur. Sigon.

4. *Etenim multum posse ad salutem alterius, honori*, etc. Sumptum ex Marcellino, lib. XXX : « Isocratis vox est perpetua, inquit, docentis, ignosci debere interdum armis superato rectori, quam justum, quid sit ignoranti. Unde motum, inquit, existimo Tullium præclare pronuntiasse, quum defenderet Oppium : Etenim multum posse », et quod sequitur. Haud scio autem an hoc sit illud, cujus Quintil. ita meminit, lib. XI, cap. 1 : « Cicero quamquam erat in Cottam gravissime dicturus, etc. » Vel illud potius, cujus meminit Severianus : « misericordiam inquiens, nos movere, si ab iis nos impugnari

Digitized by Google

multis; parum potuisse ad exitium, probro nemini fuit. *Ammianus Marcellinus*, XXX.

O amorem mirum[5]! o benivolentiam singularem! *Quintilianus*, IX, 2.

dicimus, etc. » Certe quod ejus loci sententiam attinet, sic scribit etiam Valerius Max. lib. VIII, cap. 1, § 11 : « Quemadmodum splendor amplissimorum virorum in protegendis reis plurimum valuit, ita opprimendis non sane multum potuit : quin etiam evidenter noxiis, dum eas acriter impugnavit, profuit ». Et statim post : « Nolumus, caput alterius petentem, in judicium triumphos et tropæa, spoliaque, ac devictarum navium rostra deferre. Terribilis sit is adversus hostem : civis vero salutem, tanto fulgore gloriæ subnixus ne insequatur ». Quod mihi totum Valerius ex Ciceronе sumpsisse videtur, in ea pro Murena. Sic enim, cap. 28 init. orator inquit : « Primum illud deprecabor, judices, ne quid L. Murenæ dignitas illius (Catonis) ..... neve soli huic eâ obsint illius bona, quæ ille adeptus est, ut multis prodesse posset. Bis consul fuerat P. Africanus, et duos terrores hujus imperii, Carthaginem Numantiamque deleverat, quum accusavit L. Cottam. Erat in eo summa eloquentia, summa fides, summa integritas, auctoritas tanta, quanta in ipso imperio populi romani, quod illius opera tenebatur. Sæpe hoc majores natu dicere audivi, hanc accusatoris eximiam dignitatem plurimum L. Cottæ profuisse : noluerunt sapientissimi homines, qui tum rem illam judicabant, ita quemquam cadere in judicio, ut nimiis adversarii viribus abjectus videretur. Quid ? Servium Galbam (nam traditum memoriæ est) nonne proavo tuo, fortissimo atque florentissimò viro, M. Catoni, incumbenti ad ejus perniciem, populus romanus eripuit ? Semper in hac civitate, nimis magnis accusatorum opibus, et populus universus, et sapientes ac multum in posterum prospicientes judices restiterunt. Nolo accusator in judicium potentiam afferat, non vim majorem aliquam, non auctoritatem excellentem, non nimiam gratiam. Valeant hæc omnia ad salutem innocentium, ad opem impotentum, ad auxilium calamitosorum : in periculo vero, et in pernicie civium, repudientur ». A quo etiam non magnopere abhorret illud ejusdem Ciceronis in oratione post Reditum ad Quirites, in fine : « Ulciscendæ, inquit, injuriæ facilior ratio est quam beneficii referendi, propterea, etc. » PATR.

5. *O amorem mirum !* Ex Quintil. lib. IX, cap. 11, in medio : « Non in personis tantum, inquit Quintilianus, sed et in rebus versatur, hæc contraria dicendi, quam quæ intelligi velis, ratio, ut totum pro Q. Ligario procemium, et illæ elevationes, videlicet : O dii boni ! Scilicet is superis labor est. Et ille pro Oppio locus : O amorem mirum ! etc. » PATR.

Digitized by Google

sese conaretur occidere, telum ei e manibus ereptum est? *Quintilianus*, V, 10.

Quos educere invitos[2] in provinciam non potuit, eos invitos retinere qui potuit? *Id. ibid.*

At enim verisimile[3] non est, tantum scelus M. Cottam esse commentum. Quid? hoc verisimile est, tantum scelus Oppium esse conatum? *Id.* XI, 1.

Questusque mecum est. *Fronto*, *p.* 393.

Etenim multum[4] posse ad salutem alterius, honori

officii sui necessitatem »; et lib. V, cap. 13 : « Fortissime invaseris, quod est judicibus ipsis periculosum, ut pro Oppio monet pluribus, ne illud actionis genus in equestrem ordinem admittant ». Sig. — *Utrum*. Quintil. lib. X, cap. 10 : « Fit etiam ex duobus, quorum necessaria est alterutrum eligendi adversario potestas, efficiturque ut utrum elegerit, noceat. Facit hoc Cicero pro Oppio : Utrum quum Cottam appetisset, etc. » Hæc autem ad purgandas insidias, quas Oppius Cottæ fecisse insimulabatur, pertinent. Quo pertinere arbitror verba illa ex lib. III Historiarum Sallustii prolata a Nonio : « Oppius postquam orans nihil proficiebat, timide veste tectum pugionem expedire conatus, a Cotta, Vulscioque impeditur ». Sig.

2. *Quos educere invitos*. Quintil. eodem in loco : « Non dubito hæc quoque vocare consequentia, quam vis ex prioribus dent argumentum ad ea, quæ consequuntur, quorum quidam duas species esse voluerunt. Actionis, ut pro Oppio : Quos educere invitos, etc. » Hæc vero eo spectant, ut Oppium a Cotta dimissum, sed invito Cotta profectum ostendat. Sigon.

3. *At enim v. non est*. Idem lib. V, c. 13 : « Communem, qui prior dicit, contrarium facit. Est enim contrarius, quo adversarius bene uti potest : At enim non verisimile est, tantum scelus M. Cottam esse commentum : quid? hoc verisimile est, tantum scelus Oppium esse conatum? » et lib. VI, cap. 6 : « Infinitum est, enumerare, ut Cottæ detraxerit auctoritatem » ; et lib. V, cap. 13 : « Superba, ut in Oppium ex epistola Cottæ reum factum ». Addit Severianus « misericordiam nos movere, si ab iis nos impugnari dicimus, quorum auxilio tuti esse deberemus : ut Cicero pro Oppio » : quod contra Cottam dictum videtur. Sigon.

4. *Etenim multum posse ad salutem alterius, honori*, etc. Sumptum ex Marcellino, lib. XXX : « Isocratis vox est perpetua, inquit, docentis, ignosci debere interdum armis superato rectori, quam justum, quid sit ignoranti. Unde motum, inquit, existimo Tullium præclare pronuntiasse, quum defenderet Oppium : Etenim multum posse », et quod sequitur. Haud scio autem an hoc sit illud, cujus Quintil. ita meminit, lib. XI, cap. 1 : « Cicero quamquam erat in Cottam gravissime dicturus, etc. » Vel illud potius, cujus meminit Severianus : « misericordiam inquiens, nos movere, si ab iis nos impugnari

Digitized by Google

multis; parum potuisse ad exitium, probro nemini fuit. *Ammianus Marcellinus*, XXX.

O amorem mirum[5]! o benivolentiam singularem! *Quintilianus*, IX, 2.

dicimus, etc. » Certe quod ejus loci sententiam attinet, sic scribit etiam Valerius Max. lib. VIII, cap. 1, § 11 : « Quemadmodum splendor amplissimorum virorum in protegendis reis plurimum valuit, ita opprimendis non sane multum potuit : quin etiam evidenter noxiis, dum eas acriter impugnavit, profuit ». Et statim post : « Nolumus, caput alterius petentem, in judicium triumphos et tropæa, spoliaque, ac devictarum navium rostra deferre. Terribilis sit is adversus hostem : civis vero salutem, tanto fulgore gloriæ subnixus ne insequatur ». Quod mihi totum Valerius ex Cicerone sumpsisse videtur, in ea pro Murena. Sic enim, cap. 28 init. orator inquit : « Primum illud deprecabor, judices, ne quid L. Murenæ dignitas illius (Catonis) ..... neve soli huic eâ obsint illius bona, quæ ille adeptus est, ut multis prodesse posset. Bis consul fuerat P. Africanus, et duos terrores hujus imperii, Carthaginem Numantiamque deleverat, quum accusavit L. Cottam. Erat in eo summa eloquentia, summa fides, summa integritas, auctoritas tanta, quanta in ipso imperio populi romani, quod illius opera tenebatur. Sæpe hoc majores natu dicere audivi, hanc accusatoris eximiam dignitatem plurimum L. Cottæ profuisse : noluerunt sapientissimi homines, qui tum rem illam judicabant, ita quemquam cadere in judicio, ut nimiis adversarii viribus objectus videretur. Quid ? Servium Galbam (nam traditum memoriæ est) nonne proavo tuo, fortissimo atque florentissimo viro, M. Catoni, incumbenti ad ejus perniciem, populus romanus eripuit ? Semper in hac civitate, nimis magnis accusatorum opibus, et populus universus, et sapientes ac multum in posterum prospicientes judices restiterunt. Nolo accusator in judicium potentiam afferat, non vim majorem aliquam, non auctoritatem excellentem, non nimiam gratiam. Valeant hæc omnia ad salutem innocentium, ad opem impotentum, ad auxilium calamitosorum : in periculo vero, et in pernicie civium, repudientur ». A quo etiam non magnopere abhorret illud ejusdem Ciceronis in oratione post Reditum ad Quirites, in fine : « Ulciscendæ, inquit, injuriæ facilior ratio est quam beneficii referendi, propterea, etc. » Patr.

5. *O amorem mirum !* Ex Quintil. lib. IX, cap. 11, in medio : « Non in personis tantum, inquit Quintilianus, sed et in rebus versatur, hæc contraria dicendi, quam quæ intelligi velis, ratio, ut totum pro Q. Ligario proœmium, et illæ elevationes, videlicet : O dii boni ! Scilicet is superis labor est. Et ille pro Oppio locus : O amorem mirum! etc. » Patr.

Digitized by Google

PRO C. MANILIO[1].

Hoc ego non solum confiteor, verum etiam profiteor. *Nonius,* V, 48.

1. *C. Manilio.* Manilium hunc accusatum fuisse constat, vel quod judicium Cornelianum per operarum duces turbavisset, Cominiisque accusatoribus mortem intentasse diceretur, ut Pedianus significat in præfatione Cornelianæ primæ: vel, ut Plutarchus scribit in vita Ciceronis, repetundarum. Defensum fuisse a Cicer. illud quodammodo fragmentum indicio est, quod in pr. Corneliana exstat his verbis: Petivisse a se, sive Cornelium, ut exponit Asconius, sive populum ipsum, ut scribit Plutarchus, ut causam Manilii defenderet. Idem autem aperte significat, tum Plutarchus ibidem, tum etiam fragmentum ipsum orationis hujus. Quum judicio non respondisset, damnatus est: ut scribit ibidem Asconius. Quo quidem in loco quæri potest, quomodo videri possit a Cicerone esse defensus, quum judicio non responderit. Qua de re ego sane ita statuerem, vel revera non respondisse eum judicio, atque ita Ciceronis orationem hanc, scriptam tantum ad Cornelii petitionem, et deinde in commentarios ipsos, cum multis aliis orationibus relatam, non etiam habitam fuisse: vel, quoniam habitam fuisse orationem Plutarchus scribit, quum priore actione respondisset, ad quam fortassis majore spe, patrono Cicerone, accesserat, altera non respondisse, neque ad judicium deinceps adfuisse: quum jam videlicet non obscure intelligeret, ex iis, quæ priore actione non difficile animadverti poterant, se omnino judicio condemnatum iri. Sicut Verrem quoque fecisse Pedianus extrema sua in secundam Verrinam commentatione scribit. Locus Pediani, ubi scribit de Manilii condemnatione, non nihil esse videtur hac parte inquinatus. Pata.

PRO M. FUNDANIO[1].

Non modo hoc a Villio Annale[2], sed vix meher-

1. *M. Fundanio.* Orationis pro M. Fundanio, quamquam tenuis, tamen certa memoria est: primum enim Quintilianus, lib. I, cap. 6, ita ait: « Cicero pro Fundanio testem, qui primam ejus literam dicere non posset, irridet », deinde Servius in II Georg. ita: « Arcades se proselenos esse asserere, id est, ante lunam natos esse, Cicero in Fundaniana commemorat ». Quin etiam Priscianus, l. VI, ex Ciceronis oratione pro Fundanio verba, quæ attuli, profert; et Boethius in libro de Definitionibus ait, hanc descriptionem Ciceronem pro Fundanio adhibuisse, quia hunc metuebat nominare. M. denique Fundanii a Cicerone defensi meminit Quint. frater in libello de Petitione consulatus. Sigon.

2. *Non modo hoc a Villio Annale.* Olim, « Julio Annale ». Sed profecto

Digitized by Google

cule a Q. Mutone factum probari potest. *Priscianus*, VII, *p.* 761.

Essetne id, quod Meno nuntiasset. *Id.* VI, *p.* 690.

Arcades se proselenos[3] esse asserunt. *Servius, ad Georg.* II, *p.* 342.

Commissura[4]. *Id. ad Æneid.* IX, 675.

Puncta[5]. *Acro, ad Horat. Art. poet. v.* 342.

Descripsistine ejus necessarium, nostrum competitorem? istum ipsum, cujus nunc studio et gratia tota accusatio ista munita est. *Boethius, de Definitionibus.*

Annalium familia ex gente erat Villia, non Julia, ut erudite Sigonius ipse in Livii lib. XL adnotavit, ex epistolis Cœlii manuscriptis. PATR.

3. *Arcades se proselenos.* Ausus sum hoc fragmentum in contextum recipere, Servii auctoritate commotus in II Georg. quam etiam adducit Sigonius. De antiquitate Arcadum, sic canit Ovid. I Fastorum : « Orta prior luna (de se si creditur ipsi) A magno tellus Arcade nomen habet ». Et lib. II: « Ante Jovem genitum terras habuisse feruntur Arcades, et luna gens prior illa fuit ». PATR.

4. *Commissura.* Ausus sum et hoc item alterum adjicere, ex eodem Servio in IX Æneid. illud, « Portam, quæ ducis imperio commissa ». Ubi Servius *commissuram*, tabularum conjunctionem exponit, ex auctoritate Ciceronis in Fundaniana. Utitur autem præterea *commissuræ* vocabulo Cicero in lib. de Natura Deorum, et in libro de Universo. PATR.

5. *Puncta.* Neque hoc, ex Acrone in A. P. Horat. omittendum putavi. « Puncta, inquit, dicuntur populi suffragia. Usus est hoc verbo Cicero in Fundaniana ». PATR.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

IN ORATIONEM PRO C. CORNELIO.

Hanc orationem dixit, L. Cotta, L. Torquato coss. post annum quam superiores. Cornelius homo non improbus vita habitus est: fuerat quæstor Cn. Pompeii, dein tribunus pl. C. Pisone consule, biennio ante, quam hæc dicta sunt: in eo magistratu ita se gessit, ut justo pertinacior videretur: alienatus autem a senatu ex hac causa. Retulerat ad senatum, ut, quoniam exterarum nationum legatis pecunia magna daretur usura, turpiaque et famosa ex eo lucra fierent, ne quis legatis exterarum nationum pecuniam expensam ferret; cujus relationem repudiavit senatus, et decrevit satisfactum videri eo SC. quod ante annos aliquot L. Domitio, C. Cœlio coss. factum erat, quum senatus ante paucos annos illo SC. decrevisset, ne quis Cretensibus pecuniam mutuam daret. Cornelius ea re offensus senatui, questus est de ea re in concione; exhauriri provincias usuris; providendum, ut haberent legati, unde in præsentia pecuniam creditoribus darent: promulgavitque legem, qua auctoritatem senatus minuebat, ne quis, nisi per populum, legibus solveretur: quod antiquo quoque jure erat cautum: itaque in omnibus SSCC. quibus tum aliquem legibus solvi placebat, adjici erat solitum, ut de ea re ad populum ferretur: sed paullatim ferri erat desitum, resque jam in eam consuetudinem venerat, ut postremo ne adjiceretur quidem in senatusconsulto de rogatione ad populum ferenda, eaque ipsa senatusconsulta per pauculos admodum fiebant. Indigne eam Cornelii rogationem tulerant potentissimi quique ex senatu, quorum gratia magnopere minuebatur. Itaque P. Servilius Globulus, tribunus pl. inventus erat, qui C. Cornelio obsisteret: is, ubi legis ferundæ dies venit, et præco, subjiciente scriba, verba legis recitare populo cœpit; et scribam subjicere, et præconem pronuntiare passus non est: tum Cornelius ipse codicem recitavit: quod quum improbe fieri C. Piso consul vehementer quereretur, tribunitiam intercessionem tolli diceret, gravi convicio a populo exceptus

Digitized by Google

est: et quum ille eos, qui sibi intentabant manus, prendi a lictore jussisset; fracti ejus fasces cuncti, lapidesque etiam ex ultima concione in consulem jacti: quo tumultu Cornelius perturbatus concilium dimisit. Actum deinde eadem de re in senatu est, magnis contentionibus: tum Cornelius ita ferre rursus cœpit, ne quis, quum solutus esset, intercederet, quum de ea re ad populum ferretur: hæc sine tumultu res acta est: nemo enim negare poterat, pro auctoritate senatus esse eam legem; sed tamen eam tulit invitis optimatibus, qui vel pauci gratificari solebant. Aliam deinde legem Cornelius, etsi nemo repugnare ausus est, multis tamen invitis tulit, ut prætores ex edictis suis perpetuis jus dicerent: quæ res tum gratiam ambitiosis prætoribus, qui varie jus dicere solebant, sustulit: alias quoque complures leges Cornelius promulgavit, quibus plerique collegæ intercesserunt: per quas contentiones totus tribunatus ejus peractus est. Sequenti deinde anno M. Lepido, L. Volcatio coss. quo anno prætor Cicero fuit, reum Cornelium duo fratres Cominii lege Cornelia de majestate fecerunt: detulit nomen Publius, subscripsit Caius: et quum L. Cassius prætor decimo die, ut mos est, adesse jussisset; eoque die ipse non affuisset, seu avocatus propter publici frumenti curam, seu gratificans reo; circumventi sunt ante tribunal ejus accusatores a notis operarum ducibus, ita ut mors intentaretur, si mox non desisterent: quam perniciem vix effugerunt interventu consulum, qui advocati reo descenderant: et quum in scalas quasdam Cominii fugissent, clausi, in noctem ibi se occultaverunt, deinde per tecta vicinarum ædium profugerunt ex urbe: postero die, quum L. Cassius assedisset, et citati accusatores non adessent, exemptum nomen est de reis Cornelii. Cominii autem magna infamia flagraverunt, vendidisse silentium magna pecunia. Sequente deinde anno L. Cotta, L. Torquato coss. quo hæc oratio a Cicerone prætorio dicta est, quum primum apparuisset C. Manilius, qui judicium per operarum duces turbaverat; deinde, quod ex SC. ærario consules præsidebant, et judicio non respondisset, atque esset damnatus, recreavisset jam accepta pecunia, tollere ait Cornelium lege majestatis.

Res acta est magna exspectatione: paucos autem ergo Cornelius, perterritus Manilii exitu, in judicium adhibuit, ut ne cla-

Digitized by Google

mor quidem ullus ab advocatis ejus oriretur. Dixerunt in eum infesti testimonia principes civitatis, qui plurimum in senatu poterant, Q. Hortensius, Q. Catulus, Q. Metellus Pius, M. Lucullus, M. Lepidus : dixerunt autem hoc, vidisse se, quum Cornelius in tribunatu codicem pro Rostris ipse recitaret; quod ante Cornelium nemo fecisse existimaretur : volebant videri, se judicare, eam rem magnopere ad crimen imminutæ majestatis tribunitiæ pertinere : etenim prope tollebatur intercessio, si id tribunis permitteretur. Cicero, quia non poterat negare, id factum esse, eo confugit, ut diceret, non ideo, quod lectus sit codex a tribuno, imminutam esse tribunitiam potestatem. Qua vero arte et scientia orationis, ita ut et dignitatem clarissimorum civium, contra quos dicebat, non violaret, et tamen auctoritate eorum lædi reum non pateretur, quantaque moderatione rem tam difficilem aliis tractaverit, lectio ipsa declarabit : adjumentum autem habuit, quod, sicut diximus, Cornelius, præter districtum propositum adversus principum voluntatem, cetera vita nihil fecerat, quod magnopere improbaretur. Præterea et ipse Globulus, qui intercesserat, aderat Cornelio, quod ipsum quoque diximus, quod Cornelius Pompeii Magni quæstor fuerat apud duas præfecturas equitum rom. et tribunorum, et ex tertia quoque parte apud plerosque, exceptis iis, familiaris principum civitatis. Res acta est magno conventu magnaque exspectatione, quis eventus judicii futurus esset. A summis viris dici testimonium, et id, quod ii dicerent, confiteri reum animadvertebant. Exstat oratio hominis accusatoris : quam sumere in manus est aliquod operæ pretium, non solum propter Ciceronis orationes, quas pro Cornelio habemus, sed etiam propter semet ipsam. Cicero ipse significabat, quatriduo Cornelium defendisse : quas actiones contulisse eum in duas orationes, apparet : judicium id exercuit Q. Gallius prætor.

Asconius Pedianus.

www.tibtool.com.cn

Digitized by Google

ALIUD ARGUMENTUM

www.libtool.com.cn

IN PRIMAM ORATIONEM PRO C. CORNELIO.

Nobilissima in primis hæc causa putatur, quam pro C. Cornelio dixit de majestate: quod quum ex Asconii elegantissimo commentario intelligi potest, tum vero etiam ex aliorum multorum, quorum verba non pigebit afferre. Ac primum quidem, quod exstat apud Lactantium, lib. VI, cap. 11, Ciceronis ipsius judicium debet esse gravissimum: apud quem Catulus in Hortensio philosophiam rebus omnibus præferens, malle se dicit vel unum parvum de Officio libellum, quam longam orationem pro seditioso homine Cornelio: quasi vero hæc Corneliana defensio longe inter omnes alias maximis eloquentiæ laudibus abundaret: et ejusdem in Oratore, qui in exemplum earum defensionum, quæ varietatem haberent, hanc ipsam attulit. Adde huc testimonium Cornelii Nepotis, qui, ut scripsit D. Hieronymus adversus errores Joannis Hierosolymitani, memoriæ prodidit, se præsente iisdem pæne verbis, quibus edita est, eam pro Cornelio, seditioso tribuno, defensionem peroratam. Quid de Tacito dicam? qui in dialogo de Oratoribus scripsit ita: « Satis constat C. Cornelium, et M. Scaurum, et T. Milonem, et L. Bestiam, P. Vatinium concursu totius civitatis, et accusatos et defensos ». Possum etiam commemorare, ut hujus causæ sæpe meminerit Quintilianus, atque exempla artificiosæ eloquentiæ inde sæpe petierit: quod non, nisi cognita, et testata ejus nobilitate, fecisset. Hinc enim illa sunt: « Nec fortibus modo, sed etiam fulgentibus armis præliatus est in causa Cornelii Cicero: qui non assequutus esset docendo judicem tantum, et utiliter demum, ac latine, perspicueque dicendo, ut populus admirationem suam non acclamatione tantum, sed etiam plausu confiteretur ». Præterea lib. VI, cap. 6, ita ait: « Infinitum est enumerare, ut Cornelium ipsa confessionis fiducia eripuerit »: et lib. V, cap. 13: « Testes in Cornelium accusator lecti a tribuno codicis pollicetur: facit hoc Cicero supervacuum, quia ipse fateatur ». Item: « Quod autem posui referre, quo quidque

Digitized by Google

accusator modo dixerit, huc pertinet, ut, si est minus efficaciter loquutus, ipsa ejus verba ponantur; si acri et vehementi usus fuerit oratione, eamdem rem nostris verbis mitioribus proferamus : ut Cicero de Cornelio codicem attigit »; et lib. IV, cap. 3 : « Pro Cornelio, inquit, popularis illa virtutum Cn. Pompeii commemoratio, in quam ille diu immoratur orator, velut nomine ipso ducis cursus dicendi teneretur, abrupto, quem inchoaverat, sermone divertit. Hoc autem, credo, fecit, quod C. Cornelius Pompeii quæstor fuerat ». De quæstione porro hujus causæ idem lib. VII, cap. 4 : « Est interim certa finitio. De qua inter utramque partem convenit, ut Cicero dicit : Majestas est in imperio, atque in omni populi rom. dignitate : quæritur tamen an majestas minuta sit : ut in causa Cornelii quæsitum est ». Hanc autem causam in duas partes fuisse divisam, præter Asconium, Cicero etiam ipse et Priscianus significant. Cicero enim in Oratore se ipsum in secunda Corneliana citat. Priscianus Ciceronis exempla profert in hunc modum : « Cicero pro Cornelio in primo et in secundo ». Jam vero causam quatriduo peroratam ostendit etiam Plinius libro primo Epistolarum, quum scribit : « Cicero pro Cluentio ait, se totam causam vetere instituto solum perorasse, et pro Cornelio quatriduo egisse : ne dubitare possimus, quæ per plures dies, ut necesse erat, latius dixerit, postea recisa ac purgata in unum librum grandem quidem, unum tamen, coarctasse : at aliud est actio bona, aliud oratio ». Ex his autem intelligi potest, quum longam orationem pro Cornelio in Hortensio dixit, priorem intellexisse. Quin etiam hujus orationis meminit Boethius libro de Differentiis topicis : « Cicero, inquit, pro Cornelio, quid sit majestatem minuere, tractat, quod malam legem tulit, quod legendo codicem intercessionem sustulit, quod seditionem fecit ». Postremo de accusatore etiam Cornelii P. Cominio sic ipse scriptum reliquit in Bruto : « Itaque ne hos quidem equites romanos amicos nostros, qui nuper mortui sunt, P. Cominium Spoletinum, quo accusante defendi Cornelium, in quo et compositum dicendi genus, et acre et expeditum fuit ». Quod autem in argumento Asconius Cotta et Torquato coss. hanc habitam scribit, post annum, quam superiores, intelligit eas quas pro Q. Gallio, M. Fundanio et A. Cluentio dixit : ut supra ex libro de Petitione consulatus significavimus.

Digitized by Google

Quod vero in eodem argumento vulgo legitur: «Eam tulit invitis optimatibus, qui vel paucos gratificari solebant», satis certum est legendum «qui vel pauci»: nam et sensus hoc postulat et loquendi antiqua ratio: sensus ex prioribus verbis exprimitur: «Eaque ipsa senatusconsulta per pauculos admodum fiebant». Locutionem comprobat Livius, lib. X: «Quod populi jus sit, jnbeat potius, quam patres gratificentur». Quod scriptum est præterea: «Sequente deinde anno L. Cotta, L. Torquato coss. quo hæc oratio a Cicerone prætore dicta est», satis apparet, quum anno ante Cicero præturam gesserit, «prætorio» non «prætore» esse legendum. Quod etiam post scriptum est: «Ex SC. anno coss. præsidebant, et judicio»: malim ita legere: «Ex SC. consules ærario præsidebant, et judicio». Hoc enim post etiam factum est a Pompeio consule in judicio Milonis.

SIGONIUS.

PRO C. CORNELIO, I.

....Ut ab Jove[1] optimo maximo, ceterisque diis deabusque omnibus opem et auxilium petamus[2]. *Priscianus*, VII, *p.* 733.

I. 1. *Ut ab Jove.* Hoc fragmentum orationis Cornelianæ a Græevio refertur ad primam actionem; cujus fragmenta fere omnia, quæ sequuntur, servavit Asconius. J. V. L.

2. *Petamus.* Cicero hoc in loco Demosthenem æmulatus est, qui in oratione de Corona ita exorsus est: Πρῶτον μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις. Quin etiam majores nullam orationem, nisi invocatis numinibus, inchoasse, ut in omnibus Catonis, et Gracchi, auctor est Servius in XI Æneidos; unde Cicero per irrisionem in Divinatione dixerit: «si quid ex vetere aliqua oratione, Jovem ego optimum maximum»; et Demosthenes in oratione contra Æschinem; quo quum spectaret etiam Valerius in procœmio dixit: «nam si prisci oratores ab Jove optimo maximo bene orsi sunt»; et is, qui Rhetorica scripsit ad Herennium: «quum Gracchus deos inciperet precari, tum isti impetum faciunt». Livius autem, libro XXIX, hoc etiam magistratuum ad populum agentium fuisse institutum ostendit, quum ait: «quum solemne carmen precationis, quod præfari priusquam populum alloquantur, magistratus solent, peregisset». Tale autem est illud etiam pro Rabirio: «primum ab Jove optimo maximo, ceterisque diis deabusque immortalibus pacem ac veniam peto, precorque ab iis, etc.» J. V. L.

Digitized by Google

Versu a primo[3] *circiter* CLXI. Postulatur apud me prætorem primum de pecuniis repetundis. Prospectat videlicet Cominius, quid agatur; videlicet homines fœneos[4] in medium, ad tentandum periculum, projectos....

Quid? Metellus[5] summa nobilitate ac virtute, quum bis jurasset, semel privatim a patre, iterum publice a lege coactus, destitit accusatione. An vi, an veritate? In quo suspicionem omnem tollit C. Curionis[6] virtus

3. Initium expositionis. J. V. L.

4. *Homines fœneos.* Simulacra, effigiesque hominum ex fœno fieri solebant, quibus objectis ad spectaculum præbendum tauri irritarentur.

5. *Quid? Metellus.* Hoc exemplum affert hoc loco, quod vult probare, desistere eum debere ab accusatione, quamquam neque accusaverit, neque fecerit pactionem: nam Metellus et postulaverat Curionem, et destiterat: confugit autem orator ad Metelli nobilitatem, et ad C. Curionis industriam, ut legeret id, quod illi utilius, quam honestius, fecerant. Res autem tota se sic habet: in qua quidem illud primum explicandum est, de quo Metello hoc dicit: fuerunt enim tunc plures Q. Metelli: ex quibus duo consulares, Pius, et Creticus, de quibus apparet eum non dicere; duo autem adolescentes, Nepos et Celer, ex quibus nunc Nepotem significat: ejus enim patrem Q. Metellum Nepotem, Balearici filium, Macedonici nepotem, qui consul fuit cum T. Didio, Curio is, de quo loquitur, accusavit; isque Metellus moriens petiit ab hoc filio suo Metello, ut Curionem accusatorem suum accusaret; et id facturum esse, jurejurando adegit. Metellus fecit reum Curionem: quumque interim quemdam civem idem Metellus, servum esse contendens, vi arripuisset, ac verberibus affecisset, Curio assertorem ei comparavit: dein, quum appareret eum exitum judicii illius futurum, ut liber is judicaretur, quem Metellus verberibus affectum esse negare non poterat: inter Metellum et Curionem facta pactio est, ut neque arbitrium de libertate urgeret in Metellum Curio, neque Metellus perstaret in accusatione Curionis: eaque pactio ab utroque firmata est. Huc ergo illud pertinet, quum jurasse dixit, semel privatim, et iterum lege, tum scilicet quum in Curionem calumniam juravit. Cum hoc autem Metello postea Cicero simultates gessit: evasit enim Metellus malus, atque improbus civis. Ascon.

6. *C. Curionis virtus.* De eodem Curione Metelli accusatore, ceterisque, quorum adolescentia accusatione aliqua nobili commendata est, egregie Apuleius apologia prima: « Neque autem gloriæ causa me accusat, ut M. Antonius C. Carbonem, C. Mucius A. Albutium, P. Sulpicius C. Norbanum, L. Furius M. Aquillium, C. Curio Q. Metellum: quippe homines eruditissimi, juvenes laudis gratia primum hoc rudimentum forensis operæ subibant, ut aliquo insigni judicio civibus suis noscerentur: qui mos incipientibus adolescentibus ad illustrandum ingenii florem, apud an-

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

ac dignitas, et Q. Metelli adolescentia, ad summam laudem omnibus rebus ornata.

www.libtool.com.cn

tiquos concessus diu exolevit ». Eumdem autem locum tractaverat ante Cicero in II de Officiis : « Idem fecit, inquit, adolescens M. Antonius : etiam P. Sulpicii eloquentiam accusatio illustravit, quum seditiosum, et inutilem civem C. Norbanum in judicium vocavit. Sed hoc quidem non est sæpe faciendum, nec umquam nisi aut reip. causa, ut duo Luculli, aut patrocinii, ut nos pro Siculis, pro Sardis vero M. Albutium Julius Cæsar. In accusando etiam Manlio L. Fufii cognita industria est ». Ex quorum collatione locorum satis intelligi potest, apud Apuleium legi oportere pro C. Mucius, C. Julius : apud Ciceronem pro Manlio Manio : de C. Julio Cæsare pro Sardis contra Albutium agente idem loquutus est in Divinatione : « Itaque Cn. Pompeio nominis deferendi potestas non est data in T. Albutium : atque ille Cn. Pompeius ita cum C. Julio contendit, ut tu mecum : quæstor enim Albutii fuerat, ut tu Verris. Julius hoc secum auctoritatis ad accusandum afferebat, quod ut hoc tempore nos ab Siculis, sic tum ille ab Sardis rogatus ad causam accesserat ». Manium autem legendum esse, nominis ipsius ratio declarat : fuit enim Manius Aquillii prænomen, ut alias demonstratum est : Manlius autem gentis patriciæ nomen. Quam quidem emendandi industriam qui aut ut levem, aut ut putidam, aut certe ut non admodum necessariam, elevant, atque damnant, ii se veritatem historiæ contemnere, ac rerum lucem odisse, veteris memoriæ depravationem amplecti, tenebras adamare ostendunt : mihi quidem ut ceteris in rebus, in quibus harum artium laus aliqua est collocata, sic in hac potissimum restituenda studium summum ab iis, qui id præstare non ingenio, vel doctrina possunt, videtur esse ponendum. Quod ego et in aliis libris feci, quum res tulit, et faciam, quum postulabit. Itaque ad hæc locum etiam Dionysii nunc adjiciam, de quo, quum hæc scriberem, me consuluit vir non eleganti solum ingenio, sed eximia etiam doctrina, et maxima probitate ornatus, Vincentius Gilianus, familiaris meus, qui in vulgatis libris asterisco notatus menda se affectum fœdissima indicat, quum tamen, cognita re, et nomine, de quo loquitur, integerrimus sit. In methodo ἐπιταφίων hæc verba sunt : Παραδείγματα αὐτῶν ἐςί που καὶ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις τοῦ μὲν κοινοῦ, καὶ πολιτικοῦ παράγε τῷ τοῦ λόγου, καὶ παρὰ τῷ τοῦ Ἀρίζωνος. Quid est enim τῷ τοῦ λόγου ; nihil profecto. Cur igitur aut leve studium, aut putidum, aut parum necessarium ejus esse existimari debet, qui emendatione adhibita locum sanet, ac sententiam demonstret ? Lege igitur παρὰ τῷ τοῦ Ὁλόρου, id est, apud Olori filium. Jam nihil est hoc loco illustrius : significat enim communis, et civilis orationis exempla multa reperiri apud Olori filium, et Aristonis, id est, apud Thucydidem et Platonem : quos a patribus suis appellavit more Græcorum. Jam vero apud Strabonem quam multa sunt in nominibus urbium, et locorum, fluminum contracta errata, quibus turpissime historia, et ipsius rei veritas depravatur ? Afferam ex Italia, quæ nunc in manibus est, aliquot, et quidem omnia ex una fere pagina, quæ non vidit interpres. Ita enim legitur vulgo, ubi agi-

Digitized by Google

Legem, inquit [7], de libertinorum suffragiis Cornetur de Latio: Πρὸ δὲ ταύτης ἐστὶ Πρίβερνον, καὶ Κόρα καὶ Σύες σατραποντιόντε καὶ Οὐελίτραι. Quæ ita vertit interpres: « Ante hanc Priverium est, et Cora, et Syes, et pusilla quædam præfectura, Velitræque ». Quæ, malum, est ista pusilla præfectura, quod hoc Syes? lege autem καὶ Κόρα καὶ Συέσσα τῶν ποντίων, nihil portenti dixeris: significat enim Suessam, quæ Pometia dicta est, quum altera in Campania Suessa Aurunca diceretur: quam ipse Suessam Pomptinorum appellat. Paullo post: ἥ τε τῶν Ἑρνίκων πολίχνη καὶ Πίτουλον, καὶ Ἀνάγνια Κερεαταί. Ita exprimit interpres: « Hernicorum oppidulum, et Pitulum, et Anagnia, et Cerate »: quum fuerit vertendum Capitulum, et Anagnia, et Cernetum, ut scribit Plinius: mendose enim est καὶ Πίτουλον pro Καπίτουλον uno verbo. Et post Τεγεάτην τῶν Μαῤῥουκινῶν μητρόπολιν vertit Tegeatem Marrucinorum metropolim, quum sit scribendum Teate, testibus ceteris; et alio loco: Διαῤῥεῖ δὲ Ἔρις ποταμός. Λείρις scribendum est, quanquam interpres vertit Eris: et quum addit loquens de vinis ὁ Φάλερνος, ὁ Ἀλβανὸς καὶ ὁ Σταγανὸς, ubi interpres vertit Falernum, Albanum, Sataganum, scribi oportet pro ϛαγανὸς, σιγνινὸς, et Signinum vinum convertendum, cujus post ipse etiam sine menda meminit, itemque Martialis. Quin etiam illud, ut opinor, mendose est eodem in loco: Ἡ δὲ Σινουέσσα ἐν Σιτάνοις κόλπῳ ἵδρυται, ἀφ' οὗ καὶ τοὔνομα: Σίνος γὰρ ὁ κόλπος: quem locum vertit imprudenter interpres: « Sinuessa in Setano sita est sinu »: non enim vidit σιτάνοις vitiose legi pro σίνοις, vocem enim latinam sinum, unde Sinuessa dicta est, expressit. Quid præterea notius est illa prima epistola ad Atticum, in qua de petitione sua disserit Cicero hoc modo? « De iis, qui nunc petunt, Cæsar certus putatur: Thermus cum Silano contendere existimatur: nostris rationibus maxime conducere videtur Thermum fieri cum Cæsare: nemo est enim ex iis, qui nunc petunt, qui, si in nostrum annum reciderit, firmior candidatus fore videatur, propterea quod curator est viæ Flaminiæ: quæ quum erit absoluta, sane facile eum libenter nunc ceteri consuli acciderim ». Locus est autem asterisco ad insignem, quæ insideat, maculam indicandam notatus: quæ exigua nominis emendatione deletur. Fac enim ex *ceteri*, Cæsari, ex *consuli* consulem, ex *acciderim* addiderim, sententiam aperuisti obscurissimam, et locum correxisti pulcherrimum. Cæsar, inquit, certus consul putatur. Thermus cum eo contendit, idem est curator viæ Flaminiæ: quæ quum erit absoluta, sane facile eum nunc Cæsari consulem addiderim. Jam neminem puto futurum, qui de hujus loci sanitate dubitet: est enim literarum paucarum levissima mutatio facta: locutio in ejusmodi re Livio familiarissima indicata: nam addere, et adjungere consuli collegam consulem sæpissime eum dixisse, notius est, quam ut exemplis sit confirmandum, et sententia loco aptissima est patefacta: quippe quum Ciceronis conjecturam eventus ipse comitiorum postea comprobarit. Hanc autem industriæ laudem si quis levem existimet, quid in hoc studiorum genere grave ducat, secum ipse postea viderit. Sed hæc præter causam, quamquam non sine causa: nunc reliqua persequar: si illud etiam de hoc loco addidero, me vocem illam, « Libenter », vacare, eamque illius vocis, « Sane » glossema esse, atque ex albo libri in verba epistolæ

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

lius cum Manilio dedit. Quid est hoc, DEDIT? an tulit, an rogavit, an hortatus est? nam tulisse ridiculum est, quasi legem aliquam aut ad scribendum difficilem, aut ad excogitandum reconditam. Quæ lex paucis his annis non modo scripta, sed etiam lata esset....

In quo quum multa reprehensa sint, tum in primis celeritas actionis [8].

Petivit tamen [9] a me prætore maxima contestatione, ut causam Manilii defenderem.

Versu a primo DCCCCI. *Dicit de eodem Manilii tribunatu.* Nam quum is tribunus plebis duas leges tulisset in eo magistratu, unam perniciosam [10], alteram egregiam : quod summam rempublicam læsit, id ab ipso tribuno abjectum est ; bonum autem [11] in summa republica manet.

Dicit de disturbato judicio Maniliano. Aliis ille in

temere irrepsisse, judicare. Redeo ad locum Ciceronis, qui ita vulgo legitur: « Quid Metellus, summa nobilitate? quum bis jurasset, semel privatim privatum parte publice legis dejectus est ratione, an vi, an vero » : mendose sine dubio, sed quæ menda ex commentatione Asconii fortasse tolli possit, hoc modo : « semel privatim, iterum publice lege, dejectus est » : sic enim ait Asconius : « Huc igitur illud pertinet, quum jurasse dixit, semel privatim, et iterum lege, tum scilicet quum in Curionem calumniam juravit » : sic enim hic locus sine dubio legendus est, non, ut vulgo, « Et iterum legatum scilicet » : quod sine ullo loci sensu fiebat. SIGON.

7. *Legem, inquit.* Illam, quam significat Asconius in Milonianam, qua libertinis in omni tribu suffragium esset. ED.

8. *Celeritas actionis.* Quia Manilius, sicut jam ostendimus, post pauculos statim dies quam inierat tribunatum, legem eam compitalibus pertulit. ED.

9. *Petivit tamen.* Hæc etiam ex adversarii objecta criminatione repeti videntur de Cornelio. Quum enim defendisset orator legem ipsam, Manilio non dedisse respondendum fuit. Cur causam tamen Manilii sic curæ haberet, ut eam a Cicerone prætore defendi peteret? Cui ego rei statim responsum fuisse credo. ED.

10. *Unam perniciosam.* Scilicet de libertinorum suffragiis, quæ quum SC. damnata esset, ab ipso quoque Manilio objecta est. — *Alteram egregiam.* Scilicet de bello Mithridatico, Cn. Pompeio extra ordinem mandando; ex qua lege tum Magnus Pompeius bellum gerebat. ED.

11. *Bonum autem in summa republica manet.* Alii ex ipsis Asconii vestigiis, « bonum autem, quod summa republica manet, id extra ordinem fuit ». J. V. L.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

illum furorem magnis hominibus [12] auctoribus impulsus est, qui aliquod institui exemplum disturbandorum judiciorum perniciosissimum, temporibus suis accommodatissimum, meis alienissimum rationibus, cupierunt.

www.libtool.com.cn

Versu circiter CXI. Possum dicere, hominem summa prudentia clarum C. Cottam [13] de suis legibus abrogandis ipsum ad senatum retulisse.

Sequitur. Possum et ejusdem Cottæ [14] legem de judiciis privatis anno post, quam lata sit, a fratre ejus abrogatam.

Statim. Legem Liciniam [15] et Muciam de civibus regundis, quam duo consules omnium, quos vidimus, sapientissimi tulissent, video constare inter omnes, non modo inutilem, sed perniciosam reipublicæ fuisse.

Quatuor omnino [16] genera sunt, judices, in quibus

12. *Magnis hominibus*: L. Catilina et Cn. Pisone turbarum auctoribus. Ed.

13. *C. Cottam.* Hic est Cotta, de quo jam sæpe diximus, magnus orator habitus, et compar in ea gloria P. Sulpicio, et C. Cæsari. Videntur autem in rebus parvis fuisse leges illæ, quas quum tulisset, retulit de iis abrogandis ad senatum: nam neque apud Sallustium, neque apud Livium, neque apud Fenestellam ullius alterius latæ ab eo legis mentio, præter eam, quam in concione tulit invita nobilitate, magno populi studio, ut iis, qui tribuni pl. fuissent, alios quoque magistratus capere liceret: quod lex a dictatore L. Sulla paucis ante annis lata prohibebat: neque eam Cottæ legem abrogatam esse significat. Asc.

14. *Ejusdem Cottæ.* M. Cottam significat: fuerunt autem tres, duo hi, C. et M. tertius L. Cotta, qui lege sua judicia inter tres ordines communicavit, senatum, equites, tribunos ærarios: adeptique sunt omnes consulatum. Ascon.

15. *Legem Liciniam.* L. Licinium Crassum oratorem, et Q. Mucium Scævolam Pont. maxim. eumdemque et oratorem et jurisconsultum significat: hi enim legem eam, de qua loquitur, de regendis in sua civitate sociis, in suo consulatu tulerunt: quum enim summa cupiditate civitatis romanæ italici populi tenerentur, et ob id magna pars eorum pro civibus romanis se gereret; necessaria lex visa est, ut in suæ quisque civitatis jus redigeretur: verum ea lege ita alienati animi sunt principum italicorum populorum, ut ea vel maxima causa belli italici, quod post triennium excitatum est, fuerit. Ascon.

16. *Quatuor omnino.* Q. Cæcilius Metellus Numidicus, M. Junius Silanus, de quibus facit mentionem, consules fuerunt bello Cimbrico, quod diu prave simul et infeliciter gestum

Digitized by Google

per senatum, more majorum, statuatur aliquid de legibus. Unum est ejusmodi, placere legem abrogari: ut Q. Cæcilio, M. Junio consulibus, quæ leges rem militarem impedirent, ut abrogarentur. Alterum, quæ lex[17] lata esse dicatur, ea non videri populum teneri: ut L. Marcio, Sext. Julio consulibus, de legibus Liviis. Tertium est[18] de legum derogationibus: quo de genere persæpe senatusconsulta fiunt, ut nuper de ipsa lege Calpurnia, quæ derogaretur.....

P. Africanus[19] ille superior, ut dicitur, non solum

est: atque ipse quoque hic Junius male rem adversus Cimbros gessit, ac plures leges, quæ per eos annos, quibus hæc gerebantur, populo latæ erant, quibus militiæ stipendia minuebantur, abrogavit. Ascon.

17. *Alterum, quæ lex.* Puto vos reminisci, has esse leges Livias, quas illis consulibus M. Livius Drusus tribunus pl. tulerit: qui quum senatus partes tuendas suscepisset, et leges pro optimatibus tulisset, postea eo licentiæ est progressus, ut nullum in iis morem servaret: itaque Philippus consul, qui ei inimicus erat, obtinuit a senatu, ut leges ejus omnes uno SC. tollerentur: decretum est enim, contra auspicia esse latas, neque iis teneri populum. Ascon.

18. *Tertium est.* Lex hæc Calpurnia de ambitu erat: tulerat eam ante biennium C. Calpurnius Piso consul, in qua præter alias pœnas pecuniaria quoque pœna erat adjecta. Ascon.

19. *P. Africanus.* Hoc factum est secundo consulatu Scipionis, post septimum annum, quam Carthaginiensibus bello secundo data est pax: factum id esse autem Antias tradidit ludis Romanis, quos fecerunt ædiles curules C. Atilius, L. Scribonius Libo: id eos fecisse jussu censorum Sex. Ælii Pæti, C. Cornelii Cethegi: et videtur in hac oratione, hunc quidem auctorem sequutus, Cicero dixisse, passum esse Scipionem, secerni a cetero consessu spectacula senatorum: in ea autem, quam post aliquot annos habuit de aruspicum responso, non passum esse Scipionem, sed ipsum auctorem fuisse dandi eum locum senatoribus, videtur significare: verba ejus hæc sunt: « Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri majores ante templum Matris Magnæ fieri celebrarique voluerunt »: quibus primum ludis ante populi consessum senatui locum P. Africanus II cos. ille major dedit. Hoc tributum esse senatui scribit, sed sine mentione Magalesium: ædiles enim eos ludos facere soliti erant: votivis ludis factum tradit, quos Scipio et Longus coss. fecerint. Non præterire autem vos volo, esse oratoriæ calliditatis, ut, quum opus sit, eisdem rebus ab utraque parte, vel a contrariis utantur: nam quum secundum Ciceronis opinionem, auctore Scipione consule, ædiles secretum ante omnes locum spectandi senatoribus dederint; eodem illo facto Scipionis in hac quidem oratione, quia causa popularis erat, premebaturque senatus auctori-

Digitized by Google

a sapientissimis hominibus, qui tum erant, verum etiam a se ipso sæpe accusatus est, quod, quum consul esset cum Tib. Longo, passus esset tum primum a populari consessu senatoria subsellia separari.

Circa medium[20]. Est utique jus vetandi, quum ea feratur, quamdiu non perfertur; quamdiu, qui suffragii ferundi causa conveniunt, huc et illuc transferuntur; dum privati dicunt[21]; dum tabellæ diribentur; dum sitella defertur; dum æquantur sortes; dum sortitio fit; et si qua sunt hujus generis alia.

Paullo post. Unum tamen[22], quod hoc ipso tribuno plebis factum est, prætermittendum non videtur. Neque enim majus est legere codicem, quum intercedatur, quam sitellam ipsam cum ipso intercessore deferre; nec gravius, incipere ferre, quam perferre;

tate, atque, ob id dignitatem ejus ordinis quam possit maxime elevari, causæ expediebat; pœnituisse ait Scipionem, quod passus esset id fieri: in ea de aruspicum responso, quia in senatu habebatur, cujus auribus erat blandiendum, et magnopere illum laudat, et non auctorem fuisse dandi (nam id erat levius), sed ipsum etiam dedisse dicit. Circa medium, quo loco numerat, quum lex feratur, quot loca intercessionis sunt, jubet discedere. Ascon.

20. *Circa medium.* Addit Asconius, « Quo loco numerat, quum lex feratur, quot loca intercessionis sunt, jubet dicere ». Al. *discedere.* Dubius locus, vel omnino mendosus. J. V. L.

21. *Dum privati dicunt.* His peractis, quum id solum superest, ut populus sententiam ferat, jubet unumquemque is, qui fert legem, discedere: quod verbum non hoc significat, quod in communi consuetudine est, de eo loco, ubi lex fertur, sed in suam quisque tribum discedat, in qua est suffragium laturus: populus enim confusus, ut semper alias, ita et in concione. Ascon.

22. *Unum tamen.* Manifestum est, de ea lege Ciceronem nunc dicere, qua Cn. Pompeio bellum adversus piratas datum est. L. autem Trebellius tribunus pl. quem non nominat: quo perseverante intercedere (nam senatui promiserat, moriturum se ante, quam illa lex perferretur), introvocare tribus Gabinius cœpit, ut Trebellio magistratum abrogaret, sicut quondam Ti. Gracchus tribunus M. Octavio, collegæ suo, magistratum abrogavit: et aliquandiu Trebellius, ea re non perterritus aderat, perstabatque in intercessione, quod omnia magis, quam perseveraturum esse Gabinium, arbitrabatur: sed postquam x et VII tribus rogationem acceperunt; et una mens esset populi, ut jussum conficeret: remisit intercessionem Trebellius: atque ita legem Gabinius de piratis persequendis pertulit. Ascon.

www.tiblook.com.cn

Digitized by Google

nec vehementius, ostendere se laturum invito collega, quam ipsi collegæ magistratum derogare; nec criminosius, tribus ad legem accipiendam, quam ad collegam reddendum privatum intro vocare : quæ vir fortis, hujus collega, A. Gabinius in re optima fecit omnia; neque, quum salutem populo romano atque omnibus gentibus finem diuturnæ captivitatis, turpitudinis, et servitutis afferres, passus est, plus unius collegæ sui, quam universæ civitatis, vocem valere, et voluntatem....

At enim de corrigenda[23] lege retulerunt....

Idem, nisi[24] hæc ipsa lex, quam C. Cornelius tulit, obstitisset, decrevissem id, quod palam jam isti defensores judiciorum pugnaverunt, senatui non placere, id judicium de Sullæ bonis fieri. Quam ego causam longe aliter prætor in concione defendi, quum id dicerem, quod iidem judices postea statuerunt, judicium æquiore tempore fieri oportere.

Statim. Antea vero[25] quam multarum rerum judicia sublata sint, et quia scitis, prætereo, et ne quem in judicium oratio mea revocare videatur.

23. *At enim de corrigenda.* Diximus jam in principio, Cornelium primo legem promulgasse, ne quis per senatum lege solveretur; deinde tulisse, ut tum denique de ea re SC. fieret, quum adessent in senatu non minus cc: hæc est illa, quam appellat, correctio. Ascon.

24. *Idem, nisi.* Quia defuerat superioribus temporibus in ærario pecunia publica, multa et sæpe ejus rei remedia erant quæsita, in quibus hoc quoque, ut pecuniæ publicæ, quæ residuæ apud quemque essent, exigerentur : id autem maxime pertinebat ad Cornelium Faustum, dictatoris filium, quia Sulla per multos annos, quibus exercitibus præfuerat, et remp. tenuerat, sumpserat pecunias ex vectigalibus, et ex ærario populi romani : eaque res sæpe erat agitata, sæpe omissa, partim propter Sullanarum partium potentiam, partim quod iniquum videbatur, post tot annos, quam quis pecuniam acceperat, ejus reddere rationem. Ascon.

25. *Antea vero.* Bello italico, quod fuit adolescentibus illis, qui tum in rep. vigebant, quum multi Varia lege inique damnarentur, quasi id bellum illis auctoribus conflatum esset, crebræque defectiones Italicorum nuntiarentur, tunc ob ejus tristitiæ occasionem senatus decrevit, ne judicia, dum

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

Paullo post. Non Cn. Dolabella[26] C. Volcatium, honestissimum virum, communi et quotidiano jure privasset. Non denique homo illorum et vita et prudentia longe dissimilis, sed etiam nimis in gratificando jure liber, L. Sisenna[27], bonorum Cn. Cornelii possessionem ex edicto suo P. Scipioni, adolescenti summa nobilitate, eximia virtute prædito, dedisset.

Quare quum ambitum populus romanus videret, et quum a tribunis plebis doceretur, nisi pœna accessisset in divisores, exstingui nullo modo posse, legem hanc Cornelii flagitabat; illam, quæ ex senatusconsulto ferebatur, repudiabat.

Et eadem de re paullo post.... Ut spectaculum illud duorum designatorum consulum[28] calamitate, re et tempore salubre ac necessarium, genere et exemplo miserum ac funestum, videremus.

Quid ego nunc[29] tibi argumentis respondeam, posse fieri, ut alius aliquis Cornelius sit, qui habeat Philerotem? Res nota est, vulgare nomen esse Philerotis; Cornelios vero ita multos, ut jam etiam collegium constitutum sit.

At enim extremi[30] ac difficillimi temporis vocem

tumultus italicus esset, exercerentur: quod decretum eorum in concionibus populi sæpe agitatum erat: supererant autem ex iis, qui illa judicia metuerunt, vigentes multi, maxime C. Curio, Curionis adolescentis pater, ejus qui bello civili Cæsaris fuit partium.

26. *Non Cn. Dolabella.* Duo fuerunt eo tempore Dolabellæ, quorum alterum C. Cæsar accusavit, alterum M. Scaurus. Ascon.

27. *L. Sisenna.* Qui res scripsit romanas. Ed.

28. *Designatorum consulum.* P. Sullam et P. Autronium significat: quorum alterum L. Cotta, alterum L. Torquatus, qui, quum hæc Cicero dicebat, consules erant, ambitus damnarant, et in eorum locum creati erant. Asc.

29. *Quid ego nunc.* Frequenter tum etiam cœtus factiosorum hominum sine publica auctoritate malo publico fiebant: propter quod postea collegia SC. et pluribus legibus sunt sublata, præter pauca, atque certa, quæ utilitas civitatis desiderasset, ut fabrorum, fictorumque. Ascon.

30. *At enim extremi.* C. Piso, qui consul eodem anno fuit, quo Cornelius tribunus pl. erat, quum legem de ambitu ex SC. graviorem, quam fuerat antea, ferret; et propter multitudinem

Digitized by Google

illam, C. Corneli, consulem mittere coegisti, qui rempublicam salvam esse vellent, ut ad legem accipiendam adessent.

www.libtool.com.cn

Plebem ex Maniliana offensione victam et domitam esse dicit; ante vestros annos propter illius tribuni plebis temeritatem posse adduci, ut omnino ne illius potestate abalienemur; qui restituerunt eam potestatem, alterum nihil unum[31] posse contra multos, alterum longe abesse.

Tanta igitur in illis virtus fuit, ut anno XVI post reges exactos, propter nimiam dominationem potentium, secederent, leges sacratas[32] ipsi sibi restituerent, duos tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie mons Sacer nominatur, in quo

divisorum, qui per vim adversabantur, e foro ejectus esset, edixerat id, quod Cicero significat, et majore manu stipatus ad legem perferendam descenderat. Plebem ex Maniliana offensione victam et domitam esse dicit. Asc.

31. *Alterum nihil unum.* Manifestum puto esse vobis, M. Crassum et Cn. Pompeium significari : e quibus Crassus judex tum sedebat in Cornelium, Pompeius in Asia bellum Mithridaticum gerebat. Ascon.

32. *Leges sacratas.* Inducor, magis librariorum hoc loco esse mendam, quam ut Ciceronem parum proprio verbo usum esse credam : illo enim tempore, de quo loquitur, quod fuit post XVI annos quam reges exacti sunt, plebs sibi leges sacratas non restituit (numquam enim tribunos pl. habuerat), sed tum primum eas constituit. Numerum quidem annorum post reges exactos, quo id factum est, diligenter posuit, qui fuit A. Virginio Tricosto, L. Veturio Cicurino coss. Ceterum quidam non duos tribunos pl. ut Cicero dicit, sed quinque tradunt creatos tum esse, singulos ex singulis classibus : sunt tamen, qui eumdem illum duorum numerum, quem Cicero, ponant : inter quos Tuditanus, et Pomponius Atticus, Liviusque noster : idem hic et Tuditanus adjiciunt, tres præterea ab illis duobus collegas creatos esse : nomina duorum sunt hæc, qui primi creati traduntur C. Sicinius L. F. Bellutus, L. Albinius C. F. Paterculus. Reliqua pars hujus loci quæ pertinet ad secundam constitutionem tribunorum, et decemvirorum finitum imperium, et breviter et aperte ab ipso dicitur : nomina sola non adjicit, quis ille ex X viris fuerit, qui contra libertatem vindicias dederit, quis ille pater, contra cujus filiam id decrevit : quod scilicet notissimum est, decemvirum illum Ap. Claudium fuisse, patrem autem virginis L. Virginium : unum hoc tantummodo explicandum, quo loco primum de secunda secessione plebis, deinde de concordia facta, sic dicit. Ascon.

Digitized by Google

armati consederant, æternæ memoriæ causa consecrarent. Itaque auspicato, postero anno, x tribuni plebis comitiis curiatis creati sunt.

www.libtool.com.cn

Tum interposita fide per tres legatos[33], amplissimos viros, Romam armati reverterunt; in Aventino consederunt; inde armati in Capitolium venerunt; decem tribunos plebis per pontificem, quod magistratus nullus erat, creaverunt.

Etiam hæc recentiora prætereo: ponam principium justissimæ libertatis, Cassiam, qua lege[34] suffragiorum vis potestasque convaluit; alteram Cassiam, quæ populi judicia firmavit.

Dicit de nobilibus. Qui non modo cum Sulla, verum etiam, illo mortuo, semper hoc per se summis opibus retinendum putaverunt; inimicissimi C. Cottæ fuerunt, quod is consul paullum tribunis plebis non potestatis, sed dignitatis addidit.

Quamdiu quidem hoc animo ergo nos illa plebs erit, quo se ostendit, quum legem Aureliam[35], quum Rosciam, non modo accepit, sed etiam efflagitavit....

Memoria teneo, quum primum senatores cum equi-

33. *Per tres legatos.* Legati tres, quorum nomina non ponit, hi fuerunt, Sp. Tarpeius, C. Julius, P. Sulpicius, omnes consulares: pontifex maximus fuit M. Papirius. Ascon.

34. *Cassiam, qua lege.* Quæ sit ista lex Cassia, qua suffragiorum potestas convaluit, manifestum est: nam ipse quoque paullo ante dixit, legem Cassium tulisse, ut populus per tabellam suffragium ferret: altera Cassia lex, quæ populi judicia firmavit, quæ sit, potest quæri: est autem hæc. C. Cassius L. F. Longinus tribunus pl. C. Mario, C. Flavio coss. plures leges ad minuendam nobilitatis potentiam tulit, in quibus hanc etiam, ut, quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, in senatu non esset: tulerat autem eam maxime propter simultates cum Q. Servilio, qui ante biennium consul fuerat; et cui populus, quia male adversus Cimbros rem gesserat, imperium abrogavit. Dicit de nobilibus. Ascon.

35. *Quum legem Aureliam, quum Rosciam, non modo accepit.* Aurelia lege communicata judicia inter senatores, et equestrem ordinem, et tribunos ærarios. Roscia est, qua L. Roscius Otho biennio ante confirmavit, ut in theatro equitibus romanis XIV ordines spectandi gratia darentur. Ascon.

Digitized by Google

tibus romanis lege Plotia[36] judicarent, hominem diis ac nobilitati perinvisum, Cn. Pompeium, causam lege Varia de majestate dixisse.

... Nihil senatui detraxisse Cornelium. *Fronto*, *p.* 373.

... Ex promulgatione trinundinum dies ad ferendum, potestasque venisset. *Priscianus*, VII, *p.* 733.

Codicem attigit[37]. *Quintilianus*, V, 13.

Repugnat enim, ut divisores, quos honoris sui ministros esse voluerat, lege ambitus vellet affligere. *Marcianus Capella*, *p.* 421.

... Quæ intermissa complures annos... *Priscianus*, VIII, *p.* 777.

Num alicui gratificabatur aut homini, aut ordini? *Id. ibid. p.* 830.

Cœptum igitur per eos, qui agi volebant; desitum est per hunc, qui decessit. *Id.* X, *p.* 908.

... Circuitis rostris, ejicerentur lapidibus homines. *Id.* VIII, *p.* 830.

... Refertum tribunitiis[38] legibus, exhaustum a quibus sit, ipsi sciunt. *Aquila*, *p.* 19.

... Qui eloquentia ceteris antecellit. *Priscianus*, X, *p.* 897.

36. *Lege Plotia.* M. Plautius Silvanus tribunus pl. Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone coss. secundo anno belli italici, quum equester ordo in judiciis dominaretur, legem tulit adjuvantibus nobilibus, quæ lex vim eam habuit, quam Cicero significat: nam ex ea lege tribus singulæ ex eo numero quinos denos suffragio creabant, qui eo anno judicarent: ex eo factum est, ut senatores quoque in eo numero essent, et quidam etiam ex ipsa plebe. Ascon.

37. *Codicem attigit.* Quintilianus, lib. V, cap. 13: «Si accusator est minus efficaciter loquutus, ipsa ejus verba ponantur; sin acri et vehementi usus fuerit oratione, eamdem rem nostris verbis mitioribus proferamus. Cicero pro Cornelio dixit, *codicem attigit*, et statim factum excusat. In Vatinium, cap. 2, Cicero voce propria utitur, «codicem legisse dicebatur». Ed.

38. *Refertum tribunitiis.* De ærario loquitur, in quo leges servabantur. Ed.

Digitized by Google

Demi medius fidius de his tormentis aliquantum malim. *Fronto, p.* 375.

... Ad miserrimum crudelissimumque dominatum dedi patiamini. *Id. p.* 373.

www.libtool.com.cn

Cur nunc redeant, si tum gratiæ concesserint? *Id. p.* 370.

Quid, quod ne cum iis quidem expertus es, quos duces operarum fuisse dixisti? *Id. p.* 375.

... Ejusmodi mihi duos laqueos in causa esse propositos, ut, si me altero expedissem, tenerer altero. *Id. p.* 377.

Aperuit fores scalarum. *Acro, ad Horat. Serm. lib.* I.

Legite, ut legebatis: hinc intelligetis, nulla tenuissima suspicione describi, aut significari Cornelium. *Boethius, de Definitionibus.*

PRO C. CORNELIO, II.

Pugnem aperte[1] contra nobilissimorum hominum voluntates? studia, consilia, cogitationesque eorum aperiam? *Aquila, p.* 18; *Fortunatianus, Rhet.* III.

O callidos homines[2]! o rem excogitatam! o ingenia metuenda! Testes dare[3] volumus. Quem, quæso, nostrum fefellit, ita vos esse facturos? *Cicero, Orat. c.* 67.

Num in eo, qui sint hi testes, hæsitatis? Ego vo-

1. *Pugnem aperte contra nobiliss. hominum voluntates?* In orationem secundam, quam brevissimam puto fuisse, ut primam longissimam, omnem illam argumentationem rejecisse Ciceronem arbitror, qua nobilissimorum virorum testimonia refutavit. Sig. — Hoc fragmentum exstat etiam in Fortunatiani Rhetorica, præter Aquilam, sed ibi multo magis truncatum.

2. *O callidos homines!* Eadem verba profert in Oratore Cicero ex secunda Corneliana, quæ et ipsa ad quæstionem de testibus pertinent. Ed.

3. *Testes dare.* Testes nimirum, qui vidisse se dicturi sunt, quum Cornelius ipse trib. pl. codicem, quod nefas est, recitaret. Ed.

Digitized by Google

bis edam duos[4]. Reliqui sunt de consularibus, inimici tribunitiæ potestatis. Pauci præterea assentatores eorum atque asseclæ subsequuntur. *Asconius.*

Sed si familiariter ex Q. Catulo, sapientissimo viro atque humanissimo, velim quærere, Utrius tandem tibi tribunatus minus probari potest, C. Cornelii, an, non dicam P. Sulpicii, non L. Saturnini, non C. Gracchi, non Tiberii; neminem, quem isti seditiosum existimant, nominabo; sed avunculi tui, Q. Catule, clarissimi, patriæque amantissimi viri : quid mihi tandem responsurum putatis? *Id.*

Post xx *versus a præcedenti.* Quid? avunculus tuus, clarissimus vir[5], clarissimo patre, avo, majoribus, credo, silentio, favente nobilitate, nullo intercessore comparato, populo romano dedit, et potentissimorum hominum collegiis eripuit, cooptandorum sacerdotum potestatem? *Id.*

Sequitur. Quid? idem Domitius M. Silanum[6], consularem hominem, quemadmodum tribunus pl. vexavit? *Id.*

Hæc est controversia[7] ejusmodi, ut mihi tribunus

4. *Edam duos.* Scilicet M. Lucullum et M. Lepidum. Consulares alii in hac causa testes fuere Q. Catulus, Q. Hortensius, Q. Metellus Pius, summus pontifex. Ed.

5. *Clarissimus vir.* Domitius, quem etiam *clarissimum* appellat Cicero in oratione de lege Agraria ad pop. quo loco de erepta cooptandi potestate collegiis loquitur; de qua re ipsa scribit etiam Suetonius in Nerone, et causam commemorat. Tum appellabant *clarissimum*, cujus majores magistratus adepti fuerant. Ed.

6. *M. Silanum.* Qui contra Cimbros injussu populi bellum gesserat. Duas dumtaxat tribus adversarias habuit.

7. *Hæc est controversia.* In hæc verba ita Asconius : « Post infractam tribunitiam potestatem a Sulla, ante restitutam a Cn. Pompeio, apparet : fuit autem is tribunus pl. ante XII annos D. Bruto et M. Lepido coss. » Ex quibus verbis difficile intelligi potest, quid aut Cic. velit, aut Asconius. Ego autem suspicor, Q. Catulum consulem cum M. Terpolio, vel potius Trebellio, trib. pl. acerrime contendisse, eumque vexasse, quod tum potestas tribunitia fracta a Sulla esset : scriptum est enim in concione Macri apud Sallustium ita : « Sulla mortuo, qui scelestum imposuerat servitium, finem mali credebatis, ortus est longe sævior Catu-

Digitized by Google

pl. Cn. Domitius, Catulo M. Terpolius[8] contemptissimum nomen ejectum esse ex iis, qui tribuni pl. fuerunt..... *Id.*

www.libtool.com.cn

Nam neque me divitiæ[9] movent, quibus omnes Africanos et Lælios multi venalitii[10] mercatoresque superarunt; neque vestis, aut cælatum aurum et argentum, quo nostros veteres Marcellos Maximosque multi eunuchi e Syria Ægyptoque vicerunt. Neque vero movent me ornamenta ista villarum, quibus L. Paullum et L. Mummium, qui rebus his urbem Italiamque omnem referserunt, ab aliquo video perfacile Deliaco, aut Syro potuisse superari. *Cicero, Orat. c.* 70; *Quintilianus*, IX, 4; *Priscianus*, X, *p.* 904.

Quis tam abundans copiis.... *Priscianus*, XVIII, *p.* 1123; *Fronto*, *p.* 362.

Da enim mihi facultatem eos, qui tum affuerunt Cornelio[11], nominandi. *Fronto*, *p.* 365.

lus : tumultus intercessit Bruto et Æmilio Mamerco coss. » Neque enim impedit, quo minus Catulus consul vexare Trebellium potuerit, qui Bruto, et Mamerco Lepido coss. tribunatum gessit : nam tribuni mense decembri inibant, consules kal. januariis : quare Catulus consul extremo consulatu suo Trebellium, postquam iniit, potuit insectari : significat autem Cicero, ut Catulus Trebellium tribunum non probavit, sic se Domitium Catuli avunculum non probare : aut aliquid tale. Apud Asconium autem videtur legendum, *Mam. Lepido*, non *M. Lepido*, ex fragmentis Capitolinis : reliqua sententia vix sine scriptorum librorum auctoritate sanari potest. Src.

8. *M. Terpolius.* Videtur legend. *Turpilius.* Mendosus locus. J. V. L.

9. *Nam neque me divitiæ.* Hæc in Oratore Cicero se ait in secunda Corneliana usurpasse : ostendit autem se testium divitias contemnere : nam ut nobilissimi, sic ditissimi homines in Cornelium testimonia dixerant, Q. Catulus, Q. Hortensius, Q. Metellus Pius, M. Lucullus et M. Lepidus. Src.

10. *Venalitii.* Non dubitat Patricius, quin legendum sit, *venalitiarii.* Alii repugnant. J. V. L.

11. *Tum affuerunt Cornelio. Tum*, non dicit in judicio (quum per quatuor dies causa hæc acta sit), præter enim Globulum istum, qui prius intercesserat, deinde autem in judicio aderat, Cornelius Manilii exitu perterritus, paucos in judicium adhibuerat, ut scribit Asconius in argumento; sed *tum*, quum videlicet legem perferret de cc senatoribus. Ea enim, quamquam invitis optimatibus, tamen sine tumultu est perlata, teste eodem Asconio. Ed.

Digitized by Google

Facite, ut facitis, qui ad causam adestis. *Fronto*, p. 365.

Quid enim mihi certamen est cum accusatore, aut contentio? *Id. p.* 369.

.... Qui commodis populi romani lingua dumtaxat ac voluntate consuluit. *Id. p.* 375.

.... Expelleret a dispensantibus.... *Id. p.* 376.

Sed[12] ad urbem dierum tres fuerunt complurium.... *Id. p.* 366.

Quam diligentes libertatis vos oporteat esse .... *Id. p.* 375.

Si vos hujus fortunas[13] paucorum odio adjudicaveritis. *Id. p.* 367.

Correpsit in scalas. *Scholiast. Juvenal.*

12. *Sed ad urbem dierum tres fuerunt complurium.* Fragmentum mutilum. J. V. L.

13. *Si vos hujus fortunas.* Extrema oratione calamitatem Cornelii exposuisse Ciceronem puto : cujus partis hæc sint. Quod confirmat etiam Severianus, quum ait : « Misericordiam movemus, quum alicujus calamitates commemoramus, quum magnitudinem periculi ostendimus, sicuti pro Cornelio Cicero ». Sic.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

www.hstoo.com.cn

ORATIONIS IN TOGA CANDIDA.

Hæc oratio dicta est L. Cæsare, C. Figulo coss. post annum quam pro Cornelio dixerat. Sex competitores in consulatus Petitione Cicero habuit, duos patricios, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam: quatuor plebeios, ex quibus duo nobiles, C. Antonium, M. Antonii Oratoris filium, L. Cassium Longinum: duos, qui tantum non primi ex familiis suis magistratum adepti erant, Q. Cornificium, et C. Licinium Sacerdotem: solus Cicero ex competitoribus equestri erat loco natus, atque in petitione patrem amisit: ceteri ejus competitores modeste se gessere; visique sunt Cornificius et Galba sobrii ac sancti viri. Sacerdos nulla improbitate notus. Cassium, qui iners ac stolidus tum magis quam improbus videretur, post paucos menses in conjuratione Catilinæ esse apparuit, ac cruentissimarum sententiarum fuisse auctorem: itaque hi quatuor pro re jacebant. Catilina autem et Antonius, quamquam omnibus maxime infamis eorum vita esset, tamen multum poterant: coierant enim ambo, ut Ciceronem consulatu dejicerent, adjutoribus usi firmissimis, M. Crasso et C. Cæsare: itaque hæc oratio contra solos Catilinam et Antonium est. Causa orationis hujusmodi in senatu habendæ Ciceroni fuit, quod, quum in dies licentia ambitus augeretur propter præcipuam Catilinæ et Antonii audaciam, censuerat senatus, ut lex ambitus aucta etiam cum pœna ferretur: eique rei Q. Mucius Orestinus, tribunus pl. intercesserat: tum Cicero, graviter senatu intercessionem ferente, surrexit, atque in coitionem Catilinæ et Antonii invectus est ante dies comitiorum paucos. Asc.

IN TOGA CANDIDA.

Dico, P. C. superiore nocte cujusdam hominis nobilis[1], et valde in hoc largitionis quæstu noti et cogni-

1. *Hominis nobilis.* Aut C. Cæsaris, aut M. Crassi domum significat: etenim acerrimi ac potentissimi fuerunt Ciceronis refragatores, quum petiit

Digitized by Google

ti, domum Catilinam et Antonium cum sequestribus suis convenisse. Quem enim[2] aut amicum habere potest is, qui tot cives trucidavit; aut clientem, qui in sua civitate cum peregrino negavit se judicio[3] æquo certare posse?...

Nec se jam[4] tum respexit, quum gravissimis vestris decretis absens notatus est. In judiciis quanta[5] vis

consulatum, quod ejus in dies civilem crescere dignitatem animadvertebant: et hoc ipse Cicero in expositione suorum consiliorum significat: ejus quoque conjurationis, quæ Cotta et Torquato coss. ante annum, quam hæc dicerentur, facta est a Catilina et Pisone, arguit M. Crassum auctorem fuisse. Ascon.

2. *Quem enim.* Catilinam, quum in Sullanis partibus fuisset, crudeliter fecisse, nominatim etiam postea Cicero dicit, quod occiderit Q. Cæcilium, M. Volumnium, L. Tantasium: M. etiam Marii Gratidiani, summe popularis hominis, qui ob id his prætor fuit, caput abscissum per urbem sua manu Catilina tulerat: quod crimen sæpius ei tota oratione objicit: fuerat vero hic Gratidianus arcta necessitudine Ciceroni conjunctus. Clientem autem negat habere posse C. Antonium: nam is multos in Achaia spoliaverat, nactus de exercitu Sullano equitum turmas: deinde Græci, quos spoliaverat, eduxerant Antonium in jus ad M. Lucullum prætorem, qui jus inter peregrinos dicebat: egit pro Græcis etiam tum adolescentulus C. Cæsar, de quo paullo ante mentionem fecimus: et quum Lucullus id, quod Græci postulabant, decrevisset, appellavit tribunos Antonius, juravitque se ideo appellare, quod æquo jure uti non posset: hunc Antonium Gellius, et Lentulus censores sexennio, quo hæc dicerentur, senatu moverunt, causasque subscripserunt, quod socios diripuerit, quod judicium recusarit, quod propter æris alieni magnitudinem prædia manciparit, bonaque sua in potestate non haberet. Ascon.

3. *Se judicio æquo.* Q. Cicero de Petitione consulatus: « vocem audivimus jurantis se Romæ judicio æquo cum homine græco certare non posse ». Ed.

4. *Nec se jam tum respexit.* Catilina ex prætura Africam provinciam obtinuit: quam quum graviter vexasset, legati Afri in senatu jam tum, absente illo, questi sunt, multæque graves sententiæ in senatu de eo dictæ sunt. Ascon.

5. *In judiciis quanta vis esset.* Ante annum, quam hæc dicerentur, Catilina quum redisset ex Africa, Torquato et Cotta coss. accusatus est repetundarum a P. Clodio adolescente, qui postea inimicus Ciceronis fuit: defensus est Catilina, ut Fenestella tradit, a M. Cicerone: quod ego ut addubitem, hæc ipsa Ciceronis oratio facit, maxime, quod is nullam mentionem rei habet, quum potuerit invidiam facere competitori tam turpiter adversus se coeunti; præsertim quum alterum competitorem suum Antonium in eadem hac oratione sua admoneat, suo beneficio eum ex ultimo loco præturæ candidatum ad tertium pervenisse. « Nescis, me prætorem pri-

Digitized by Google

esset, didicit, quum est absolutus: si, aut illud judicium, aut illa absolutio nominanda est. Populum vero, quum inspectante populo collum secuit hominis maxime popularis [6], quanti faceret, ostendit.

Me, qua amentia inductus est, ut contemneret, constituere non possum. Utrum æquo animo latu-

mum esse factum, te concessione competitorum, et collatione centuriarum, et meo maxime beneficio e postremo in tertium locum esse subjectum? » qui igitur Antonio suffragationem suam imputandam putat, is, si defendisset Catilinam, caput ejus protectum a se non ei imputaret? quod ita esse, manifestum est ex eo, quod statim dicit. Q. enim Mucius, tribunus pl. intercedebat, ne lex de ambitu ferretur: quod facere pro Catilina videbatur: hunc Mucium in hac oratione appellans Cicero sic ait: «Te tamen Q. Muci tam male de rep. existimare, moleste fero, qui hesterno die me esse dignum consulatu negabas: quid? populus romanus minus diligenter scit sibi constituere defensorem, quam tu tibi? qui, quum te furti L. Calenus ageret, me potissimum fortunarum tuarum patronum esse voluisti: et cujus tu consilium in tua turpissima causa delegisti, hunc honestissimarum rerum defensorem populus romanus auctore te repudiare potest? nisi forte hoc dicturus es, quo tempore a L. Caleno furti delatus sis, eo tempore in me tibi parum auxilii esse vidisse». Verum, ut egerit Mucii causam Cicero, sicut Catilinæ egisse eum videri vult Fenestella, cur, quum, quamvis male existimet de causa Mucii, tamen ei exprobret patrocinium suum, non idem in Catilina faciat, si modo pro eo dixit? et cur ipsum illud judicium sæpius in infamiam vocat? quod protinus videretur non fuisse facturus, si in eo judicio fuisset patronus. Atque, ut alia omittam, hoc certe vix videtur dicturus fuisse, si illo patrono Catilina repetundarum absolutus esset. «Stupris se omnibus ac flagitiis contaminavit; cæde nefaria cruentavit: diripuit socios: leges, quæstiones, judicia violavit»: et postea: «Quid ego, ut violaveris provinciam, prædicem? nam, ut te illic gesseris, non andeo dicere, quoniam absolutus es: mentitos esse equites romanos, falsas fuisse tabellas honestissimæ civitatis existimo; mentitum Q. Metellum Pium, mentitam Africam: vidisse puto nescio quid illos judices, qui te innocentem judicarunt. O miser, qui non sentias, illo judicio te non absolutum, verum ad aliquod severius judicium ac majus supplicium reservatum». Veri ne ergo simile est, hæc eum Catilinæ objicere, si illo defendente absolutus est? Præterea movet me, quod, quum sint commentarii Ciceronis suarum etiam defensionum, commentarium tamen hujus defensionis, aut principium nullum inveniam. Itaque puto non defendisse, sed tantum de defendendo cogitasse: quod per hæc ipsa negari non potest. Hoc autem judicio absolutus est Catilina infamia judicum: ut et Clodius infamis fuerit, quippe qui prævaricatus est. Nam et rejectio judicum ad arbitrium rei videbatur esse facta. Ascon.

6. *Hominis maxime popularis.* M. Marii Gratidiani, de cujus nece vide etiam Dion. l. XXXVII. Patr.

Digitized by Google

rum putavit? an in suo familiarissimo[7] non viderat, me ne aliorum quidem injurias mediocriter posse ferre?

www.libtool.com.cn

Alter[8], pecore omni vendito, et saltibus prope addictis, pastores retinet, ex quibus, ait, se, quum velit, subito fugitivorum bellum excitaturum[9].

Alter induxit eum[10], quem potuit, ut repente gladiatores, populo non debitos, polliceretur; quos ipse consularis candidatus perspexit, et legit, et emit: præsente populo romano factum est.

Quamobrem[11] augere etiam mercedes si vultis, Q. Mucium conantem legem impedire[12], ut cœpit senatus, consules prohibere; sed ego ea lege contentus sum, qua duos consules designatos uno tempore damnari vidimus.

Te tamen[13], Q. Muci, tam male de republica existimare moleste fero, qui hesterno die me esse dignum consulatu negabas. Quid? populus romanus minus diligenter scit sibi constituere defensorem,

7. *Familiarissimo*. C. Verrem significari putant Sigonius, Asconius Pedianus. Ed.

8. *Alter*. C. Antonius: prædia enim ob magnitudinem æris alieni mancipasse, bonaque sua in potestate non habuisse, etiam ex nota censoria cognoscere est, quam recitat Pedianus in altera particula ejus orationis explicanda; et Q. Cicero bona ipsius proscripta se vidisse asseverat in libro de Petitione consulatus. Ed.

9. *Bellum excitaturum*. Hic locus Romanos, Spartaci non immemores, quam maxime debuit commovere. Ed.

10. *Alter induxit eum*. Q. Gallium, quem postea reum ambitus defendit, significare videtur: hic enim quum esset præturæ candidatus, quod in ædilitate, quam ante annum gesserat, bestias non habuerat, dedit gladiatorium, sub titulo, patri se id dare. Asc.

11. *Quamobrem augere etiam mercedes si vultis, Q. Mucium*. Locus vix emendandus sine novis MSS. Conj. *si non vultis... consules, prohibete*.

12. *Legem impedire*. Legem Calpurniam significat, quam C. Calpurnius Piso ante triennium de ambitu tulerat. Quod autem dicit damnatos esse designatos consules, P. Sullam, et P. Autronium, de quibus jam diximus, vult intelligi. Cognomen autem Q. Mucio tribuno, quem nominat, fuit Orestinus. Ascon. — P. Sullam et P. Autronium Catilinæ socios fuisse in utraque conjuratione nobis tradidit Sallustius, Catil. 17, 18. Ed.

13. *Te tamen*. Male hæc omittunt Ern. Sch. et alii. J. V. L.

Digitized by Google

quam tu tibi? qui, quum te furti L. Calenus ageret, me potissimum fortunarum tuarum patronum[14] esse voluisti. Et cujus tu consilium in tua turpissima causa delegisti, hunc honestissimarum rerum defensorem populus romanus, auctore te, repudiare potest? Nisi forte hoc dicturus es, quo tempore a L. Caleno furti delatus sis, eo tempore in me tibi parum auxilii esse vidisse.

Atque ut istum[15] omittam, in exercitu Sullano prædonem, in introitu gladiatorem, in victoria quadrigarium....

Te vero, Catilina, consulatum sperare[16], aut cogitare, non prodigium atque portentum est? A quibus enim petis? a principibus civitatis? qui tibi, quum L. Volcatius consul in consilio fuisset, ne petendi quidem potestatem esse voluerunt. A senatoribus? qui te auctoritate sua, spoliatum ornamentis omnibus, vinctum pæne Africanis oratoribus[17] tradiderunt. Ab equestri ordine[18]? quem trucidasti. A plebe? cui spectaculum ejusmodi tua crudelitas præbuit, ut nemo sine luctu adspicere, sine gemitu recordari posset.

14. *Patronum esse.* Cicero Q. Mucium Orestinum furto accusatum cum successu defenderat. Postea Mucius, tribunus plebis factus, Ciceroni grates quotidianis conviciis rependit. Ed.

15. *Atque ut istum.* Antonium, qui cum aliquot equitum turmis Achaiam vexavit. — *In introitu gladiatorem... quadrigarium.* Quum Sulla post victoriam circenses faceret, C. Antonius quadrigas agitavit. Ed.

16. *Consulatum sperare.* Catilina de provincia Africa petiturus consulatum decesserat; sed jam legati Afri de eo in senatu graviter questi erant. L. Volcatius Tullus consul consilium publicum habuit an rationem Catilinæ habere deberet, si peteret consulatum; nam quærebatur repetundarum. Catilina ob eam causam destitit a petitione. Ed.

17. *Africanis oratoribus.* Nam judicium repetundarum sequutum fuit, a quo ipse per infamiam liberatus est Catilina, sed ita, ut senatorum urna damnaret, equitum et tribunorum absolveret. Ed.

18. *Ab equestri ordine?* Equester ordo pro Cinnanis partibus contra Sullam steterat, multasque pecunias abstulerant; ex quo Sacculatii erant appellati, atque ob ejus rei invidiam post Sullanam victoriam erant interfecti. Ed.

Digitized by Google

... Quod caput, etiam tum plenum animæ et spiritus, ad Sullam, usque ab Janiculo ad ædem Apollinis[19], manibus ipse suis detulit.

www.libtool.com.cn

Quid tu potes in defensione tua dicere? quod illine dixerunt? quæ tibi dicere non licebit.

Et paullo post. Denique illi negare potuerunt, et negaverunt: tu tibi ne infitiandi quidem impudentiæ locum reliquisti. Quare præclara dicentur judicia tulisse, si, qui infitiantem Luscium[20] condemnarunt, Catilinam absolverint confitentem.

Is ergo negat, se ignarum esse: quum etiam illi, imperitos se homines esse, et, si quem etiam interfecissent, imperatori ac dictatori paruisse dicerent. Ac negare quoque posse; Catilinam vero infitiari non posse.

Hanc tu habes dignitatem, qua fretus me contemnis ac despicis? an eam, quam reliqua vita es consequutus? quum ita vixisti, ut non esset locus tam sanctus, quo non adventus tuus, etiam quum culpa nulla

19. *Usque ab Janiculo ad ædem Apollinis, man. ipse s. det.* Ejusdem illius Marii Gratidiani, quod caput gestarit, objicit: quo loco dicit Catilinam caput M. Marii gestasse, quod caput etiam tum plenum animæ, et spiritus ad Sullam usque ab Janiculo ad ædem Apollinis manibus ipse suis detulit. Omnia sunt manifesta: ne tamen erretis, quod his temporibus ædes Apollinis in Palatio sit nobilissima; admonendi estis, non hanc a Cicerone significari, ut puto, quam post mortem etiam Ciceronis multis annis imp. Cæsar, quem nunc divum Augustum dicimus, post Actiacam victoriam fecerit; sed illam demonstrari, quæ est extra portam Carmentalem, inter forum Olitorium et circum Flaminium: ea enim sola tum demum Romæ Apollinis ædes. Ascon.

20. *Luscium condemnarunt.* L. Luscius centurio Sullanus, divesque e victoria factus, nam amplius centies possederat, damnatus erat non multo ante quam Cicero dixit. Objectæ sunt ei tres cædes proscriptorum circa eosdem dies. Asc. — *Absolverint.* Cæsar anno Romæ 689, ut Marii partium memoriam reficeret, sicarios qui Sullæ manus vindictæ dederant, accusavit, et damnari jussit; sed Catilinæ ceteris longe nocentissimo pepercit. L. Paullus frustra iterum monstrum illud propter eadem scelera revocavit, Catilina iterum fuit absolutus, Ep. ad Atticum, I, 16; Sallust. Cat. 31; Dio Cassius, XXXVII, 10, etc. Ed.

Digitized by Google

subesset[21], crimen afferret; quum deprehendebare in adulteriis; quum deprehendebas adulteros[22] ipse; quum ex eodem stupro tibi et uxorem, et filiam[23] invenisti.

... Stupris se omnibus ac flagitiis contaminavit, cæde nefaria cruentavit; diripuit socios; leges, quæstiones, judicia violavit.

Quid ego, ut violaveris provinciam[24], prædicem, cuncto populo romano clamante, ac resistente? Nam, ut te illic gesseris, non audeo dicere, quoniam absolutus es. Mentitos esse equites romanos, falsas fuisse tabulas honestissimæ civitatis existimo; mentitum Q. Metellum Pium, mentitam Africam; vidisse puto nescio quid illos judices, qui te innocentem judicarunt. O miser! qui non sentias, illo judicio te non absolutum, verum ad aliquod severius judicium ac majus supplicium reservatum.

Prætereo illum nefarium conatum tuum, et pæne acerbum et luctuosum populo romano diem, quum, Cn. Pisone socio, neque alio nemine[25], cædem optimatum facere voluisti.

21. *Culpa nulla subesset, crimen afferret.* Fabia virgo Vestalis causam incesti dixerat, quum ei Catilina objiceretur, eratque absoluta hæc Fabia, quia soror erat Terentiæ Ciceronis, ideo dicit, « etiam si culpa nulla subesset ». Eadem pæne similia reperias in Quinti Ciceronis tractatu, cap. 3. Multa alia in utroque opere congruunt; inde crediderunt plurimi Ciceronem primum etiam scripsisse, et sub nomine fratris sui edidisse. Quintus ipse saltem sub fine cap. 14 fatetur fratrem suum natu majorem magnam partem illius operis composuisse. Ed.

22. *Deprehendebas adulteros.* Difficillimum quidem depingere quanta fuerit Romæ morum corruptela; animus meminisse horret. Ed.

23. *Uxorem, et filiam.* Dicitur Catilinam adulterium commisisse cum ea, quæ ei postea socrus fuit; et ex eo stupro duxisse uxorem, quum filia ejus esset. Hæc Lucceius quoque Catilinæ objicit, in orationibus quas in eum scripsit. Ed.

24. *Provinciam.* Africam, quam ex prætura obtinuit, et unde egressus repetundarum fuit accusatus. Loco *violaveris* legit Patricius « vi occupaveris ». Ed.

25. *Quum, Cn. Pisone socio, neque alio nemine, cædem optimatum,*

Digitized by Google

An oblitus es, te ex me, quum præturam peteremus, petisse, ut tibi primum locum concederem? quod quum sæpius ageres, et impudentius a me contenderes; meministi, me tibi respondere, impudenter te facere, qui id a me peteres, quod avunculus [26] numquam impetrasset? Nescis, me prætorem primum esse factum; te concessione competitorum, et collatione centuriarum [27], et meo maxime beneficio, e postremo in tertium locum esse sublectum?

Dicit de malis civibus. Qui posteaquam illo, ut conati erant, Hispaniensi pugiunculo [28] nervos incidere civium romanorum non potuerunt, duas uno tempore conantur in rempublicam sicas [29] destringere.

Hunc vos scitote Licinium gladiatorem jam immisisse cupidum Catilinæ, judices, Q. Curium [30], hominem quæstorium.

etc. Hic notanda est reticentia ista. Asconius putat designari Crassum, qui caput fuit conjurationis Pisonis et Catilinæ. Suetonius cum Crasso Cæsarem consociat. Ed.

26. *Quod avunculus.* Quis fuerit ille Antonii avunculus non datur cognoscere. Antistes Ant. Augustinus, Ylerdæ episcopus, legit *a te Boculus*, quod probat Sigonius. Boculus quidem fuit Circensis quadrigarius solertissimus et cum Antonio aurigaverat, quum Sulla post victoriam Circenses faceret. Probanda igitur hæc lectio, «quod a te Boculus numquam impetrasset», nempe ironia est vere Ciceroniana, et Antonii notat turpitudinem. Ed.

27. *Collatione centuriarum.* Quum candidatis plus quam justus suffragiorum numerus obtingeret, reliquum poterant cuilibet permittere, ita ut per hanc collectionem primas ille partes obtineret. Conf. Grucch. de Comitiis Rom. I, 4. Ed.

28. *Hispaniensi pugiunculo.* Sic Cn. Pisonem appellat, qui in Hispania, dum injurias provincialibus faceret, occisus erat, ut crediderunt multi, a Cn. Pompeii clientibus, Pompeio non invito. Ed.

29. *In rempublicam sicas.* Scilicet Autronium et Catilinam. Ed.

30. *Q. Curium.* Curius hic notissimus fuit aleator, damnatusque postea est. Huic orationi Ciceronis Catilina et Antonius contumeliose responderunt; quod solum poterant, invecti in novitatem ejus. Ceterum Cicero consul omnium consensu factus est; Antonius pauculis centuriis Catilinam superavit, quum ei propter patris nomen paullo speciosior manus suffragata esset quam Catilinæ. Ed.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

ARGUMENTUM

www.libtool.com.cn

ORATIONIS PRO Q. GALLIO.

Q. Gallium de ambitu postulatum scribit Asconius in commentario orationis in Toga, a Cicerone vero fuisse defensum, in Verrinarum. Ambitus autem objectus est, quod quum præturam peteret, quia in ædilitate, quam ante annum gesserat, bestias non habuerat, dedit gladiatorium sub titulo, patri se id dare. Hujus autem defensionis præclara fit mentio in libro de Petitione consulatus a Q. fratre, his verbis: « Nam hoc biennio quatuor sodalitates civium ad ambitionem gratiosissimarum tibi obligasti, M. Fundanii, Q. Gallii, C. Cornelii, L. Corvini, et horum in causis ad te deferendis, quidnam eorum sodales receperint et confirmarint, scio ». Defendit autem, M. Calidio accusante. Orationis quidem D. Hieronymus meminit in libro de vita Cleric. « Nihil tam facile, inquit, quam vilem plebeculam et indoctam concionem linguæ volubilitate decipere: quæ quidquid non intelligit, plus miratur. M. Tullius, in quem illud pulcherrimum elogium est : Demosthenes tibi præripuit, ne esses primus orator; tu illi, ne solus; in oratione pro Q. Gallio, quid de furore vulgi, et de imperitis concionatoribus loquatur, attende, ne his fraudibus ludaris. Loquor enim quæ sum ipse expertus unus. Quidam poeta nominatus, homo perliteratus, cujus sunt illa colloquia poetarum ac philosophorum, quum facit Euripidem et Menandrum inter se, et in alio loco Socratem atque Epicurum disserentes, quorum ætates non annis, sed seculis scimus esse disjunctas, quantos is plausus et clamores movet: multos enim condiscipulos habet in theatro, qui simul literas non didicerant ». Sigonius.

Posterius hanc orationem fuisse habitam oratione in Toga candida testatur Asconius, quem citat Sigonius. Fuit autem is Gallius, qui antea quoque Q. Calidium, M. Calidii oratoris patrem, repetundarum, ut opinor, accusarat. Idem videtur Cornelii judicium prætor exercuisse.

Digitized by Google

.... Ut clamor[1], ut convicium mulierum, ut symphoniæ cantus. Videbar mihi videre[2] alios intrantes, alios autem exeuntes, partim ex vino vacillantes, partim hesterna potatione oscitantes. Versabatur inter hos Gallius unguentis oblitus, redimitus coronis : humus erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis, et spinis cooperta piscium. *Quintilianus*, VIII, 3; *Aquila*, *p.* 16.

Loquor enim, quæ sum ipse nuper expertus unus. Quidam poeta[3] nominatus, homo perliteratus, cujus sunt illa colloquia poetarum, ac philosophorum, quum facit Euripidem et Menandrum inter se, et in alio loco Socratem atque Epicurum disserentes, quorum ætates non annis, sed sæculis scimus esse disjunctas, quantos is plausus et clamores movet? multos enim condiscipulos habet in theatro, qui simul literas non didicerunt. *D. Hieronymus, Epist. de Vit. Cleric.*

An ista, si vera essent, sic a te dicerentur? *Quintilianus*, XI, 3.

Tu istuc[4], M. Calidi, nisi fingeres, sic ageres? præ-

1. *Ut clamor.* Ruhnken. ad Aquilam, pag. 144, pro *ut*, ter legendum putat *sit*. Ed.

2. *Videbar mihi videre.* Quintilianus, lib. VIII, cap. 3, hunc citat locum, ut hypotyposis exemplum et addit: « quid plus videret, qui intrasset? » Ed.

3. *Quidam poeta.* Hic locus Ciceronianam artem non sapit. D. Hieronymus verba saltem, si non sensum, mutavit. Ed.

4. *Tu istuc, M. Calidi.* M. Calidius Gallium, ut dixi, accusavit, quod patrem suum Q. Calidium de repetundis postulasset. De hoc autem loco sic Cicero in Bruto, ubi de M. Calidio loquitur : « Aberat, inquit, et tertia illa laus, qua permoveret, atque incitaret animos; quam plurimum pollere diximus; nec erat ulla vis, atque contentio, sive consilio, quod eos, quorum altior oratio, actioque esset ardentior, furere, et bacchari arbitraretur; sive quod natura non esset ita factus; sive quod non consuesset; sive quod non posset : hoc unum illi, si nihil utilitatis habebat, abfuit, si opus erat, defuit. Quin etiam memini, quum accusatione sua Q. Gallio crimini dedisset, sibi eum venenum paravisse, idque a se esse deprehensum;

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

sertim quum ista eloquentia alienorum hominum pericula defendere acerrime soleas, tuum negligeres? Ubi dolor? ubi ardor animi? qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces et querelas solet. Nulla perturbatio animi, nulla corporis; frons non percussa, non femur; pedis, quod minimum est, nulla supplosio. Itaque (tantum abfuit, ut inflammares nostros animos) somnum isto loco vix tenebamus. *Cic. Bruto, c.* 80.

Ego te certo scio, omnes logos, qui ludis dicti sunt, animadvertisse. *Nonius*, I, 318.

Poematorum [5]. *Carisius*, I, *p.* 114.

... qui spurce dictum [6] commemorarent in libera civitate. *Eugraphius, ad Terent. Eunuch.* II, 4.

seseque chirographa, testificationes, indicia, quæstiones, manifestam rem deferre diceret; deque eo crimine accurate, et exquisite disputavisset; me tum respondendo, quum essem argumentatus, quantum res ferebat, hoc ipsum etiam posuisse pro argumento, quod ille, quum pestem capitis sui, quum indicia mortis se comperisse manifesto, et manu tenere diceret, tam solute egisset, tam leniter, tam oscitanter : Tu istuc, M. Calidi, nisi fingeres, sic agerea? etc. » Horum autem etiam verborum, vel hujus potius artificii meminit Quintilianus, lib. XI, cap. 13, et Valerius Maximus, lib. IV, cap. 10 : « M. Cicero, inquit, quantum in pronuntiatione, et apto motu corporis momenti sit, oratione, quam pro Gallio habuit, significavit, M. Calidio accusatori exprobrando, quod præparatum sibi ab reo venenum testibus, chirographis, quæstionibus probaturum affirmans, remisso vultu, et languida voce, et soluto genere orationis usus esset : pariterque et oratoris vitium detexit, et causæ periclitantis argumenta adjecit, totum hunc locum ita claudendo : Tu istuc, M. Calidi, nisi fingeres, sic ageres? » Hujus etiam orationis exstat apud Severianum testimonium, quum ait : « Similiter pro Gallio, ubi accusator pecunias objecit : ibi enim dum singula inter se comparat, alterum altero Tullius diluit ». Sigon.

5. *Poematorum.* Sic Varro, Attius, eodem teste, et Afranius apud Nonium, lib. VIII, cap. 79. Sic Tullius sæpe, non *poematibus*, sed *poematis*. J. V. L.

6. *Qui spurce dictum.* Veteres editores hunc Eugraphii locum omiserant : « ut Tullius in Gallia : a qua spurce dictum » ; et Ruhnk. ad Aquilam, p. 144, sic recte emendat : « ut Tullius in Galliana : qui spurce dictum, etc. » Ed.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

www.libtool.com.cn

ORATIONIS PRO L. OTHONE.

Hic est L. Roscius Otho, qui in tribunatu quadriennio ante Ciceronis consulatum legem tulit, qua equitibus XIV primos theatri gradus constituit, reliquos superiores plebi. Qua de causa in theatrum veniens, consule Cicerone, a plebe convicio et clamore exceptus est. Hunc autem ut plebi reconciliaret, Cicero hanc orationem habuit : unde dixit Plinius, lib. VII, de Cicerone : «Roscio theatrali auctori legis tribus ignoverunt, notatasque se discrimine sedis, æquo animo tulerunt». Cicero in epistolis ad Atticum hanc orationem de Othone appellavit. Sigonius.

DE L. OTHONE.

Hic si se istius[1] viæ dedisset. *Fronto*, *p.* 373.

1. *Hic si se istius.* Non facile repe- rias hujusce mutili loci significationem; quæ sæpius in fragmentis occurrunt tenebræ. Ed.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

www.libtool.com.cn

ORATIONIS DE PROSCRIPTORUM LIBERIS.

L. Sulla dictator non solum inimicos suos proscripsit, sed eorum etiam filios in perpetuum petendorum honorum potestate lege lata privavit : unde illa sunt M. Lepidi consulis in L. Sullam, apud Sallustium : « Quin solus omnium, post memoriam hominum, supplicia in post futuros composuit : queis prius injuria, quam vita, certa esset ». Contra hos igitur Cic. cos. quum, ut ad honores admitterentur, contenderent, egit in oratione quam inscripsit de proscriptorum filiis ; cujus meminit Quintil. lib. XI, cap. 1, ita : « Mollienda est in plerisque alio colore asperitas orationis, ut Cicero de proscriptorum liberis fecit : Quid enim crudelius, quam homines honestis parentibus ac majoribus natos a republica submoveri ? » cujus orationis vim indicavit Plin. lib. VII, quum dixit : « Te orante Cicero, proscriptorum liberos honores petere puduit ». His tamen postea Cæsar dictator omnia concessit. SIGONIUS.

DE PROSCRIPTORUM LIBERIS.

Quid enim crudelius, quam homines honestis parentibus ac majoribus natos a rep. submoveri ? Sed ita legibus Sullæ continetur status civitatis, ut, his solutis, stare ipsa non possit[1]. *Quintilianus*, XI, 1.

1. *Cont. status civitatis, ut, his solutis, stare ipsa non possit.* Quintilianus, XI, 1, Ciceronis citat phrasim, ut hoc confirmet præceptum : « Mollienda est in plerisque alio colore asperitas orationis » ; sed loci hujusce prolatio anceps. Sallustius in dictatoris tyrannicam legem insurgens, M. Lepidum in magna sua historia, lib. I, inducit exclamantem : « Quin solus omnium, post memoriam hominum, supplicia in post futuros composuit : queis prius injuria, quam vita, certa esset ». ED.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

www.libtool.com.cn

ORATIONIS CONTRA CONCIONEM Q. METELLI.

Q. Metellus Nepos, tribunus pl. quum in M. Ciceronem apud populum, Silano et Murena coss. esset invectus, eum, ut sibi oratione responderet, compulit : quam orationem quum post scripsisset, contra concionem Q. Metelli vocavit. De hac contentione tum credo loquutus est, quum ad Q. Metellum Celerem Nepotis fratrem ita scripsit : « Ad III non. jan. quum agere cœpisset, tertio quoque verbo me appellabat, mihi minabatur : hujus ego temeritati si virtute atque animo non restitissem, quis esset, qui me in consulatu, non casu potius existimaret, quam consilio fortem fuisse? » De oratione autem ipsa sic scribit lib. I ad Atticum : « In illam orationem Metellinam addidi quædam : liber tibi mittetur » : et lib. III : « Quæ est spes ista eodem tribuno pl. et inimico cos. designato? percussisti autem me etiam de oratione prolata : cui vulneri, ut scribis, medere, si potes : scripsi equidem olim et iratus, quod ille prior scripserat, sed ita compresseram, ut numquam emanaturam putarem : quomodo exciderit, nescio : sed quia numquam accidit, ut cum eo verbo uno concertarem, et quia mihi scripta videtur negligentius, quam ceteræ, puto posse probari, non esse meam ». Hinc factum est, ut Gellius, lib. XVIII, c. 7, ita scripserit : « Concio significat orationem quæ ad populum habetur, sicut M. Tullius in oratione, quæ inscripta est contra concionem Q. Metelli. Ascendi, inquit, in concionem : concursus populi factus est » : et post : « Concionem esse dictam pro verbis et oratione docuit titulus Tulliani libri, qui a M. Cicerone inscriptus est contra concionem Q. Metelli ». Meminerunt autem hujus orationis D. Augustinus et Fortunatianus in Rhetoricis suis ita : « Utemur principiis in bonæ opinionis controversiis, sed brevioribus et erectioribus paullo, et confidentibus, et plenis dignitatis, sine jactantia dumtaxat, ne res pariat invidiam : ut est illud apud Tullium contra concionem Metelli : « Sic enim, ut opinor, insequar fugientem, quoniam congredi non licet cum resistente ». Quod numquam profecto tam magnifice dicere in exordio sta-

Digitized by Google

tim orsus fuisset, nisi et ipsius auctoris esset honesta persona et res, de qua loquuturus esset, non improba ». Meminit etiam hujus Priscianus. Scon.

www.libtool.com.cn

CONTRA CONCIONEM Q. METELLI.

Sic enim, ut opinor, insequar fugientem, quoniam congredi non licet cum resistente. *Fortunatianus*, III, *p.* 327.

Permulsa atque recreata est. *Priscianus*, IX, *p.* 871.

Nisi eorum exitio, non requieturam. *Id.* X, *p.* 886.

Adscendi in concionem [1]; concursus est populi factus. *Aul. Gell.* XVIII, 7.

Qui indicabantur, eos vocari, custodiri, ad senatum adduci jussi; in senatu sunt positi [2]. *Quintilianus*, IX, 3.

1. *Adscendi in concionem; concursus est populi factus.* A. Gellius, lib. XVIII, cap. 7, « concionem autem tria significare : locum suggestumque, unde verba fierent; item significare cœtum populi assistentis; item orationem ipsam, quæ ad populum diceretur. Sicut M. Tullius in oratione quæ inscripta est, contra concionem Q. Metelli : Adscendi, inquit, in concionem; concursus est populi factus ». Alii legunt *escendi*. Ed.

2. *In senatu sunt positi.* Quintilianus hanc affert locutionem ut exemplum *dissolutionis*, figuræ rhetoricæ. Addit : *et totus hic locus.* Sed nihil hujus loci superest, nisi quod servavit. Ed.

DE CONSULATU SUO.

... Quorum luxuries fortunata censa peperit. *Nonius*, III, 76.

1. *Fortunata censa.* Nonius in dict. *Census*, exponens id vocabulum neutro genere etiam usurpari, adducit hæc verba ex Ciceronis consulatu. Ed.

Digitized by Google

ANGELII MAII MONITUM

www.libtool.com.cn

DE FRAGMENTIS ORAT. IN P. CLODIUM ET CURIONEM.

Tullianæ orationis in Clodium et Curionem pauca verba in antiquis editionibus, sed uberrima apud plures auctores exstabat memoria. Laudaverunt enim ex ea particulas aliquot Quintilianus, Nonius Marcellus et Rufinianus, quas suis locis nos exhibebimus. Meminit ejus etiam noster Interpres, ad orat. in Vatinium, 10, 1; Clodianum autem stuprum, quod occasionem præbuit huic orationi scribendæ, sexcentis in locis commemorat Cicero. Vide, si lubet, de Provinciis consularibus, 10; in Pisonem, 39; Paradoxum, 4; et passim pro Domo, et de Haruspicum responsis, et pro Milone, quæ tres orationes magnam lucem affundunt huic nuper editæ in Clodium et Curionem. Senecæ item epistola 97, in eo scelere Clodii insectando pæne tota consumitur. Sed nusquam enucleatius quam in libro I Ciceronis epistolarum ad Atticum res tota evolvitur. Nam epist. 12 ait Cicero: «P. Clodium Appii F. credo te audisse cum veste muliebri deprehensum domi C. Cæsaris, quum (sacrificium) pro populo fieret, eumque per manus servulæ servatum et eductum; rem esse insigni infamia». Tum epist. 13: «Credo te audisse, quum apud Cæsarem pro populo fieret (sacrificium), venisse eo muliebri vestitu virum; idque sacrificium quum Virgines instaurassent, mentionem a Q. Cornificio in senatu factam: postea rem ex senatusconsulto ad pontifices relatam, idque ab iis nefas esse decretum: deinde ex senatusconsulto consules rogationem promulgasse; uxori Cæsarem nuntium remisisse». Historiam controversiæ in senatu actæ contexit Cicero epist. 14, ex qua etiam apparet Curionem stetisse pro Clodio. «Homines ad xv Curioni nullum senatusconsultum facienti assenserunt: ex altera parte facile cccc

Digitized by Google

fuerunt : acta res est. Fufius tribunus tum concessit : Clodius conciones miseras habebat ». Sed descriptionem plenissimam hujus causæ Claudianæ habet epistola 16, cum particulis ipsius orationis Tullii in P. Clodium et Curionem. Quum hæc epistola mirabiliter illustret nostra recenter edita orationis fragmenta, immo et ipsum Anonymi item nuper editum commentarium, visum nobis est eam omnino hic pæne integram potius præmittere, quam identidem ad eamdem minore cum fructu provocare.

www.libtool.com.cn

CICERO ATTICO.

« Quæris ex me, quid acciderit de judicio, quod tam præter opinionem omnium factum sit : et simul vis scire, quomodo ego minus, quam soleam, præliatus sim. Respondebo tibi ὕστερον πρότερον, Ὁμηρικῶς. Ego enim, quamdiu senatus auctoritas mihi defendenda fuit, sic acriter et vehementer præliatus sum, ut clamor concursusque maxima cum mea laude fierent. Quod si tibi umquam sum visus in republica fortis, certe me in illa causa admiratus esses. Quum enim ille ad conciones confugisset, in hisque meo nomine ad invidiam uteretur, Dii immortales! quas ego pugnas, et quantas strages edidi! quos impetus in Pisonem, in Curionem, in totam illam manum feci! quomodo sum insectatus levitatem senum, libidinem juventutis? Sæpe, ita me Dii juvent! te non solum auctorem consiliorum meorum, verum etiam spectatorem pugnarum mirificarum desideravi. Postea vero quam Hortensius excogitavit, ut legem de religione Fufius tribunus pl. ferret, in qua nihil aliud a consulari rogatione differebat, nisi judicum genus (in eo autem erant omnia), pugnavitque, ut ita fieret; quod et sibi, et aliis persuaserat, nullis illum judicibus effugere posse; contraxi vela, perspiciens inopiam judicum; neque dixi quidquam pro testimonio, nisi quod erat ita notum atque testatum, ut non possem præterire. Itaque, si causam quæris absolutionis (ut jam πρὸς τὸ πρότερον revertar) egestas judicum fuit, et turpi-

Digitized by Google

tudo. Id autem ut accideret, commissum est Hortensii consilio : qui dum veritus est, ne Fufius ei legi intercederet, quæ ex SC. ferebatur, non vidit illud, satius esse, illum in infamia relinqui ac sordibus, quam infirmo judicio committi : sed ductus odio properavit rem deducere in judicium, quum illum plumbeo gladio jugulatum iri tamen diceret. Sed judicium, si quæris quale fuerit, incredibili exitu; sic, uti nunc ex eventu ab aliis, a me tamen ex ipso initio consilium Hortensii reprehendatur. Nam ut rejectio facta est clamoribus maximis, quum accusator, tamquam censor bonus, homines nequissimos rejiceret, reus, tamquam clemens lanista, frugalissimum quemque secerneret; ut primum judices consederunt, valde diffidere boni cœperunt : non enim umquam turpior in ludo talario consessus fuit : maculosi senatores, nudi equites, tribuni non tam ærati, quam, ut appellantur, ærarii. Pauci tamen boni inerant, quos rejectione fugare ille non potuerat, qui mœsti inter sui dissimiles, et mœrentes sedebant, et contagione turpitudinis vehementer permovebantur. Hic, ut quæque res ad consilium primis petitionibus referebatur, incredibilis erat severitas, nulla varietate sententiarum : nihil impetrabat reus : plus accusatori dabatur, quam postulabat : triumphabat (quid quæris?) Hortensius se vidisse tantum : nemo erat, qui illum reum, ac non millies condemnatum arbitraretur. Me vero teste producto, credo te ex acclamatione Clodii advocatorum audisse, quæ consurrectio judicum facta sit, ut me circumsteterint, ut aperte jugula sua pro meo capite P. Clodio ostentarint. Quæ mihi res multo honorificentior visa est, quam aut illa, quum jurare tui cives Xenocratem testimonium dicentem prohibuerunt; aut quum tabulas Metelli Numidici, quum hæ, ut mos est, circumferrentur, nostri judices adspicere noluerunt : multo hæc, inquam, nostra res major. Itaque judicum vocibus, quum ego sic ab his, ut salus patriæ, defenderer, fractus reus et una patroni omnes conciderunt. Ad me autem eadem frequentia postridie convenit,

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

quacum abiens consulatu sum domum reductus. Clamare præclari Areopagitæ, se non esse venturos, nisi præsidio constituto. Refertur ad consilium: una sola sententia præsidium non desideravit. Defertur res ad senatum: gravissime ornatissimeque decernitur, laudantur judices, datur negotium magistratibus, responsurum hominem nemo arbitrabatur. Ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι, ὅππως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε. Nosti Calvum ex Nanneianis illum laudatorem meum, de cujus oratione erga me honorifica ad te scripseram. Biduo per unum servum, et eum ex ludo gladiatorio, confecit totum negotium: accersivit ad se, promisit, intercessit, dedit. Jamvero (o Dii boni! rem perditam!) etiam noctes certarum mulierum, atque adolescentulorum nobilium introductiones nonnullis judicibus pro mercedis cumulo fuerunt. Ita summo discessu bonorum, pleno foro servorum, xxv judices ita fortes tamen fuerunt, ut, summo proposito periculo, vel perire maluerint, quam perdere omnia, xxxi fuerunt, quos fames magis, quam fama, commoverit: quorum Catulus quum vidisset quemdam, Quid vos, inquit, præsidium a nobis postulabatis? an, ne nummi vobis eriperentur, timebatis? Habes, ut brevissime potui, genus judicii, et causam absolutionis. Quæris deinceps, qui nunc sit status reipublicæ, et qui meus. Reipublicæ statum illum, quem tu meo consilio, ego divino confirmatum putabam, qui bonorum omnium conjunctione, et auctoritate consulatus mei fixus et fundatus videbatur, nisi quis nos Deus respexerit, elapsum scito esse de manibus uno hoc judicio; si judicium est, triginta homines populi rom. levissimos ac nequissimos, nummulis acceptis, jus et fas omne delere, et, quod omnes non modo homines, verum etiam pecudes factum esse sciebant, id Talnam et Plautum et Spongiam et ceteras hujusmodi quisquilias statuere, numquam esse factum. Sed tamen ut te de republica consoler; non ita, ut sperarunt mali, tanto imposito reipublicæ vulnere, alacris exsultat improbitas in victoria. Nam plane ita putaverunt,

Digitized by Google

quum religio, quum pudicitia, quum judiciorum fides, quum senatus auctoritas concidisset, fore, ut aperte victrix nequitia ac libido pœnas ab optimo quoque peteret sui doloris, quem improbissimo cuique inusserat severitas consulatus mei. Idem ego ille (non enim mihi videor insolenter gloriari, quum de me apud te loquor, in ea præsertim epistola quam nolo aliis legi), idem, inquam, ego recreavi afflictos animos bonorum, unumquemque confirmans et excitans: insectandis vero exagitandisque numinariis judicibus omnem omnibus studiosis ac fautoribus illius victoriæ παῤῥησίαν eripui. Pisonem consulem nulla in re consistere umquam sum passus: desponsam homini jam Syriam ademi: senatum ad pristinam suam severitatem revocavi, atque abjectum excitavi: Clodium præsentem fregi in senatu, quum oratione perpetua, plenissima gravitatis, tum altercatione ejusmodi, ex qua licet pauca degustes. Nam cetera non possunt habere eamdem neque vim, neque venustatem, remoto illo studio contentionis quem ἀγῶνα vos appellatis. Nam, ut idibus Maii in senatum convenimus, rogatus ego sententiam, multa dixi de summa reipublicæ, atque ille locus inductus est a me divinitus, ne, una plaga accepta, patres conscripti conciderent, ne deficerent: vulnus esse ejusmodi, quod mihi neque dissimulandum, neque pertimescendum videretur: ne aut ignorando stultissimi (1) judicaremur. Bis absolutum esse Lentulum, bis Catilinam: hunc tertium jam esse a judicibus in rempublicam immissum. Erras, Clodi: non te judices urbi, sed carceri reservarunt: neque te retinere in civitate, sed exsilio privare voluerunt. Quamobrem, patres conscripti, erigite animos, retinete vestram dignitatem. Manet illa in republica bonorum consensio: dolor accessit bonis viris; virtus non est imminuta: nihil est damni factum novi, sed, quod erat, inventum est: in unius ho-

(1) Locum hiantem quidam explent sic: « aut timendo ignavissimi ». In codd. Ambrosianis nullum supplementum inveni. A. M.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

minis perditi judicio plures similes reperti sunt. Sed quid ago? pæne orationem in epistolam inclusi. Redeo ad altercationem. Surgit pulchellus puer: objicit mihi, me ad Baias fuisse. Falsum: sed tamen quid hoc? Simile est, inquam, quasi dicas in operto fuisse. Quid, inquit, homini Arpinati cum aquis calidis? narra, inquam, patrono tuo, qui Arpinates aquas concupivit: nosti enim Marinas. Quousque, inquit, hunc regem feremus? Regem appellas, inquam, quum Rex tui mentionem nullam fecerit! ille autem Regis hereditatem spe devorarat. Domum, inquit, emisti. Putas, inquam, dicere, judices emisti? Juranti, inquit, tibi non crediderunt. Mihi vero, inquam, XXV judices crediderunt; XXXI quoniam nummos ante acceperunt, tibi nil crediderunt. Magnis clamoribus afflictus conticuit et concidit. Noster autem status est hic. Apud bonos iidem sumus, quos reliquisti; apud sordem urbis, et fæcem multo melius nunc, quam reliquisti: nam et illud nobis non obest, videri nostrum testimonium non valuisse. Missus est sanguis invidiæ sine dolore, atque etiam hoc magis, quod omnes illi fautores illius flagitii rem manifestam illam redemptam esse a judicibus confitentur».

Hæc ad declarandam historiam ac pæne cursum hujus orationis sufficiant: cujus nos integrum argumentum amplumque antiqui scriptoris commentarium deprehendimus, non sine multis et nobilibus partibus ipsius deperditæ orationis. Scripta est autem hæc oratio consulibus Pisone et Messalla, id est, Ciceronis anno XLVI, Urbis 693.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

ARGUMENTUM

ORATIONIS IN P. CLAUDIUM(1) ET CURIONEM.

Apud Græcos hujusmodi genera orationum ἐπαινοῦντα καὶ ψέγοντα(2) nominantur, continentia ferme laudes et vituperationes. Non enim rei postulantur a Tullio, vel C. Curio, vel P. Clodius; sed quoniam habuerant in senatu quamdam jurgiosam decertationem, visum Ciceroni est hanc orationem conscribere plenam sine dubio et asperitatis, et facetiarum, quibus mores utriusque proscindit, et de singulorum vitiis quam potest acerbissime loquitur (3). Sed enim principium hujus offensæ fertur a P. Clodii incestu (4) descendisse. Nam visus est in domo pontificis maximi C. Cæsaris ejusdemque prætoris incestum fecisse cum ejus uxore Pompeia, eo tempore(5) quo per Vestales virgines et matronas honestissimas in operto Bonæ Deæ sacrificium viris omnibus inaccessum fiebat. Unde elapso tamen Clodio magna invidia percrebuit et infamia cærimoniarum, ut senatus decernere cogeretur, omnia (6) diligentia consulum pervestigandum,

(1) Ita cod. hoc loco habet *Claudium*, sed deinceps in aliarum paginarum titulis plerumque *Clodium*. A. M.

(2) In codice locus sic se habet: « Apud Græcos... nominantur, etc. » spatio relicto. Hujusmodi spatia vacua haud raro occurrunt in codice, quæ replenda videntur modo voculis græcis, quas librarius, quia græce fortasse erat ignarus, omisit: modo latinis, quas idem librarius ideo forsitan non scripsit, quia exscribebat e codice corrupto aut mutilo. Visum autem nobis est supplere ἐπαινοῦντα καὶ ψέγοντα. Consulatur Aristotel. Rhetor. lib. I, cap. 3, itemque Isocrates, Panath. ed. Wolfianæ per Crispinum, p. 557, A. Nisi quis mavult supplere ἐπιδεικτικὰ ex Cicerone, Orat. cap. 11, et Fortunatiano, Rhet. lib. I, sub initio. A. M.

(3) Consonat Quintilian. Instit. III, 7: « Editi in competitores (in consulatus petitione Antonium et Catilinam) in L. Pisonem, in Clodium et Curionem libri, vituperationem continent, et tamen in senatu loco sunt habiti sententiæ ». A. M.

(4) Cod. evidenter pro *incestu* habet *iratu*. A. M.

(5) Cod. *cum eo tempore*. A. M.

(6) Ita cod. *omnia*. A. M.

Digitized by Google

si quod esset publicis religionibus inlatum flagitium. Accedebat huc etiam præjudicium quoddam C. Cæsaris ipsius pontificis, qui uxorem suam illico repudiavit. Post quod reus de incesto factus est P. Clodius, accusante L. Lentulo, defendente C. Curione patre. Nam tres illis temporibus Curiones illustri nomine exstiterunt, atque ita in libris adhuc (1) feruntur; Curio avus, qui Servium Fulvium incesti reum defendit; et hic C. Curio pater, qui P. Clodio adfuit; et tertius ille Curio tribunitius, qui bello civili Pompeiano in Africa periit: quum *enim* esset partium Cæsaris, oppressus est ab equitibus Jubæ regis. Sed hactenus de Curionibus dictum sit (2). Multum diuque habitis concertationibus ante judicium, P. Clodius a turbulenta multitudine, ne causam diceret, non sine impetu seditionis adjutus est: auctore hujus conspirationis Q. Fufio Caleno, tribuno pleb. (3), cujus mentionem creberrimam Tullius in Filippicis (4) oratio-

(1) Nempe in eorum orationibus, quæ adhuc supererant, quum hic commentarius scribebatur. A. M.

(2) De primo Curione sic Cicero in Bruto, cap. 32: «Curio fuit igitur ejusdem ætatis fere, sane illustris orator, cujus de ingenio ex orationibus ejus existimari potest. Sunt enim et aliæ, et pro Ser. Fulvio de incestu nobilis oratio. Nobis quidem pueris, omnium optima putabatur, quæ jam vix comparet in hac turba novorum voluminum». Tum addit: «Atqui hæc, inquam, de incestu laudata oratio puerilis est locis multis: de amore, de tormentis, de rumore, loci sane inanes: verumtamen, nondum tritis nostrorum hominum auribus, nec erudita civitate, tolerabiles. Scripsit et alia nonnulla, et multa dixit et illustria, et in numero patronorum fuit: ut eum mirer... consulem non fuisse». Secundum Curionem dicit consulem cum Octavio Cicero in opere eodem, 60. Hujus vero laudi oratoriæ vehementer obtrectat, c. 59-61. Sic tamen concludit: «Orator, vivis ejus æqualibus, proximus optimis numerabatur, propter verborum bonitatem, et expeditam ac profluentem quodammodo celeritatem. Itaque ejus orationes adspiciendas tamen censeo, etc.» De tertio Curione sic scribit cap. 81: «Atque hic a magistris parum institutus, naturam habuit admirabilem ad dicendum: industriam non sum expertus: studium certe fuit». De hujus nece vide Cæsarem, Bell. Civ. II, 42. Curiones recenset inter oratores etiam auctor dialogi de Causis corruptæ eloquentiæ, cap. 37. A. M.

(3) Asconius ad orat. pro Mil. cap. 6, narrat: «Per hunc Fufium (seu *Fusium*) illo tempore, quo de incestu P. Clodii actum est, factum, ne a senatu asperius decerneretur». A. M.

(4) Sic *Filippicis*. Retineo autem *F* pro *PH*, quia hæc scriptio non est infre-

Digitized by Google

nibus facit (1), obstante vero pene (2) universo senatu pro sanctimonia religionum adversus crimen incesti. Judices tamen ad extremum dati sunt. Et primo quidem ab senatu præsidium petiverant, *ut* de Clodio potentissimo homine liberius judicaretur. Verum ita res cecidit, ut in eum multi grave testimonium dicerent, quorum in numero Marcus ipse Tullius interrogatus, ait: ad se salutatum venisse ipsa die Clodium, qua se ille contenderat Interamnæ (3) fuisse, millibus passuum ferme LXXXX ab Urbe disjunctum; quo scilicet videri volebat, incesti Romæ committendi facultatem non habuisse. Et post hæc ab judicibus XXV damnatus est. Prævaluit tamen ad ejus victoriam major eorum numerus qui absolverunt: nam XXX et una pro eo sententiæ latæ sunt. Inde igitur kapitalis (4) inimicus in M. Tullium cœpit efferri. Et quum illo anno *po*testate quæstoria fungeretur, apud populum creberrimis eum concionibus lacessebat. Minas quin immo prætendens, ad familiam se plebeiam (5) transiturum, ut tribunus pl. fieret, denuntiabat. Quibus minacissimis illius vocibus vehementer et acerrimo spiritu hac oratione Cicero respondit, duorum tam ipsius quam Curionis (6).

quens in antiquis latinis codicibus. Vide ex. gr. Symmachum, Laud. I in Valentin. Sen. cap. 9, Laud. II, cap. 25, Laud. in Gratian. cap. 7. A. M.

(1) Vide præsertim octavam : tum decimam, undecimam et duodecimam. A. M.

(2) *Pene* hoc loco, at alibi fere semper scribitur *pæne*. A. M.

(3) Hoc Clodii mendacium ridet Cicero etiam pro Domo, 30, et pro Mil. 17. Porro codex habet corrupte, *Interamne*. Contra superius item mendose, *æquitibus cæcidit*, pro *equitibus cecidit*. Nimirum diphthongorum ratio valde est in hoc codice perturbata. A. M.

(4) Ita cod. litera græca *kapitalis*. Sic inferius occurret *kaput*. Cicero ipse, Orat. 48, scripsit *Kartaginem*. Sic apud Veteres non raro occurrunt *kalendæ*, *kalumnia*, *karissimus*. Vide Quintil. Inst. I, 7; Marcianum Capellam, lib. III, cap. de mutis, et in Putschio Terentianum, pag. 2400; Val. Prob. p. 1515; tum Cellarium, Orthogr. ed. Patav. 1724, pag. 7. A. M.

(5) Id reapse præstitit Clodius, quum, ut a Fonteio adoptaretur, curavit. Vide pro Domo, 13, 14, et de Harusp. resp. 27. A. M.

(6) Sensus videtur hujusmodi: « hac oratione Cicero respondit orationibus duorum, etc. » A. M.

Digitized by Google

IN P. CLODIUM ET CURIONEM.

www.libtool.com.cn

Statueram[1], P. C. quoad reus esset P. Clodius, nihil de illo, neque apud vos, neque alio ullo in loco, dicere[2].

... Ac furiosis concionibus indixerat[3].

... quod simul ab eo mihi et reip. denuntiabatur[4].

... Nihil me addere[5] ad alterius periculum.

Sin esset judicatum, non videri virum venisse[6], quo iste venisset.

Ut ille e judicio[7], tamquam e naufragio, nudus emersit[8]....

1. *Statueram.* Pars orationis ab A. Maio recens edita. J. V. L.

2. *Dicere.* Facere videtur hoc *in argumentum* gravitatis et modestiæ suæ; verum summa cum asperitate, quamvis absolutus sit Clodius, tamen incestum vere commisisse adhuc adseverat. Hoc enim testificando, se omni et humanitate, et patientia P. Clodio pepercisse, sine dubio confirmat veritatem sui testimonii, ut omnia de illo cum fide dixerit, cui per illud tempus reatus parcendum putaverit. Schol.

3. *Indixerat.* Opportune et acriter furiosum P. Clodium dicit, ut in eum suspicio conveniat incesti, cujus ingenium furore jactetur. Schol. — Furiosam Clodii naturam pingit Cicero, de Harusp. resp. 18: « A diis quidem immortalibus quæ potest homini major esse pœna furore atque amentia? Tu (Clodi) quum furiales in concionibus voces mittis, quum domos civium evertis, quum lapidibus optimos viros pellis, etc. quum baccharis, quum furis; tum das eas pœnas, quæ solæ sunt hominum sceleri a diis immortalibus constitutæ... Deorum tela in impiorum mentibus figuntur ». A. M.

4. *Denuntiabatur.* Et suæ dignitati plurimum dedit, et P. Clodium vehementius accusavit. Nam gloriæ Ciceronis accedit, quod sejungi a re p. non potest: invidiæ autem P. Clodii adstruitur, si odisse videatur in Cicerone rem p. Schol.

5. *Nihil me addere.* Satis agit, ut in testimonio non existimetur esse mentitus. Schol.

6. *Non videri virum venisse.* Amaritudo stomachi est in hac sententia, qua perstringit mores P. Clodii scilicet inpudicos, ita dicendo: « non videri virum venisse quo iste venisset ». Quasi hoc pronuntiaverint qui eum sententiis suis liberaverunt, non ut incestum sibi probari non potuisse dicerent, sed ut ipsum virum negarent. Schol.

7. *Ut ille e judicio.* In loco et ipsorum judicum perstringit infamiam, quorum sententiis fuerat absolutus. Nam partim trecena millia, partim vero, secundum opiniones aliorum, quadringena accepisse dicuntur. Scn.

8. *Nudus emersit.* Locus hic paullo

Digitized by Google

... Syriam sibi[9] nos extra ordinem polliceri[10].

... creditoribus suis spem ostentare provinciæ videretur[11].

www.libtool.com.cn

... augent[12] magnum quemdam cumulum æris alieni.

Ingemuit gravius[13] timidior quidam creditor.

Confirmat se[14] comitiis consularibus Romæ futurum.

Tanto prius[15] ad ærarium venit, ut ibi ne scribam quidem offenderet.

... quibus iste[16], qui omnia sacrificia nosset, facile ab se deos placari posse arbitrabatur[17].

liberius laudatur a Quintiliano, Inst. VIII, 3, sub finem, sic: « Quo ex judicio velut ex incendio nudus effugit ». Jam simili locutione adversus Clodium utitur Cicero etiam de Haruspicum resp. 18 : « Te judices emiserunt excussum et exhaustum : suo judicio absolutum, omnium condemnatum ». A. M.

9. *Syriam sibi.* Ipse Clodius Gabinio Syriam deinde regendam dedit, cujus nimirum consulis ope Ciceronem pepulit in exsilium. Vide pro Domo, 26, et de Provinciis consul. et pro Sextio, atque in Pisonem passim; denique Plutarchum in Cicerone. Et quidem Clodius negabat quemquam ulli publicæ rei extra ordinem esse præficiendum. Vide Cic. pro Domo, 8. A. M.

10. *Polliceri.* Diximus in argumento, per illud tempus Clodium fuisse quæstorem. Opimas igitur provincias cupiditati suæ blandientem dicit in animo habuisse : quasi hoc ab senatu consequi posset, quod ipse rapinarum meditatione gestiret. Schol.

11. *Provinciæ videretur.* Et defœneratum hac in parte significat. Schol.

12. *Augent.* Quod non posset, nisi omnium provinciarum spolatione dissolvi. Schol.

13. *Ingemuit gravius.* Ne quæsieris ejus personam, de quo videtur hoc dicere. Nam generatim fingit, ut desperatio pecuniæ recuperandæ consternaverit creditores ejus, metuentes scilicet revertendi tarditatem. Schol.

14. *Confirmat se.* Aculeus est asperitatis. Nam plerisque in locis in perversas ab eodem Clodio criminatus est pecunias candidatorum. Schol.

15. *Tanto prius ad ærarium venit, ut ibi ne scribam quidem offenderet.* Apud ærarium sortiri provincias et quæstores solebant et scribæ, ut pro certo appareret in quam provinciam, vel cum quo præside proficiscerentur. Ardorem quemdam nimiæ cupiditatis volens exprimere, festinasse ad ærarium dixit, ut etiam scribarum præveniret adventum. Schol.

16. *Quibus iste, qui omnia sacrificia nosset.* Habet tantum MS, « qui omnia sacrificia nosset ». Cetera exhibet Quintilian. IX, 2. J. V. L.

17. *Posse arbitrabatur.* Ut incestum significaret, mediam suspendit elocutionem, non ut religionem prætenderet, sed ut crimen. Schol.

Digitized by Google

Quum se ad plebem transire[18] velle diceret, sed misere fretum transire cuperet.....

Hanc loquacem Siciliam[19] non despexit.

Accesserunt ita pauci[20], ut eum non ad concionem, sed sponsum diceres advocasse.

... cujus satisdationes[21] semper indicuntur induci.

..... lego[22] quam in absentem esse dicenda.

Primum homo durus ac priscus[23] invectus est in eos, qui mense aprili apud Baias essent, et aquis calidis uterentur. Quid cum hoc homine nobis, tam tristi ac severo? Non possunt hi mores ferre hunc tam austerum et tam vehementem magistrum, per quem[24]

18. *Quum se ad plebem transire.* Quoniam patriciis non licebat tribunatum pl. accipere, idcirco se Clodius denuntiaverat in plebeiam familiam transiturum, ut adeptus hanc potestatem, de suis inimicis vindicaretur. De freto autem quod ait, illud significat quo Sicilia ab Italia separatur: in qua se provincia sub C. Vergilio gratularetur idem futurum esse quæstorem. Schol.

19. *Hanc loquacem Siciliam.* Loquacem videtur Siciliam dicere quod plerosque de pecuniis repetundis accusaverat, et, ut scimus, ipsum C. Verrem. Schol.

20. *Accesserunt ita pauci.* Ære alieno gravatum et supra dixerat Clodium. Solebant autem versuram facientes quasi vadem solutionis futuræ sponsores dare. Verum hic volens ejus perfidiam denotare, ait: non aliter paucos ad rostra venisse, quam si convocasset eos qui pro se sponderent. Multos enim fefellerat, quum periculo sponsionis adstringeret. Schol.

21. *Cujus satisdationes.* Satisdationes dicit rescindi sententia prætoris. Et hoc in loco significat viros, qui stulte timerent pro Clodio mutuante pecuniam spondere, quum sæpenumero experti sint, multos sponsores ejus hoc nexu liberatos, quum se circumventos illius fraude docuissent. Schol.

22. *Lego.* Sequentia nunc primum dat MS Taurinensis; e quibus Ambrosianus pauciora servaverat. J. V. L.

23. *Primum homo durus ac priscus.* Consuetudo erat multis ineunte verno ad aquarum quæ sunt in Campania velut fomenta salubria convenire. Igitur intulit personam Clodii quasi priscæ severitatis et continentiæ viri, cui displiceant et quæ non ad delicatam voluptatem, sed ad valitudinis obtinendæ curam fieri soleant, quum sit ipse omnium libidinum cupiditatibus deditus. Et hinc fiet gradus ad ipsius Ciceronis Puteolanas possessiones, in quas devertere ad oblectamentum solebat. Removit ergo impudentiam reprehendentis a moribus suis, ne vel superbus, vel nimium delicatus habeatur. Schol.

24. *Per quem.* Congesta et copiosa defensio est in ipsa propositione: ut eorum moribus nihil oporteat expro-

Digitized by Google

hominibus majoribus natu ne in suis quidem prædiis impune tum, quum Romæ nihil agitur, liceat esse, valitudinique servire. Verumtamen ceteris. . . sit ignoscere. . vero. . . . . in illo loco nullo modo. Quid homini, inquit, Arpinati cum Baiis, agresti ac rustico? Quo loco ita fuit cæcus[25], ut facile appareret, vidisse eum, quod fas non fuisset[26]. Nec enim respexit, illum ipsum patronum libidinis suæ[27] non modo apud Baias esse, verum eas ipsas aquas habere, quæ gustu[28] tamen Arpinatis fuissent. Sed videte metuendam inimici et hostis bilem et licentiam. Is me dixit ædificare[29]; ubi nihil habeo, ibi fuisse : qu. . . . enim non. . . . . patentem adversarium, qui id objiciat, quod vel honeste confiteri, vel manifesto redarguere possis.

brari, qui certo tempore anni salubres aquas petant. Vel quia ætate provecti sint, quæ ferme valitudo parum fida est : vel quia in suis prædiis demorentur, quod est legitimæ honestatis : vel quia eo tempore, quo sint Romæ omnia quietissima, ne quis hoc ad fugiendum laborem civilium rerum facere videatur : vel quod sit omni modo valetudini serviendum, quæ non minus ipsis senatoribus, quam reip. necessaria sit, ut fortius possint obire munia, quæ gerenda sunt. Schol.

25. *Ita fuit cæcus.* De Appii enim Cæci familia genus trahebat. Et præcipitem volens significare atque temerarium, resculpit infamiam illius incesti, quod fecisse in operto Bonæ Deæ videbatur, quo viris ingredi non liceret : quasi pœnam criminis sui luere jam cœperit nihil providendo quod dicat. Schol.

26. *Quod fas non fuisset.* Hunc locum illustrat Cicero, de Harusp. resp. 18, qui loquens de eodem hoc stupro Clodii, sic ait : « Aut quod oculos, ut opinio illius religionis est, non perdidisti. Quis enim ante te sacra illa vir sciens viderat, ut quisquam pœnam, quæ sequeretur illud scelus, scire posset? An tibi luminis obesset cæcitas plus quam libidinis? Ne id quidem sentis, conniventes illos oculos abavi tui magis optandos fuisse? » Confer etiam de Domo, 40. A. M.

27. *Libidinis suæ.* C. Curionem, qui de proscriptione Sullana fundum emerat in Campania qui Marii nuper fuerat et ipsius Arpinatis. Quo se exemplo facillime Cicero purgavit, non esse id in se reprehendendum, quod municipi suo C. Mario consulari numquam fuerit infame. Schol.

28. *Quæ gustu.* Vox *gustu* mihi suspecta. MS, *Harpinatis.* Est aliquid refingendum. J. V. L.

29. *Ædificare.* Cic. ad Att. IV, 5 : «Hi subringentur, qui villam me moleste ferunt habere, quæ Catuli fuerat : aut

Digitized by Google

Nam rusticos ei nos videri minus est mirandum, qui manicatam tunicam[30], et mitram, et purpureas fascias[31] habere non possumus. Tu vero[32] festivus, tu elegans, tu solus urbanus; quem decet muliebris ornatus, quem incessus psaltriæ; qui effeminare vultum, attenuare vocem, lævare corpus potes.

O singulare prodigium! At, o monstrum! nonne te hujus templi, non urbis, non vitæ, non lucis pudet? Tu, qui indutus muliebri veste[33] fueris, virilem vocem[34] audes emittere; cujus importunam libidinem, et stuprum cum scelere conjunctum, ne subornandi quidem mora retardavit? Tune, quum vincirentur pedes fasciis, quum calvatica[35] capiti accom-

etiam nec emisse non cogitant, qui domum negant oportuisse me ædificare, vendere aiunt oportuisse ». Peyr.

30. *Qui manicatam tunicam.* Tunicæ manicatæ exprobrantur viris etiam. Virgil. Æneid. IX, 616 : « Et tunicæ manicas, et habent redimicula mitræ » : tum Statius in Thebaid. VII, 657 : « Brachiaque in manicis, et pictæ vincula plantæ ». A. M.

31. *Et purpureas fascias.* Mixta responsio et facetiis urbanitatis et asperitatis *aculeis* non sine lenitie. Definit enim rusticos et urbanos ita, ut in se ingenium sobriæ virtutis, in Clodio indicia fœditatis et dedecora proscribat. Schol.

32. *Tu vero festivus.* Jam nota hæc e Nonio, VI, 98; Jul. Rufinian. de Figur. sentent. p. 30, ed. Capperon. J. V. L.

33. *Tu, qui indutus muliebri veste.* Clodium ita indutum graphice describit Cicero etiam de Harusp. resp. 21. A. M.

34. *Virilem vocem.* Videtur enim Clodius habitu muliebri sexum mentitus penetrasse domum C. Cæsaris, ut incestum sub hac fraude committeret. Id describitur, ut omnia lineamenta turpitudinis detegantur. Schol.

35. *Quum calvatica. Ornamenti* genus, quo feminæ capita velabant hoc nomine ferebatur. Et Afranius meminit in Consobrinis ita dicens : « *Cum mithris calvaticis* ». Impudico igitur habitu erubescendi decoris quædam figura describitur. Atque ita se et in historia temporis hujus commemoratio habet. C. Cæsaris, pontificis maximi, prætoris domi sacrificium solemne pro populo fiebat. Huc vir ornatu muliebri quod introierat, sacrificium instauratum est. Res ad senatum delata est. Patres conscripti decreverunt, ut de ea re non aliter quam de incestu quæreretur. Eo crimine reus factus est P. CL. Pulcher, delatore L. Lentulo, qui consul fuit post cum C. Marcello : subscribentibus Cn. et L. Lentulis. Aurelia Cæsaris mater testis in judicium accita est. Ea pro testimonio dixit, suo jussu eum esse dimissum. Idem dixit Julia soror Cæsaris. Et tamen post hæc absolutus est. Schol. — *Calvatica.*

Digitized by Google

modaretur, quum vix manicatam tunicam in lacertos induceres, quum strophio accurate præcingerere, in tam longo spatio numquam te Appii Claudii nepotem esse recordatus es? Nonne, etiam si omnem mentem libido averterat, tamen ex.....

Sed, credo[36], postquam speculum[37] tibi allatum est, longe te a pulchris[38] abesse sensisti.

At sum[39], inquit, absolutus[40]: novo quidem hercle more, cui uni absoluto lites æstimatæ sunt.

Sic MS Taurinensis; habebat vero Nonius, lib. XIV, cap. 2, *calantica*. J. V. L.

36. *Sed, credo.* Citaverat Nonius, voc. *longe* et *speculum*. Hæc et reliqua debemus Ambrosiano. J. V. L.

37. *Postquam speculum.* Festivissime simul et nobilitatem generis infamatam, et mores femineos in speculi contemplatione detexit, quo ferme ad explorandam curæ suæ diligentiam mulieres uti solent. Ergo et inliberalem figuram probro dedit, et majorum suorum dissimillimum contestatus est. Nam fuit hoc Claudiæ familiæ cognomen illustre. Quippe antiquitus P. Claudius Appi Cæci filius primus ex isto genere Pulcher appellatus est. Hic consul apud Drapanam adversus auspicia Pœnis classe conflixit. Ea pugna Romanorum naves perierunt CXX. Ob id factum dies ei dicta perduellionis a Pullio et Fundanio trib. pleb. Quum comitia ejus rei fierent et centuriæ introducerentur, tempestas turbida coorta est. Vitium intercessit. Postea trib. pleb. intercesserunt, ne iidem homines in eodem magistratu perduellionis bis eumdem accusarent. Itaque, actione mutata, iisdem accusantibus multa irrogata populus eum damnavit æris gravis CXX millibus. Schol.

38. *A pulchris abesse.* Inliberali figura præditum Clodium diserte aiunt hic Cicero et noster auctor commentarii, qui idem repetit ad orationem de Ære alieno Milonis, II, 6. Itaque Clodius ironice dicitur *pulchellus puer* epist. 14 libri primi ad Attic. Fallitur ergo ad eum epistolæ locum Paulus Manutius, qui videtur credere Clodium fuisse pulchrum, ex eo quod Plutarchus in Cæsare et Cicerone scribat, ut ipse ait, *faciem puellæ similem fuisse.* Verum si diligentius loci Plutarchi legantur, patebit, in Cicerone dici Clodium tantum *imberbem* ob adolescentiam. In Cæsare autem «imberbem, et cultu sumpto psaltriæ ad Pompeiam accessisse Clodium referentem specie juvenculam», quia nondum scilicet erat barbatus, et veste se exornarat muliebri. A. M.

39. *At sum.* MS *cum*, quod Maius servavit. J. V. L.

40. *Absolutus.* Victoriam quoque judicii orator convertit in dedecus, inopinata illata hujusmodi responsione. Lites autem damnatis reis æstimabantur, quum taxatio pecuniæ fiebat, quæ illis affigerentur. Quoniam e reo non probatione innocentiæ, sed corruptis judicibus fuerat Clodius absolutus, idcirco ait absoluto lites æstimatas: hoc est pœna quidem liberatum

Digitized by Google

... Quasi ego[41] non contentus sim, quod mihi quinque et xx judices crediderunt. Qui sequestres abs te locupletes acceperint...

Divortium pontificis maximi[42].

Quatuor tibi sententias solas ad perniciem defuisse.

Nam L. quidem Cotta[43]....

... Ut posthac[44] lege Aurelia judex esse non possit.

sed pecunia quodammodo multatum, quam judicibus pro absolutione numerasset. Schol.

41. *Quasi ego.* Notemus verborum modietates elegantissime ab oratore suspendi. Nam quum præ se ferret Clodius victoriam judicii quod liberatus sententiis pluribus videretur, ait Tullius ad confirmandam testimonii sui religionem viginti et quinque sibi judices credidisse, illos videlicet qui sum damnaverant. Sed etiam illos, qui pro reo sententiam dixerint, ipsi Clodio nihil credidisse, quando ab senatu auxilium petierint, et apud sequestres idoneos illam deponi pecuniam voluerint, ne frustraretur ea spe, quam, reo paciscente, præsumpserant. Et has ergo sententias, quæ videbantur Clodio aliquid honestatis acquirere, in vituperationem convertit, ut pars judicum damnarit incestum, pars vero privatum lucrum præposuerit religioni. Et hic subest, postulasse judices ab senatu præsidium, non ut fortiter et libere judicarent, sed ne illam sibi pecuniam reus absolutus eriperet. Schol.

42. *Divortium pontificis maximi.* Præfruntur argumenta, quibus incestum P. Clodii potuerit facillime probari, nisi pecunia intercessisset. Nam C. Cæsar pont. max. diebus illis repudiarat uxorem. Feminæ quoque, quæ illi sacrificio interfuerant, de inter-ventu virili testimonium dixerant. Servi etiam, quum peterentur in quæstionem, alienati fuerant, et in diversas provincias ab domino missi. Quinque etenim servi, in quos maxime suspicio congruebat, partim missi sunt ad Appium Claudium, qui frater ejusdem P. Clodii fuerat, et in Græcia tunc agebat; partim ad villicum Diogenem nomine, qui trans Alpes morabatur. Nec non etiam ancillæ in tormenta sunt postulatæ, quæ propiores ministerio fuerant Pompeiæ, uxoris Cæsaris, quarum fuit e numero Hibera quædam nomine, cujus in cellam P. Clodius confugisse arguebatur. De stupro autem scelerato quod ait, illud videtur incestum significare, cujus infamia circa sororem Clodiam pervolgabatur. Schol.

43. *Nam L. quidem Cotta.* Hic fuit auctor judiciariæ legis Aureliæ, qua senatoribus abrogata est summa potestas judicandi, et communicata cum tribunis ærariis, ita ut in judiciis esset minor numerus senatorum. Schol.

44. *Ut posthac lege Aurelia.* Pæne quidem verisimile non est, quod præ se tulisse P. Clodiam dicit, pecuniam se recepturum qua sententias emerat eorum, qui se crimine liberassent. Quid enim esset hoc stultius, quum semetipsum hac prædicatione damnandum fuisse confiteretur, nisi judices corrupisset? Sed non abhorret a fide hoc

Digitized by Google

Ac vide[45], an facile tu fieri potueris, quum is factus non sit, cui tu concessisti. *Quintilianus*, V, 10.

Integritas tua te purgavit, mihi crede, pudor eripuit, vita anteacta servavit. *Id.* VIII, 6.

Erras, Clodi: non te judices urbi, sed carceri reservarunt; neque te retinere in civitate, sed exsilio privare voluerunt. Quamobrem, P. C. erigite animos, retinete vestram dignitatem. Manet illa in republica bonorum consensio: dolor accessit bonis viris, virtus non est imminuta. Nihil est damni factum novi; sed quod erat[46], inventum est. In unius hominis perditi judicio plures similes repertí sunt. *Cicero*, *Epist. ad Attic.* I, 16.

dixisse Clodium eo tamen proposito, quo significaret innocentem se principum vi et inimicorum potentia laborasse: et ea propter pecuniam dedisse judicibus, ut quoquo modo illorum manibus eriperetur, qui se opprimi vellent. Id ergo hic negat Tullius, judices illos pecuniam quam acceperint reddituros, ne postea in numero judicum lege Aurelia esse non possint. Sive quod se, pecuniam reddendo, faterentur esse corruptos; sive quod amissis trecenis vel quadringenis millibus quæ a reo acceperant, in egestatem revolverentur, ac propterea in judicum ..... Schol. — *Non possit.* Hactenus nova fragmenta. J. V. L.

45. *Ac vide.* Cogita an facile consul fieri potueris. Ed.

46. *Quod erat.* Malum quod latebat, apparuit. Ed.

Digitized by Google

ANG. MAII MONITUM

www.libtool.com.cn

IN ORATIONEM DE REGE ALEXANDRINO.

Ptolemæus Auletes, Ægypti rex, quum sibi timeret a suis, Romam aufugit, ibique effusis largitionibus agere cœpit, ut sub imperii romani tutela in regnum reduceretur. De re actum est in senatu, ibique etiam Cicero sententiam dixit, ut ex epistolis pluribus (libri I ad Famil.) ad Lentulum, Ciliciæ proconsulem, cognoscere licet. Lentulo enim Cicero in senatu contendebat, ut Ptolemæi regis reductio decerneretur : quod patet etiam ex epist. 2, lib. II, ad Q. Fratrem. Idque prorsus videtur fuisse argumentum hujus orationis Tullianæ de rege Alexandrino : cujus apud Aquilam voc. *Antisagoge*, et Capellam, lib. V, cap. de sententiarum figuris, unica et brevis hæc particula exstabat: «difficilis ratio belli gerendi; at plena fidei, plena pietatis». Et quidem Aquila et Capella dicunt hanc orationem de rege Ptolemæo. At Fortunatianus, qui bis eam nominat lib. II in Partitione et in Hypophoris, de rege Alexandrino nuncupat, ut et noster codex Ambrosianus. Nos primi hujus orationis plures ineditas particulas, mutilo commentario item inedito infusas, in lucem produximus. Constat autem ex Dione, lib. XXXIX, 12 et seqq. tum ex Cicerone ad Famil. I, 1, hanc causam Alexandrinam actam esse anno Urbis 698, Cn. Cornelio Lentulo Marcellino et L. Marcio Philippo consulibus : ad quam bene cognoscendam multum intererit conferre ejusdem Tullii orationem pro Rabirio Postumo.

Digitized by Google

FRAGM. ORATIONIS DE REGE ALEX.

... Ut rapiat[1], ut latrocinetur[2].

www.libtool.com.cn

Si hercle[3] in nostris rebus tam ad res, tam ad pecunias attenti, tam avari[4] soleremus esse.....

Sed tamen, quæ sunt nostra judicia, tentaverat Crassus asseverare, non semel de hac Ægypti severitate[5], sed frequentissime præjudicatum : ac primo quidem, illo tempore, quo pecunia repetita esse ab Tyro[6], et advecta Romam videbatur, seposita jam

1. *Ut rapiat.* Incipiunt nova fragmenta. J. V. L.

2. *Ut latrocinetur.* Vehementibus et invidiosis verbis utitur. Non dixit, ut exposcat hereditatem, ut sibi vindicet; sed quo vel maxime pudor consterneretur audientium, *ut rapiat*, inquit, *et latrocinetur*. Quæ sine dubio non juris verba, sed sceleris ab hujusmodi cupiditate deterreant. Scuol.

3. *Si hercle.* Dicere quidem generaliter videtur, etiamsi in privatis pecuniis avari homines essent, in publicis tamen disceptationibus non oportere tantam cupiditatem pecuniæ profiteri; sed procul dubio nihil aliud agit, quam ut M. Crassi mores denotet, de quo præter historiam præterque exitum mortis ejus, in quam præceps quodammodo ruit, quum ad diripiendas Parthiæ urbes opulentissimas Euphratem transiisset; etiam ipse Tullius auctor est libro tertio de Officiis, cujus verba inferam, quo magis quid de moribus ejus judicarit, appareat. Sic enim mihi textum recordor: « Itaque si vir bonus habeat hanc vim ut si digitos concrepuerit, possit in locupletum testamenta nomen ejus irrepere, hac vi non utatur, ne si exploratum quidem habeat, id omnino neminem unquam suspicaturum ». Deinde subjicit : « At dares hanc vim M. Crasso, ut digitorum percussione heres posset scriptus esse, qui revera non esset heres, in foro mihi crede, saltaret ». Scuol.

4. *Tam avari soleremus esse.* Cicero ad Quint. fratrem, II, 2, ait: « Quum esset in senatu contentio, Lentulusne an Pompeius reduceret (regem Alexandrinum), obtinere causam Lentulus videbatur. Quid futurum sit latrocinio tribunorum non divino. Creditores regis aperte pecunias suppeditant contra Lentulum ». A. M.

5. *Severitate.* Fortasse adversus suum regem. A. M.

6. *Ab Tyro.* Hunc locum mirifice declarat ipse Tullius, orat. II adversus Rullum, cap. 16, ubi agit de regis Alexandri, qui mortua est exsul Tyri, testamento, quo populum romanum regni heredem scripserat, quod tamen regnum Romani, ne avidiores viderentur, Ptolemæo Auletæ permiserunt : « Video qui testamentum factum esse confirmet : auctoritatem senatus exstare hereditatis aditæ sentio, tum quando Alexandro mortuo legatos Tyrum misimus, qui ab illo pecuniam depositam nostris recuperarent. Hæc Lucium Philippum sæpe in senatu confirmasse memoria teneo. Eum (Ptolemæum Auletem), qui regnum illud teneat hoc tempore, neque genere, neque regio animo esse, inter omnes fere video convenire. Dicitur

Digitized by Google

nuper ab Alexa rege[7]. Occurrendum est igitur, ut hæc refutentur et in ipsa propositione.

. . . debent esse modestissima[8] : quoniam quidem est hoc summi imperii, nosmet ipsos de nostris rebus judicare[9].

. . . Qui ex hereditate tanta unum solum nomen[10] agnoverimus.

Sic est justa causa belli, sicuti Crassus commemoravit cum Jugurtha[11] fuisse.

Non patiar[12] hanc exaudiri vocem hujus imperii :

contra nullum esse testamentum : non oportere populum romanum omnium regnorum appetentem videri ». A. M.

7. *Alexa rege.* Petavius de Doctr. temp. lib. X, cap. 48, loquens de fratre Ptolemæi Lathuri Alexandro, patre utriusque Alexandri, qui post Ptolemæum Lathurum secundo regnantem regnaverunt, hæc ait : « Nonus ergo regnavit Alexandriæ Ptolemæus Alexander, quem Alexam Epiphanius, Chronicon Alex. Cedrenus et alii nominant ». At Cicero hic appellat *Alexam* etiam eum regem qui Tyri exsul exstinctus est : quem tamen in Agraria superius citata *Alexandrum* dicit. Sed de nomine *Alexas* præclara est animadversio doctissimi Garatonii ad orationis Tullianæ pro Balbo c. 22, cujus locum in calce curarum secundarum ad Plancianam purgandum censuit. Is postquam ibi pro *Heraclien-sium legionem* ex MSS optimis restituit *Heracliensem Alexam*, sic pergit : « Nomen Alexas, sive ut in libertinorum titulis apud Bentleium epist. ad Millium, pag. 82, Alexa, deminutum ex Alexandro est atque contractum : ut Alexis quoque apud Virgilium, Donato in ejus vita, cap. 5, indicante. Id in Ægypto maxime usitatum deminutionis genus dialecto Alexandrinæ a Sturzio tribuitur, p. 135. Itaque Alexander ille Laodicensis, de quo Plutarchus in Antonio, cap. 67 et 73, quum esset multum in Ægypto versatus, Ἀλεξᾶς quoque nominabatur ». A. M.

8. *Debent esse modestissima.* Nam vult orator intelligi, pæne impudenter senatum de causa sua judicare voluisse, quum sit naturale, ut unusquisque non possit æquitatem tueri, de lucro suo potissimum cogitans, quod plerumque cogitatur etiam cum improbitate deposcere. Schol.

9. *De nostris rebus judicare.* Num testamentum Alexandrini regis ratum habeamus, necne. Ed.

10. *Solum nomen.* Quum ex tot divitiis quæ ex tanta hereditate ad nos pervenire æquum erat, pars tantum rationum nobis sit reddita. Ed.

11. *Cum Jugurtha.* Notissimum est Micipsa, rege Numidiæ, mortuo, trifariam inter Atherbalem et Hiempsalem, et Jugurtham regnum esse divisum, quos tamen duos item Jugurtha partim vi, partim vero insidiis interfecit. Hæc illi fuit causa præcipua bellum gerendi adversus populum romanum. Qui tamen post multos imperatores graviter afflictos, ad extremum C. Mario imperatore superatus est. Schol.

12. *Non patiar.* Ad tuendam ratio-

Digitized by Google

Ego te, nisi das aliquid, hostem; si quid dederis, regem, et socium, et amicum judicabo.

Quum ille rex[13] sit interfectus, hunc puerum in Syria[14] fuisse....

Atque illud etiam constare video, regem illum, quum reginam sororem suam[15], caram acceptamque populo, manibus suis trucidasset, interfectum esse impetu multitudinis[16].

nem pudoris exsequitur non decere populum romanum has potestates regias nundinari, ut objecta quadam senatui facie turpitudinis, id vel maxime faciendum esse persuadeat, quod sit congruens honestati. Schol.

13. *Quum ille rex.* Alexander II, rex Ægypti. A. M.

14. *Hunc puerum in Syria fuisse.* Hæc sumuntur de locis conjecturalibus, qui sunt primi videlicet in hujus status divisione a voluntate et facultate. Nam quod peritiam facit meliorem voluntatis, est non potuisse Ptolemæum capitalibus odiis dissidere, quem puerilis infirmitas ab hujusmodi obstinatione revocaret. Facultatis est autem quod ait in Syria fuisse, ut absens [moram] non habuerit illius interficiendi, quem dicebatur interemisse. Schol.

15. *Quum reginam sororem suam.* Alexander II, Ægypto rex datus a Sulla, statim duxit uxorem Berenicem, quod indicat et Appianus, Bell. Civ. I, 102. Hæc erat ejus soror patruelis, quia filia Ptolemæi Lathuri, teste Pausania in Atticum, cap. 9. Ipse autem Alexander II, filius Alexandri I, fratris Lathuri. Hanc sororem et uxorem occidit Alexander II, ut hoc loco confirmat Cicero: et quidem recentem a nuptiis; nam ipse quoque Alexander decimo nono die, ex quo regnum ea sibi copulata inierat, a populo Alexandrino concitato interemptus est. Vide iterum Appianum loco paullo ante citato. Successit Alexander III, frater ut videtur secundi, isque regnavit annis XVI. Tum pulsus regno ab Alexandrinis, Tyrum secessit, ubi condito testamento, quo Ægypti heredem pop. rom. faciebat, exstinctus est. Interea nihilominus regnavit Alexandriæ Ptolemæus Auletes, is qui deinde Romam profugit, et de quo scilicet habita est hæc oratio Tulliana. Alexandrum III plerique scriptores confundunt cum II. Sed eos vide satis accurate distinctos apud Petavium de Doctr. temp. lib. X, cap. 48. Et quidem quum Appianus loco nuper laudato dicat Alexandrum regem Alexandri regis filium occisum die XIX post initum regnum: constet autem aliunde Alexandrum, qui ultimus hoc nomine appellatus est, mortuum esse Tyri in exsilio; restat ut ille occisus sit Alexander II, hic exsul III. At nuperrimus scriptor Eckhelius, Doctr. num. vet. tom. IV, pag. 21, quum duos tantum Alexandros reges memoret, ait Alexandrum II, Berenice post XIX a matrimonio dies occisa, solum regni habenas retinuisse: quod plane contra fidem Appiani immo et Ciceronis est. A. M.

16. *Interfectum esse impetu multitudinis.* Congestis valde præparationibus fidem facit, ut hanc cædem a populo magis Alexandrino factam pro-

Digitized by Google

Difficilis ratio [17] belli gerendi; at plena fidei, plena pietatis. *Aquila, voc. Antisagoge, p.* 19; *Fortunatianus,* II; *Marcianus Capella,* V, *p.* 428.

baret, non Ptolemæo jubente commissam. Notemus enim gradatim fieri argumenta, quæ prægravent suspicionem ad populares impetus pertinentem. Nam cœpit ad hunc modum *atque illud etiam constare video*, ut de veritate non sit ambigendum, si constet apud omnes. Dein subdidit *quum reginam sororem suam* ut atrocitas parricidii, et multo major in exitio reginæ omnibus fuerit horrori. Post hæc adjecit eamdem *caram*, etc. Schol.

17. *Difficilis ratio.* Vetus fragmentum. J. V. L.

PRO P. VATINIO.

Facio quiddam [1], quod in Eunucho [2] parasitus suadet militi:

> Ubi nominabit Phædriam, tu Pamphilam
> Continuo. Si quando illa dicet, Phædriam intromittamus comissatum; tu, Pamphilam
> Cantatum provocemus. Si laudabit hæc
> Illius formam, tu hujus contra. Denique
> Tu par pari referto [3], quod eam mordeat.

Sic peto a vobis, judices, ut quoniam quidam nobiles homines, et de me optime meriti, nimis amant inimicum meum, meque inspectante, sæpe eum in senatu modo severe seducunt [4], modo familiariter atque hilare amplexantur, quoniamque illi habent suum Publium, detis mihi ipsi alium Publium, in quo possim eorum animos, mediocriter lacessitus, leviter repungere. *Cicero, Epist. fam.* I, 9.

1. *Facio quiddam.* Ipse nobis Cicero fragmentum hoc servavit, nisi forte orationem magis in epistola concludit quam exponit. Vide ad Div. I, 9. Ed.

2. *In Eunucho.* Terent. Eunuch. III, 1, 50. J. V. L.

3. *Tu par pari referto.* Victorius e MS Vaticano, *Par pro pari.* Vulg. *Par pari.* J. V. L.

4. *In senatu modo severe seducunt.* Quasi de gravibus ac seriis negotiis loquuturi. Ed.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

IN ORATIONEM PRO M. ÆMILIO SCAURO.

Hanc quoque orationem eisdem consulibus dixit, quibus pro Vatinio (1), L. Domitio Ahenobarbo et Appio Claudio Pulchro coss. Summus judicii dies fuit ad IV nonas septembris. M. enim Scaurus, M. Scauri filius, qui princeps senatus fuit, vitricum habuit Sullam: quo victore, et munifico in socios victoriæ, ita abstinens fuit, ut nihil neque donari sibi voluerit, neque ab hasta emerit. Ædilitatem summa magnificentia gessit (2), adeo ut in ejus impensas opes suas absumpserit, magnumque æs alienum contraxerit. Ex prætura provinciam Sardiniam obtinuit: in qua neque satis abstinenter se gessisse existimatus est, et valde arroganter. Quod genus morum in eo paternum videbatur, quum cetera industria nequaquam esset par. Oraverat tamen aliquando inter patronas causarum. Sed postquam ex provincia redierat, dixerat pro C. Catone (3), isque erat absolutus ad III nonas quintil. Ipse (4), quum ad consulatus petitionem ad III kal. quint. Romam redisset, querentibus de eo Sardis, a P. Valerio Triario adolescente parato ad dicendum et notæ industriæ, filio ejus, qui in Sardinia contra M. Lepidum arma tulerat, et

(1) P. Vatinio, illo, in quem exstat Ciceronis interrogatio vehemens, cujusque hoc anno causam dixit, quum esset accusatus de ambitu. Vide Epist. ad Famil. I, 9; ad Q. fr. II, 16, et utrobique summum interpretem P. Manutium; item Quintilianum, XI, 1, 73, et ad ejusdem VI, 1, 13, Ge. L. Spaldingium. Consulum istorum et harum causarum annus, magnis contentionibus tractisque vi tribunitia in septimum mensem consularibus comitiis turbulentus, Urb. cond. 700, a. Chr. 54. Conf. Pighii Annal. Rom. ad a. 699, tom. III, p. 393. Heinrich.

(2) Adi Valer. Max. II, 4, 6, 7; Plin. XXXVI, 15. Peyr.

(3) Qui fuerat tribunus pl. an. Urb. cond. 698, et nunc reus agebatur lege Licinia Junia. Ejus res apud Ciceronem et Dionem, Livium, Epit. 105, et Nonium in voc. *Rumor*, ex Annal. Fenestellæ. Conf. Manutium in Epist. ad Attic. IV, 17, et Pighium, p. 381. Heinrich.

(4) Sic est apud Sigonium. Hotomannus Græviusque habent *inde*, quod sensum turbat, et nihil nisi mendum videtur esse. Heinrich.

Digitized by Google

post in Asia Pontoque legatus L. Luculli fuerat (1), quum is bellum contra Mithridatem gereret, postulatus apud M. Catonem prætorem repetundarum, ut in actis scriptum est, postridie (2) nonas quintil. post diem tertium, quam C. Cato erat absolutus. Subscripserunt Triario in Scaurum L. Marius L. F. M. et Q. Pacuvii fratres cognomine Claudi: qui inquisitionem in Sardiniam itemque in Corsicam insulas dies tricenos acceperunt, neque profecti sunt ad inquirendum. Cujus rei hanc causam reddebant, quod interea comitia consularia futura erant; timere ergo se, ne Scaurus ea pecunia, quam ab sociis abstulisset, emeret consulatum, et, sicut pater ejus fecisset, ante quam de eo judicari posset, magistratum iniret, ac rursus ante alias provincias spoliaret, quam rationem prioris administrationis redderet. Scaurus summam fiduciam in paterni nominis dignitate, magnam in Cn. Pompeii Magni reponebat (3). Habebat enim filium, libe-

(1) Nominant vulgo Triarium sine prænomine scriptores, qui ejus res gestas et adversam fortunam isto in bello commemorant, Dio Cassius, Appianus, Plutarchus in Lucullo, et Hirtius in Bell. Alex. Quem P. Manutius putabat fuisse C. illum Triarium valde laudatum a Cicerone in Bruto, et de Fin. I, 5, cujusque, quum perisset in bello civili, liberorum superstitum tutor Cicero fuit ipse. Vide Manut. in Epist. ad Famil. VIII, 7, et ad Q. fr. III, 2. Mitto, qui idem sunt suspicati, Glandorpium et Pighium. Sed pater P. Triarii, et legatus Luculli, fuit L. Valerius Triarius, quæstor urbanus a. U. 672. Vid. Liv. Epit. 98, et Cic. Verr. I, 14. Rursus levi errore filium, pro patre, dat legatum Lucullo Jos. Scaliger, Anim. ad Euseb. p. 151. Heinrich.

(2) Quum priscæ editiones et codices legerent *pridie*, Cl. Maius hanc revocavit lectionem, non advertens Scaurum postulatum fuisse apud prætorem « post diem tertium, quam Cato erat absolutus »; absolutus vero fuit ad III nonas quint. dies ergo tertius erat *postridie nonas*. Peyr.

(3) « M. Æmilius Scaurus repetundarum reus, adeo perditam et compluratam defensionem in judicium attulit, ut, quum accusator diceret, « lege sibi centum atque viginti hominibus denuntiare testimonium licere, seque non recusare, quo minus absolveretur, si totidem nominasset, quibus in provincia nihil abstulisset », tam bona conditione uti non potuerit. Tamen propter « vetustissimam nobilitatem et recentem memoriam patris absolutus est ». Hæc Valerius Maxim. VIII, 1, 10. Paria Cicero ad Attic. IV, 15: « Fortasse etiam accedent consules designati, in quibus si Scaurus non fuerit, in hoc judicio valde laborabit », significans causæ ipsi haud multum fidisse. Duplex porro crimen fuit Scauro objectum ab accusatore, interemptio Bostaris Sardi

Digitized by Google

rorum Cn. Pompei fratrem : nam tertiam (1) Scævolæ filiam, dimissam a Pompeio in matrimonium duxerat. M. Catonem autem (2), qui id judicium, ut diximus, exercebat, metuebat admodum propter amicitiam, quæ erat illi cum Triario : nam Flaminia Triarii mater, et ipse Triarius sororem Catonis Serviliam, quæ mater M. Bruti fuit, familiariter diligebat; ea porro apud Catonem maternam obtinebat auctoritatem. Sed in eo judicio neque Pompeius propensum adjutorium præbuit (3) [videbatur enim apud animum ejus non minus offensionis contraxisse, quod judicium ejus in Muciam (4), crimine impu-

hominis, et deprædatio Sardiniæ. De nece Bostaris a Scauro illata testimonium dicebat Aris, Sardus, hospes Triarii, contendens « Bostarem quemdam Norensem fugientem e Sardinia Scauri adventum » [Severianus, Syntom. rhet. cap. de dispon. crimin.] Scauri jussu fuisse interfectum. Cicero vero pro Scauro circa mortem Bostaris in matrem avertens crimen [Quintil. VII, 2], felici usus est ἀντικατηγορίᾳ, contendens matrem novas nuptias cum Arine affectantem curasse interimendum filium Bostarem, qui, uti probabile fit, matrimonio reluctabatur; quod scelus novo scelere confirmat narrans Arinem, ut vacuam domum amasiæ faceret, per libertum occidisse uxorem suam anum deformem. Alterum vero crimen dissoluturus Tullius 1° demonstrat dolosum esse accusationis genus, ac comitiorum consularium causa comparatum; 2° elevare satagit gentis Sardæ testimonium, testium enim numero et gravitate premebatur Cicero; 3° de Scauro pauca dicit; 4° ad frumentarium crimen apposite respondet. Peroratio ducta est a laudibus majorum, in primisque Metellorum, et patris Æmilii Scauri principis senatus. Hanc fuisse orationis œconomiam atque ordinem videor recte augurari ex fragmentis quæ supersunt. Peyr.

(1) In recentioribus editionibus vidi *Tertiam* nomen proprium, sed scribendum est *tertiam* cum duobus codicibus Ambrosianis et editionibus antiquis. Nomen enim huic filiæ Scævolæ fuit *Mutia*, uti mox dicitur, et præterea apud Plutarchum in Pompeio [ed. Lond. t. III, p. 468]; Ciceronem ad Att. I, 12; Cass. Dion. XLVIII, 16, LI, 2; Hieronymum contra Jov. I, 48. A. M.

(2) Fiet latinus ordo verborum, si mutaveris « M. autem Catonem ». Heinr.

(3) In Pompeii patrocinio multum etiam momenti ponebat Scaurus consulatum petens, sed quantum hac spe frustratus fuerit, vide nos infra. Peyr.

(4) *Muciam* scriptura Sigonii, quam posteriores, dum nobis *Mutiam* dant, corruperunt. De hac femina sic Cramerus : « Mucia hæc ipsa illa est Tertia, Scævolæ e gente Mucia filia. Tertiæ quum prænomen tulerit, habuit præterea binas alias sorores natu majores; quod latuit, qui nonnisi duas ab hac diversas

Digitized by Google

dicitiæ ab eo dimissam, levius fecisse existimaretur, quum eam ipse probasset, quam gratiæ acquisisse necessitudinis jure, quod ex ea uterque liberos haberet], neque Cato ab æquitate ea, quæ et vitam ejus et magistratum illum decebat, quoquam deflexit. Post diem autem quartum, quam postulatus erat Scaurus, Faustus Sulla, tum quæstor, filius Sullæ Felicis, frater ex eadem matre Scauri, servis ejus vulneratis prosiluit ex lectica, et questus est, prope interemptum esse se a competitoribus Scauri (1), et ambulare cum trecentis armatis, seque, si necesse esset, vim vi repulsurum. Defenderunt Scaurum sex patroni, quum ad id tempus raro quisquam pluribus quam quatuor uteretur : ac (2) post bella civilia ante legem Juliam ad duodenos

exhibet, doctissimum Rupertum ad Pomponii Enchir. III, 7, ubi stemma est Scævolarum. Occurrit eadem Epist. ad Att. I, 12, ubi verum vidit P. Manutius ». De prænominibus feminarum, an fuerint apud Romanos, necne; de appellationibus *Primæ*, *Secundæ*, *Tertiæ*, etc. sintne prænomina, an cognomina, postremo de ratione horum nominum, an ad numerum et ordinem filiarum in eadem familia pertinuerit, totidem sunt inter doctiores antiquarios controversiæ : de quibus foret longa fabula. Sequitur, ut video, collega meus literatissimus de prænominibus Sigonium et Reinesium nostratem. At tamen ipse Manutius isto loco ait diserte, Tertiam fuisse Muciæ cognomen. Nominabatur *Mucia Tertia*, aut, quod perinde est, *Tertia Mucia*, cognomine præposito, ut *Crispus Sallustius*, vel *Paullus Æmilius*. Deinde quod ibidem de duabus sororibus, utraque natu majore, propter illud cognomen Tertiæ, addit Manutius, id vereor ne Rupertum non tam latuerit, quam non moverit. Sunt enim argumenta minime contemnenda, quibus alii utuntur ad improbandam hanc rationem. Vide Perizonium, Animadv. hist. pag. 114, edit. Harles. et Stanisl. Santinellum de disciplina et mor. rom. feminarum in ejus Dissertatt. Venet. 1734, pag. 98. Quamquam priorem illam sententiam sequitur etiam Salmasius, locum de nominibus romanis omnium copiosissime tractans in Commentario inchoato ad Arnobium. Heinrich.

(1) Legebant editiones : « servus ejus vulneratus prosiluit ex lecticis, et questus est pro interempto esse competitoribus Scauri ». Cl. Maius ex fide codicis Ambrosiani legit « quod servus ejus », at hæc particula corruptelam non sanat. Equidem emendationem admisi, quam ex conjectura Heinrichius proposuit. Peyr.

(2) *Ac* Sigonii est : *at* Hotomanni et Grævii. Neutrum puto scripsisse auctorem, sed potius *atque*, i. e. et adeo. Legem Juliam dicit illam nobilissimam de repetundis, latam a Cæsare in primo consulatu a. Urb. 695. Et constat uno Asconio teste, etiam ad patronos pertinuisse hanc legem. Heinrich.

Digitized by Google

patronos est perventum. Fuerunt autem hi P. Clodius Pulcher, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cicero, M. Messalla Niger, Q. Hortensius. Ipse quoque Scaurus dixit pro se, ac magnopere judices movit et squalore et lacrymis et ædilitatis effusæ (1) memoria, ac favore populari, ac præcipue paternæ auctoritatis recordatione (2). Ascon. Ped.

(1) Erat apud omnes *effusa* junctum cum *memoria*. Correxi. Heinrich.

(2) Vix erat Scaurus repetundarum crimine liberatus, quum reus ambitus postulatus est ab eodem Triario, aut a L. Cæsare. Ita enim Cicero: « Tres candidati fore rei putabantur, Domitius a Memmio, Messalla a Q. Pompeio Rufo, Scaurus a Triario aut a L. Cæsare. Quid poteris, inquies, pro iis dicere? Ne vivam, si scio », ad Attic. IV, 16. « Candidati consulares omnes rei ambitus . . . sed omnes absolventur; nec posthac quisquam damnabitur, nisi qui hominem occiderit », ibid. « Scaurum Triarius reum fecit », ad Attic. IV, 17. « Candidati consulares quatuor, omnes rei. Causæ sunt difficiles, sed enitemur, ut Messalla noster salvus sit, quod est etiam cum reliquorum salute conjunctum », ad Quint. fr. III, 3. Jam vero hæ accusationes in Scaurum mihi etiam consilio institutæ videntur competitorum, qui invidiam illi creandam curabant comitiorum tempore; neque spes illos fefellit; licet enim ex utroque judicio absolutus abiisset, haud tamen fasces consulares consequi potuit. Tullianæ orationis pro Scauro ambitus reo nulla fragmenta supersunt, neque magnificas laudes dixit erudita antiquitas; neque enim, ut mea fert sententia, fuit illa justa atque elaborata oratio, seu quia Tullius patrocinium susceperat clientis, quem revera reum existimabat, seu quia in Messalla defendendo potius enitebatur. Contra, alteram pro eodem Scauro repetundarum reo absolutam fuisse atque ornatissimam orationem, evincunt hæc Ciceronis loca: « Orationes efflagitatas pro Scauro et pro Plancio absolvi », ad Q. fr. III, 1; « Scaurus qui erat paucis diebus illis absolutus, quum ego partem ejus ornatissime defendissem, etc. » evincunt etiam fragmenta ipsa quæ sequuntur. Peyr.

Digitized by Google

PRO M. ÆMILIO SCAURO.

www.libtool.com.cn

I. Maxime fuit optandum[1] M. Scauro, judices, ut nullo suscepto cujusquam odio, sine offensione ac molestia.... *D. Augustinus, Princip. Rhetor. e Fortunatiano, p.* 328.

..... tis suæ[2] rerumque gestarum senectutis dedecore fœdavit. Quid vero? alterum Crassum[3], temporibus iisdem, num aut clarissimi viri Julii[4], aut summo imperio[5] præditus M. Antonius potuit imitari? Quid? in omnibus monumentis Græciæ, quæ sunt verbis ornatiora, quam rebus, quis invenitur, quum ab Ajace fabulisque discesseris, qui tamen ipse ignominiæ dolore, ut ait poeta, victor insolens se victum

I. 1. *Maxime fuit optandum.* Hunc locum etiamsi non in principio fuisse designaret exordiendi usus, demonstrat Augustinus, qui de exordiis agens, « ut limpidius hoc genus principiandi deprehendatur, dabo exemplum quod habuit M. Tullius, quum pro M. Scauro loqueretur. Erat enim controversia amphidoxos, quippe quæ niteretur dignitate personæ M. Scauri, premeretur turpitudine criminis de pecuniis repetundis. Utrumque in principiis ita confudit orator, ut et turpitudinem criminis dignitate personæ contegeret, neque tamen largiter nimium neque exsultanter, sed ita ut exprimat nonnullam etiam metus suspicionem: *maxime fuit optandum*, etc. » Ed.

2. ..... *tis suæ.* Hæc e Taurinensi palimpsesto; quæ fere sequi videntur fragm. ab Asconio servatum: *Illa... imitari.* J. V. L.

3. *Alterum Crassum.* Hic Crassus fuit pater Crassi ejus, qui æmulus Cn. Pompeii fuit; periit autem in dominatione L. Cinnæ, quum ille et alios principes optimatum, et collegam suum Cn. Octavium occidit. Ascon.

4. *Julii.* Julios quum dicit, duos Cæsaris fratres C. et L. significat, ex quibus Lucius et prætor et consul fuit; Caius ædilitius quidem occisus est, sed tantum in civitate potuit ut causa belli civilis contentio ejus cum Sulpicio tribuno fuerit. Nam et sperabat, et id agebat Cæsar, ut, omissa prætura, consul fieret; cui quum primis temporibus jure Sulpicius resisteret, postea nimia contentione ad ferrum et ad arma processit. Idem inter primos temporis sui oratores et tragicus poeta bonus admodum habitus est; hujus sunt enim tragœdiæ, quæ inscribuntur Julii. Et hi autem Julii, et Antonius ab satellitibus Marii sunt occisi, quum Crassus, ut supra diximus, eumdem casum sua manu prævenisset. Ascon.

5. *Imperio.* Asconius, *ingenio.* Namque hæc jam nota nobis fecerat, *quid vero?... imitari?* J. V. L.

Digitized by Google

non potuit pati, præter Atheniensem Themistoclem, qui se ipse morte multavit? At Græculi quidem multa fingunt; apud quos etiam Cleombrotum Ambraciotam[6] ferunt se ex altissimo præcipitasse muro, non quo[7] acerbitatis accepisset aliquid, sed, ut video scriptum apud Græcos, quum summi philosophi Platonis graviter et ornate scriptum librum de morte legisset: in quo, ut opinor, Socrates illo ipso die, quo erat ei moriundum, permulta disputat, hanc esse mortem, quam nos vitam putaremus, quum corpore animus tamquam carcere septus teneretur; vitam autem esse eam, quum idem animus, vinclis corporis liberatus, in eum se locum, unde esset ortus, retulisset. Num igitur ista tua Sarda Pythagoram aut Platonem norat, aut legerat? qui tamen ipsi mortem ita laudant, ut fugere vitam vetent, atque id contra fœdus fieri dicant legemque naturæ. Aliam quidem causam mortis voluntariæ nullam profecto justam reperietis. Atque hoc ille vidit. Nam legit[8] quodam loco, vita illam mulierem spoliari, quam pudicitia, maluisse. Sed refugit statim, nec de pudicitia plura dixit, veritus, credo, ne quem irridendi nobis daret et jocandi locum. Constat enim illam, quum deformitate summa fuisse, tum etiam senectute. Quare quæ potest, quamvis salsa ista Sarda fuerit, ulla libidinis aut amoris esse suspicio?

II. Ac ne existimes, Triari, quod afferam, in dicendo me fingere ipsum, et non a reo causam cognoscere, explicabo tibi, quæ fuerint opiniones in Sardinia de istius mulieris morte (nam fuerunt duæ): quo etiam facilius.....

6. *Cleombrotum Ambraciotam.* De hoc loco conf. Tusc. I, 34.

7. *Non quo acerbitatis.* Sic MSS. Frustra editor, *non quod.* J. V. L.

8. *Legit.* Fortasse quis conjiciat, *egit.* J. V. L.

Digitized by Google

Te dixi[1]....Libidinosam atque improbam matrem infami ac noto adulterio jamdiu diligebat is, quum hanc suam uxorem anum, et locupletem, et molestam timeret: neque eam habere in matrimonio propter fœditatem, neque dimittere propter dotem volebat. Itaque compacto cum matre Bostaris consilium cepit, ut uterque Romam veniret. Ibi se aliquam rationem inventurum, quemadmodum illam uxorem duceret, confirmavit. Hic opinio fuit, ut dixi[2], duplex: una non abhorrens a statu naturaque rerum, Arinis uxorem[3], pellicatus dolore concitatam, quum audisset Arinem cum illa sua metus et fugæ simulatione Romam se contulisse, ut, quum antea consuetudo inter eos fuisset, tum etiam nuptiis jungerentur; arsisse dolore muliebri, et mori, quam id perpeti, maluisse.

III. Altera non minus verisimilis, et, ut opinor, in Sardinia magis etiam credita, Arinem istum, testem atque hospitem, Triari, tuum, proficiscentem Romam, negotium dedisse liberto, ut illi aniculæ non ille quidem vim afferret (neque enim erat rectum patronæ); sed collum digitulis duobus oblideret[1], resticula cingeret, ut illa perisse suspendio putaretur. Quæ[2] quidem suspicio valuit etiam plus ob hanc causam, quod, quum agerent parentalia Norenses[3] omnes, qui suo more ex oppido exissent, tum illa est a li-

II. 1. *Te dixi...* Pars orationis eruta e palimpsesto Mediolanensi. J. V. L.

2. *Ut dixi.* Cicero in superiore lacuna egerat de morte uxoris Arinis, quod colligitur etiam ex Marciano Capella, V: «an aliud in Scauriana succurrit, quum interposita disputatione tractatur ex quibus causis mors eveniat repentina». A. M.

3. *Arinis uxorem.* Verba, «Arinis... concitatam», refert Priscianus, lib. VI, p. 689. J. V. L.

III. 1. *Sed... oblideret*, laudat Porphyrio ad Hor. Sat. II, 1, 56. J.V. L.

2. *Quæ... Norenses*, habet Severianus, Synt. Rhet. cap. de Conject. p. 339. J. V. L.

3. *Norenses.* Nora, urbs Sardiniæ, de qua plurimi geographi veteres dixerunt.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

berto suspendisse se dicta. Discessus autem solitudo ei, qui patronam suffocabat, fuit quærenda; illi, quæ volebat mori, non fuit. Confirmata vero suspicio est, quod, anu mortua, libertus statim, tamquam opere confecto, Romam est profectus; Aris autem, simul ac libertus de morte uxoris nuntiavit, continuo Romæ matrem illam Bostaris duxit uxorem.

En quibus familiis, quam fœdis, quam contaminatis, quam turpibus, detis hanc familiam, judices! en quibus testibus commoti, de quo homine, de quo genere[4]; de quo nomine sententias feratis! Obliviscendum vobis putatis matrum in liberos[5], virorum in uxores scelera? Cernitis crudelitate mixtas libidines; videtis immanes duorum maximorum criminum auctores, quibus criminibus hæc tota apud ignaros aut invidos famata causa est; omni facinore et flagitio deformatos habetis.

IV. Num igitur in his criminibus, judices, residet[1] jam aliqua suspicio? non perpurgata sunt? non refutata? non fracta? Qui igitur id factum est? Quia dedisti mihi, Triari, quod diluerem, in quo argumentarer, de quo disputarem; quia genus ejusmodi fuit criminum, quod non totum penderet ex teste, sed quod ponderaret judex ipse per se[2]. Neque vero, judices, quidquam aliud in ignoto teste[3] facere debemus, nisi ut argumento, conjectura, suspicione re-

4. *De quo genere.* Nobilitatem et merita majorum Scauri prædicata fuisse a Tullio in hac oratione, testis est Quintilianus, VI, 1.

5. *Matrum in liberos.* In superiore lacuna periit capitale facinus impiæ matris in Bostarem filium, quem ab ea occisum innuit Cicero, ne forte ille suas cum Arine nuptias impediret. Ed.

IV. 1. *Residet.* Maius legerat *resit*, quod a *resum, es*, tractum putabat.

2. *Per se.* Cecidit locus communis duplex, unus argumentis esse credendum, alter testibus non credendum. Schol.

3. *Ignoto teste.* Quia si notus testis est, argumentatione non opus sit. Schol.

Digitized by Google

rum ipsarum vim naturamque quæramus. Etenim testis non modo Afer [4], aut Sardus sane (si ita se isti malunt nominari), sed quivis etiam elegantior ac religiosior [5], impelli, deterreri, fingi [6], flecti potest; dominus est ipse voluntatis [7] suæ, in quo est impunita mentiendi licentia [8]. Argumentum vero, quo quid est [9] proprium rei (neque enim ullum aliud argumentum vere vocari potest), rerum vox est, naturæ vestigium, veritatis nota. Id, qualecumque est, maneat immutabile necesse est: non enim fingitur ab oratore, sed sumitur. Quare in eo genere accusationis si vincerer, succumberem et cederem; vincerer omni re, vincerer causa, vincerer veritate.

V. Agmen [1] tu mihi inducas Sardorum et catervas, et me non criminibus urgere, sed Afrorum fremitu terrere conere. Non potero equidem disputare; sed ad horum fidem et mansuetudinem con*fugere* [2]...

4. *Afer*. Sardos ab Afris originem duxisse [rectius dixisset a Phœniciis coloniis] narrat paullo infra Tullius. Heinrichius distinguendum esse censet « sane, si ita se isti malunt nominari », quod adverbium *sane* εἰρωνικῶς dictum esse, ut sæpissime, persuasum habet. Peyr.

5. *Religiosior*. Codex *religiosiosior*.

6. *Fingi*. In intercisa membrana desideratur litera *G*. His paria sunt illa or. pro Cœlio, c. 9: «Equidem vos abducam a testibus, neque hujus judicii veritatem in voluntate testium collocari sinam, quæ facillime fingi, nullo negotio flecti ac detorqueri potest. Argumentis agemus, signis omni luce clarioribus crimina refellemus». Tum pro Flacco, cap. 10: «Bene testem interrogavit, callide accessit, reprehendit, quo voluit adduxit, convicit, et clinguem reddidit». Peyr.

7. *Voluntatis*. « De toto genere testium, quam id sit infirmum, sæpe dicendum est; et argumenta rerum esse propria; testimonia voluntatum ». Cicero, Orator. Partitt. 14. Codex, *suiæ*. Peyr.

8. *Mentiendi licentia*. Primæ vocis literæ *tie* evanidæ sunt, ita tamen, ut suspicari liceat *i* et *e*. Alterius vocis desunt literæ *t* et *a*. Peyr.

9. *Quo quid est*. *Peyron* legit *quoque deest*, quod pluribus defendit exemplis; nos Maii lectionem sequimur. Vitiatum locum putat Heinrich. nec forsan immerito. Ed.

V. 1. *Agmen*. Lege licebat centum et viginti hominibus denuntiare testimonium, totidem vero usum esse Triarium innuit Valerius Maximus, VIII, 1, 10. Peyr.

2. *Confugere*. Cl. Maius legebat *confugium*..... *æquitatem*. Ego vero in

Digitized by Google

pop. rom. æquitatem, qui hanc familiam in hac [3] urbe principem voluit esse; deorum immortalium numen implorare potero, qui semper exstiterunt huic generi nominique fautores. Poposcit [4], imperavit, eripuit, coegit. Si docet tabulis, quoniam habet seriem quamdam et ordinem contracti negotii confectio ipsa tabularum, attendam [5] acriter, et, quid in defendendo [6] mihi agendum sit, videbo. Si denique nitere testibus, non dico bonis viris ac probatis, noti sint modo, quemadmodum mihi cum quoque confligendum sit [7], considerabo. Sin unus color, una vox, una natio [8] est omnium testium; si, quod ii dicunt, non modo nullis argumentis, sed ne literarum quidem aliquo genere aut publicarum, aut privatarum, quod tamen ipsum fingi potest, confirmare conantur: quo me vertam, judices? aut quid agam? Cum singulis disputem? Quid? non habuisti quod dares [9]? Habuisse se dicit.

membrana vestigia infinitivi *confugere*, atque literas *pr* deprehendere videbar; præpositionem *ad* ex ingenio supplevi. Scauri pater summus Urbis vir (Cicero pro Fonteio, 13), cujus «nutu prope terrarum orbis regebatur» [ibid. 7], dictus fuit princeps senatus, uti Asconius in argumento hujus orationis tradit. Peyr.

3. *Urbe.* Cl. Mains quum legisset *rre*, supplevit *ferre*; equidem insignes vidi has voces in membrana. Peyr.

4. *Poposcit, imperavit*, etc. Dare frumentum, quæ sunt accusatoris verba. Peyr.

5. *Attendam.* Ita legeram in Ambrosiano quod confirmat Taurinensis, atque Heinrichius reponendum esse conjecerat. Cl. Mains *contendam*.

6. *Defendendo.* Ita luculenter Ambrosianus, atque Taurinensis. Cl. Mains *offendendo*. Peyr.

7. *Sit confligendum.* Ambrosianus, *confligendum sit*. Peyr.

8. *Natio 'st.* De pari synalœphe *difficile 'st* multa erudite disputans Cl. Niebuhr (Cicero, Orat. Fragmenta, pag. 60) ait simile exemplum «ne ex antiquissimis quidem schedis Mediolanensibus» afferri. Jam affertur ex Mediolanensibus, et Taurinensibus. Peyr.

9. *Non habuisti quod dares?* Jam fingit orator se cum uno alterove teste disputare. Non habuisti frumentum quod dares Scauro reposcenti? et cetera, quæ recte constituta exhibet Taurinensis. In editione Mediolanensi tempora erant turbata «dicit, sciet, judicavit, fingit, diceret». Recogitanti vero tantam esse figuræ affinitatem inter vocales *i* et *e*, ut facile fucum legenti faciant; tum *b* et *v* non figura tantum, sed sono plus millies permu-

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

Quis id sciet? quis id judicabit non fuisse? Causam fingit fuisse[10]. Quem refellemus? Potuisse non dare se; noluisse, ut ereptum esse diceret. Quæ potest eloquentia disputando ignoti hominis impudentiam confutare? Non agam igitur cum ista Sardorum conspiratione, et cum expresso, coacto, sollicitatoque perjurio[11] subtiliter, nec acu quædam enucleata argumenta conquiram; sed contra impetum istum illorum impetu ego nostro concurram atque confligam. Non est unus mihi quisque[12] ex illorum acie protrahendus, neque cum singulis decertandum atque pugnandum: tota est acies illa uno impetu prosternenda.

VI. Est enim unum maximum totius Sardiniæ[1] frumentarium crimen, de quo Triarius omnes Sardos interrogavit: quod genus uno testimonii[2] fœdere, et consensu omnium est confirmatum. Quod ego crimen antequam attingo, peto a vobis[3], judices, ut me totius nostræ defensionis quasi quædam jacere fundamenta patiamini: quæ si erunt, ut mea ratio[4] et cogitatio fert,

tari in codicibus sæculo decimo anterioribus; tandem schedas Ambrosianas exhibere *dicet*, neutiquam vero *diceret*, apparebit Ambrosianum cum Taurinensi consentire. Erravit tamen Ambrosianus in verbis «quis id judicavit», perperam alterum *id* inferciens ex superiore linea traductum; erravit quoque Cl. Maius legens «quem refellemus... noluisse... ut ereptum», nam sine ulla dubitatione vidi «qui refellemus... noluisset... vi ereptum». Ipse etiam exscripsi «se noluisset», quum forsan codex habeat *si*. Peyr.

10. *Causam fingit fuisse.* Locus valde dubius. J. V. L.

11. *Perjurio subtiliter, nec acu quædam*, etc. Testium a Triario productorum, qui, antequam solemne *Arbitror* pronuntiarent, jurejurando fuerant adacti. Peyr.

12. *Unus mihi quisque.* Ambrosianus, «unus quisque mihi». Lectio Taurinensis longum tædium notat oratori atque judicibus devorandum, si testes singillatim protraherentur.

VI. 1. *Totius Sardiniæ.* Non significat crimen, quo tota Sardinia reum arguat, sed quod sit maximum criminum cunctorum, quæ in Sardinia, frumentaria provincia, perpetrari possint. Heinrich.

2. *Uno testimonii.* Taurinensis *unum*. In Ambrosiano vix supersunt vestigia literæ *n*. Peyr.

3. *Peto a vobis.* Taurinensis *peta vobis*. Peyr.

4. *Ratio... posita.* Cum Taur. consen-

Digitized by Google

posita et constituta, nullam accusationis partem pertimescam. Dicam enim primum de ipso genere accusationis, postea de Sardis, tum etiam pauca de Scauro; quibus rebus explicatis, tum denique ad hoc horribile et formidolosum frumentarium crimen accedam.

VII. Quod est igitur hoc accusationis, Triari, genus? Primum ut inquisitum non ieris[1], quæ fuit ista tam ferox[2], tam explorata hujus opprimendi fiducia? Pueris nobis audisse videor Vælium[3], libertinum ho-

tit Ambrosianus, quamvis Cl. Maius ediderit « postea nec constituta illam accusationis ». Inde illæ conjecturæ, quibus Cramer. Heinrich. et Schütz. depravatum locum emendare satagebant. Peyr.

VII. 1. *Inquisitum non ieris.* Reprehendit Cicero Triarium accusatorem, qui damnari Scaurum vellet, licet in Sardiniam ad inquirendum non ivisset. Quod de eodem Triario narrat etiam Asconius in argumento. A. M.

2. *Ferox..... fiducia.* Taurinensis, « ferax... fidicia ». Peyr.

3. *Lælius.* Ambrosianus, edente Cl. Maio, *Vælium* habet; mihi tamen vocalis *a* dubia videbatur. Contra Taurinensis insignem habet *Lælium*, quod nomen *L. Ælium* quoque legi potest. De Vælio hæc adnotabat Cl. Maius: Lucem aliquam affert huic loco Cicero ipse in fragmentis orationis pro Fundanio, quum ait: « Non modo hoc a Villio Annale, sed vix mehercule a Q. Mutone factum probari potest ». Necnon Horat. lib. I, sat. II, vers. 64 et seq. « Villius in Fausta Sullæ gener, hoc miser uno Nomine deceptus pœnas dedit, etc. Huic si Mutonis verbis mala tanta videntis Diceret hæc animus, etc. » Mihi enim *Muto* in loco Horatiano videtur nomen viri, quidquid ibi contra dicant Acro et Porphyrio, quos recentiores interpretes gregatim sequuntur. Hucusque Vir Cl. Allata Ciceronis et Horatii loca innuunt Villium libidinosum hominem infelicem fuisse Faustæ amatorem; dubitari autem jure potest, utrum esset libertinus. Jam si cum Taurinensi legas *L. Ælium*, nomen cum epithetis ipsis recte cohæret. Nam L. Ælius eques romanus fuit « eruditissimus et græcis literis et latinis », romanæ antiquitatis scriptorumque veterum peritissimus, scripsit orationes, Varronem habuit discipulum, eumque Cicero adolescens audire perstudiose solebat, lege Cic. Brut. 56. Sane habuit servos. Suspicor vero horum unum ceteris ingenio præstasse, operamque suam in re literaria probasse patrono; atque adeo manumissum, ut mos erat libertorum, ad patroni prænomen et nomen dictum fuisse L. Ælium. En libertinum literatum, quem viderat Tullius adolescens. Contra præplacent quæ Cl. Maius de Q. Mutone disputat. Huic a sordidissima libidine agnomen seu cognomen *Muttonis* vel *Mutonis* factum fuisse persuadet codex Taurinensis scribens *Titi Q. Mutonis*. Eumdem furem etiam audivisse colligo ex his Lucilii verbis « et Mutonis manum perscribere

Digitized by Google

post in Asia Pontoque legatus L. Luculli fuerat (1), quum is bellum contra Mithridatem gereret, postulatus apud M. Catonem prætorem repetundarum, ut in actis scriptum est, postridie (2) nonas quintil. post diem tertium, quam C. Cato erat absolutus. Subscripserunt Triario in Scaurum L. Marius L. F. M. et Q. Pacuvii fratres cognomine Claudi: qui inquisitionem in Sardiniam itemque in Corsicam insulas dies tricenos acceperunt, neque profecti sunt ad inquirendum. Cujus rei hanc causam reddebant, quod interea comitia consularia futura erant; timere ergo se, ne Scaurus ea pecunia, quam ab sociis abstulisset, emeret consulatum, et, sicut pater ejus fecisset, ante quam de eo judicari posset, magistratum iniret, ac rursus ante alias provincias spoliaret, quam rationem prioris administrationis redderet. Scaurus summam fiduciam in paterni nominis dignitate, magnam in Cn. Pompeii Magni reponebat (3). Habebat enim filium, libe-

(1) Nominant vulgo Triarium sine prænomine scriptores, qui ejus res gestas et adversam fortunam isto in bello commemorant, Dio Cassius, Appianus, Plutarchus in Lucullo, et Hirtius in Bell. Alex. Quem P. Manutius putabat fuisse C. illum Triarium valde laudatum a Cicerone in Bruto, et de Fin. I, 5, cujusque, quum perisset in bello civili, liberorum superstitum tutor Cicero fuit ipse. Vide Manut. in Epist. ad Famil. VIII, 7, et ad Q. fr. III, 2. Mitto, qui idem sunt suspicati, Glandorpium et Pighium. Sed pater P. Triarii, et legatus Luculli, fuit L. Valerius Triarius, quæstor urbanus a. U. 672. Vid. Liv. Epit. 98, et Cic. Verr. I, 14. Rursus levi errore filium, pro patre, dat legatum Lucullo Jos. Scaliger, Anim. ad Euseb. p. 151. Heinrich.

(2) Quum priscæ editiones et codices legerent *pridie*, Cl. Maius hanc revocavit lectionem, non advertens Scaurum postulatum fuisse apud prætorem « post diem tertium, quam Cato erat absolutus »; absolutus vero fuit ad III nonas quint. dies ergo tertius erat *postridie nonas*. Peyr.

(3) « M. Æmilius Scaurus repetundarum reus, adeo perditam et comploratam defensionem in judicium attulit, ut, quum accusator diceret, « lege sibi centum atque viginti hominibus denuntiare testimonium licere, seque non recusare, quo minus absolveretur, si totidem nominasset, quibus in provincia nihil abstulisset », tam bona conditione uti non potuerit. Tamen propter « vetustissimam nobilitatem et recentem memoriam patris absolutus est ». Hæc Valerius Maxim. VIII, 1, 10. Paria Cicero ad Attic. IV, 15: « Fortasse etiam accedent consules designati, in quibus si Scaurus non fuerit, in hoc judicio valde laborabit », significans causæ ipsi haud multum fidisse. Duplex porro crimen fuit Scauro objectum ab accusatore, interemptio Bostaris Sardi

Digitized by Google

rorum Cn. Pompei fratrem : nam tertiam (1) Scævolæ filiam, dimissam a Pompeio in matrimonium duxerat. M. Catonem autem (2), qui id judicium, ut diximus, exercebat, metuebat admodum propter amicitiam, quæ erat illi cum Triario : nam Flaminia Triarii mater, et ipse Triarius sororem Catonis Serviliam, quæ mater M. Bruti fuit, familiariter diligebat; ea porro apud Catonem maternam obtinebat auctoritatem. Sed in eo judicio neque Pompeius propensum adjutorium præbuit (3) [videbatur enim apud animum ejus non minus offensionis contraxisse, quod judicium ejus in Muciam (4), crimine impu-

hominis, et deprædatio Sardiniæ. De nece Bostaris a Scauro illata testimonium dicebat Aris, Sardus, hospes Triarii, contendens « Bostarem quemdam Norensem fugientem e Sardinia Scauri adventum » [Severianus, Syntom. rhet. cap. de dispon. crimin.] Scauri jussu fuisse interfectum. Cicero vero pro Scauro circa mortem Bostaris in matrem avertens crimen [Quintil. VII, 2], felici usus est ἀντικατηγορίᾳ, contendens matrem novas nuptias cum Arine affectantem curasse interimendum filium Bostarem, qui, uti probabile fit, matrimonio reluctabatur; quod scelus novo scelere confirmat narrans Arinem, ut vacuam domum amasiæ faceret, per libertum occidisse uxorem suam anum deformem. Alterum vero crimen dissoluturus Tullius 1° demonstrat dolosum esse accusationis genus, ac comitiorum consularium causa comparatum; 2° elevare satagit gentis Sardæ testimonium, testium enim numero et gravitate premebatur Cicero; 3° de Scauro pauca dicit; 4° ad frumentarium crimen apposite respondet. Peroratio ducta est a laudibus majorum, in primisque Metellorum, et patris Æmilii Scauri principis senatus. Hanc fuisse orationis œconomiam atque ordinem videor recte augurari ex fragmentis quæ supersunt. Peyr.

(1) In recentioribus editionibus vidi *Tertiam* nomen proprium, sed scribendum est *tertiam* cum duobus codicibus Ambrosianis et editionibus antiquis. Nomen enim huic filiæ Scævolæ fuit *Mutia*, uti mox dicitur, et præterea apud Plutarchum in Pompeio [ed. Lond. t. III, p. 468]; Ciceronem ad Att. I, 12; Cass. Dion. XLVIII, 16, LI, 2; Hieronymum contra Jov. I, 48. A. M.

(2) Fiet latinus ordo verborum, si mutaveris « M. autem Catonem ». Heinr.

(3) In Pompeii patrocinio multum etiam momenti ponebat Scaurus consulatum petens, sed quantum hac spe frustratus fuerit, vide nos infra. Peyr.

(4) *Muciam* scriptura Sigonii, quam posteriores, dum nobis *Mutiam* dant, corruperunt. De hac femina sic Cramerus : « Mucia hæc ipsa illa est Tertia, Scævolæ e gente Mucia filia. Tertiæ quum prænomen tulerit, habuit præterea binas alias sorores natu majores; quod latuit, qui nonnisi duas ab hac diversas

Digitized by Google

post in Asia Pontoque legatus L. Luculli fuerat (1), quum is bellum contra Mithridatem gereret, postulatus apud M. Catonem prætorem repetundarum, ut in actis scriptum est, postridie (2) nonas quintil. post diem tertium, quam C. Cato erat absolutus. Subscripserunt Triario in Scaurum L. Marius L. F. M. et Q. Pacuvii fratres cognomine Claudi: qui inquisitionem in Sardiniam itemque in Corsicam insulas dies tricenos acceperunt, neque profecti sunt ad inquirendum. Cujus rei hanc causam reddebant, quod interea comitia consularia futura erant; timere ergo se, ne Scaurus ea pecunia, quam ab sociis abstulisset, emeret consulatum, et, sicut pater ejus fecisset, ante quam de eo judicari posset, magistratum iniret, ac rursus ante alias provincias spoliaret, quam rationem prioris administrationis redderet. Scaurus summam fiduciam in paterni nominis dignitate, magnam in Cn. Pompeii Magni reponebat (3). Habebat enim filium, libe-

(1) Nominant vulgo Triarium sine prænomine scriptores, qui ejus res gestas et adversam fortunam isto in bello commemorant, Dio Cassius, Appianus, Plutarchus in Lucullo, et Hirtius in Bell. Alex. Quem P. Manutius putabat fuisse C. illum Triarium valde laudatum a Cicerone in Bruto, et de Fin. I, 5, cujusque, quum perisset in bello civili, liberorum superstitum tutor Cicero fuit ipse. Vide Manut. in Epist. ad Famil. VIII, 7, et ad Q. fr. III, 2. Mitto, qui idem sunt suspicati, Glandorpium et Pighium. Sed pater P. Triarii, et legatus Luculli, fuit L. Valerius Triarius, quæstor urbanus a. U. 672. Vid. Liv. Epit. 98, et Cic. Verr. I, 14. Rursus levi errore filium, pro patre, dat legatum Lucullo Jos. Scaliger, Anim. ad Euseb. p. 151. Heinrich.

(2) Quum priscæ editiones et codices legerent *pridie*, Cl. Maius hanc revocavit lectionem, non advertens Scaurum postulatum fuisse apud prætorem « post diem tertium, quam Cato erat absolutus »; absolutus vero fuit ad III nonas quint. dies ergo tertius erat *postridie nonas*. Peyr.

(3) « M. Æmilius Scaurus repetundarum reus, adeo perditam et comporatam defensionem in judicium attulit, ut, quum accusator diceret, « lege sibi centum atque viginti hominibus denuntiare testimonium licere, seque non recusare, quo minus absolveretur, si totidem nominasset, quibus in provincia nihil abstulisset », tam bona conditione uti non potuerit. Tamen propter « vetustissimam nobilitatem et recentem memoriam patris absolutus est ». Hæc Valerius Maxim. VIII, 1, 10. Paria Cicero ad Attic. IV, 15: « Fortasse etiam accedent consules designati, in quibus si Scaurus non fuerit, in hoc judicio valde laborabit », significans causæ ipsi haud multum fidisse. Duplex porro crimen fuit Scauro objectum ab accusatore, interemptio Bostaris Sardi

Digitized by Google

rorum Cn. Pompei fratrem : nam tertiam (1) Scævolæ filiam, dimissam a Pompeio in matrimonium duxerat. M. Catonem autem (2), qui id judicium, ut diximus, exercebat, metuebat admodum propter amicitiam, quæ erat illi cum Triario : nam Flaminia Triarii mater, et ipse Triarius sororem Catonis Serviliam, quæ mater M. Bruti fuit, familiariter diligebat; ea porro apud Catonem maternam obtinebat auctoritatem. Sed in eo judicio neque Pompeius propensum adjutorium præbuit (3) [videbatur enim apud animum ejus non minus offensionis contraxisse, quod judicium ejus in Muciam (4), crimine impu-

hominis, et deprædatio Sardiniæ. De nece Bostaris a Scauro illata testimonium dicebat Aris, Sardus, hospes Triarii, contendens « Bostarem quemdam Norensem fugientem e Sardinia Scauri adventum » [Severianus, Syntom. rhet. cap. de dispon. crimin.] Scauri jussu fuisse interfectum. Cicero vero pro Scauro circa mortem Bostaris in matrem avertens crimen [Quintil. VII, 2], felici usus est ἀντικατηγορίᾳ, contendens matrem novas nuptias cum Arine affectantem curasse interimendum filium Bostarem, qui, uti probabile fit, matrimonio reluctabatur; quod scelus novo scelere confirmat narrans Arinem, ut vacuam domum amasiæ faceret, per libertum occidisse uxorem suam anum deformem. Alterum vero crimen dissoluturus Tullius 1° demonstrat dolosum esse accusationis genus, ac comitiorum consularium causa comparatum; 2° elevare satagit gentis Sardæ testimonium, testium enim numero et gravitate premebatur Cicero; 3° de Scauro pauca dicit; 4° ad frumentarium crimen apposite respondet. Peroratio ducta est a laudibus majorum, in primisque Metellorum, et patris Æmilii Scauri principis senatus. Hanc fuisse orationis œconomiam atque ordinem videor recte augurari ex fragmentis quæ supersunt. Peyr.

(1) In recentioribus editionibus vidi *Tertiam* nomen proprium, sed scribendum est *tertiam* cum duobus codicibus Ambrosianis et editionibus antiquis. Nomen enim huic filiæ Scævolæ fuit *Mutia*, uti mox dicitur, et præterea apud Plutarchum in Pompeio [ed. Lond. t. III, p. 468]; Ciceronem ad Att. I, 12; Cass. Dion. XLVIII, 16, LI, 2; Hieronymum contra Jov. I, 48. A. M.

(2) Fiet latinus ordo verborum, si mutaveris « M. autem Catonem ». Heinr.

(3) In Pompeii patrocinio multum etiam momenti ponebat Scaurus consulatum petens, sed quantum hac spe frustratus fuerit, vide nos infra. Peyr.

(4) *Muciam* scriptura Sigonii, quam posteriores, dum nobis *Mutiam* dant, corruperunt. De hac femina sic Cramerus : « Mucia hæc ipsa illa est Tertia, Scævolæ e gente Mucia filia. Tertiæ quum prænomen tulerit, habuit præterea binas alias sorores natu majores; quod latuit, qui nonnisi duas ab hac diversas

Digitized by Google

dicitiæ ab eo dimissam, levius fecisse existimaretur, quum eam ipse probasset, quam gratiæ acquisisse necessitudinis jure, quod ex ea uterque liberos haberet], neque Cato ab æquitate ea, quæ et vitam ejus et magistratum illum decebat, quoquam deflexit. Post diem autem quartum, quam postulatus erat Scaurus, Faustus Sulla, tum quæstor, filius Sullæ Felicis, frater ex eadem matre Scauri, servis ejus vulneratis prosiluit ex lectica, et questus est, prope interemptum esse se a competitoribus Scauri (1), et ambulare cum trecentis armatis, seque, si necesse esset, vim vi repulsurum. Defenderunt Scaurum sex patroni, quum ad id tempus raro quisquam pluribus quam quatuor uteretur : ac (2) post bella civilia ante legem Juliam ad duodenos

exhibet, doctissimum Rupertum ad Pomponii Enchir. III, 7, ubi stemma est Scævolarum. Occurrit eadem Epist. ad Att. I, 12, ubi verum vidit P. Manutius ». De prænominibus feminarum, an fuerint apud Romanos, necne; de appellationibus *Primæ*, *Secundæ*, *Tertiæ*, etc. sintne prænomina, an cognomina, postremo de ratione horum nominum, an ad numerum et ordinem filiarum in eadem familia pertinuerit, totidem sunt inter doctiores antiquarios controversiæ : de quibus foret longa fabula. Sequitur, ut video, collega meus literatissimus de prænominibus Sigonium et Reinesium nostratem. At tamen ipse Manutius isto loco ait diserte, Tertiam fuisse Muciæ cognomen. Nominabatur *Mucia Tertia*, ant, quod perinde est, *Tertia Mucia*, cognomine præposito, ut *Crispus Sallustius*, vel *Paullus Æmilius*. Deinde quod ibidem de duabus sororibus, utraque natu majore, propter illud cognomen Tertiæ, addit Manutius, id vereor ne Rupertum non tam latuerit, quam non moverit. Sunt enim argumenta minime contemnenda, quibus alii utuntur ad improbandam hanc rationem. Vide Perizonium, Animadv. hist. pag. 114, edit. Harles. et Stanisl. Santinellum de disciplina et mor. rom. feminarum in ejus Dissertatt. Venet. 1734, pag. 98. Quamquam priorem illam sententiam sequitur etiam Salmasius, locum de nominibus romanis omnium copiosissime tractans in Commentario inchoato ad Arnobium. Heinrich.

(1) Legebant editiones : « servus ejus vulneratus prosiluit ex lecticis, et questus est pro interempto esse competitoribus Scauri ». Cl. Maius ex fide codicis Ambrosiani legit « quod servus ejus », ut hæc particula corruptelam non sanat. Equidem emendationem admisi, quam ex conjectura Heinrichius proposuit. Peyr.

(2) *Ac* Sigonii est : *at* Hotomanni et Grævii. Neutrum puto scripsisse auctorem, sed potius *atque*, i. e. et adeo. Legem Juliam dicit illam nobilissimam de repetundis, latam a Cæsare in primo consulatu a. Urb. 695. Et constat uno Asconio teste, etiam ad patronos pertinuisse hanc legem. Heinrich.

Digitized by Google

patronos est perventum. Fuerunt autem hi P. Clodius Pulcher, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cicero, M. Messalla Niger, Q. Hortensius. Ipse quoque Scaurus dixit pro se, ac magnopere judices movit et squalore et lacrymis et ædilitatis effusæ (1) memoria, ac favore populari, ac præcipue paternæ auctoritatis recordatione (2). Ascon. Ped.

(1) Erat apud omnes *effusa* junctum cum *memoria*. Correxi. Heinrich.

(2) Vix erat Scaurus repetundarum crimine liberatus, quum reus ambitus postulatus est ab eodem Triario, aut a L. Cæsare. Ita enim Cicero: « Tres candidati fore rei putabantur, Domitius a Memmio, Messalla a Q. Pompeio Rufo, Scaurus a Triario aut a L. Cæsare. Quid poteris, inquies, pro iis dicere? Ne vivam, si scio », ad Attic. IV, 16. « Candidati consulares omnes rei ambitus ... sed omnes absolventur; nec posthac quisquam damnabitur, nisi qui hominem occiderit », ibid. « Scaurum Triarius reum fecit », ad Attic. IV, 17. « Candidati consulares quatuor, omnes rei. Causæ sunt difficiles, sed enitemur, ut Messalla noster salvus sit, quod est etiam cum reliquorum salute conjunctum », ad Quint. fr. III, 3. Jam vero hæ accusationes in Scaurum mihi etiam consilio institutæ videntur competitorum, qui invidiam illi creandam curabant comitiorum tempore; neque spes illos fefellit; licet enim ex utroque judicio absolutus abiisset, haud tamen fasces consulares consequi potuit. Tullianæ orationis pro Scauro ambitus reo nulla fragmenta supersunt, neque magnificas laudes dixit erudita antiquitas; neque enim, ut mea fert sententia, fuit illa justa atque elaborata oratio, seu quia Tullius patrocinium susceperat clientis, quem revera reum existimabat, seu quia in Messalla defendendo potius enitebatur. Contra, alteram pro eodem Scauro repetundarum reo absolutam fuisse atque ornatissimam orationem, evincunt hæc Ciceronis loca: « Orationes efflagitatas pro Scauro et pro Plancio absolvi », ad Q. fr. III, 1; « Scaurus qui erat paucis diebus illis absolutus, quum ego partem ejus ornatissime defendissem, etc. » evincunt etiam fragmenta ipsa quæ sequuntur. Peyr.

Digitized by Google

dicitiæ ab eo dimissam, levius fecisse existimaretur, quum eam ipse probasset, quam gratiæ acquisisse necessitudinis jure, quod ex ea uterque liberos haberet], neque Cato ab æquitate ea, quæ et vitam ejus et magistratum illum decebat, quoquam deflexit. Post diem autem quartum, quam postulatus erat Scaurus, Faustus Sulla, tum quæstor, filius Sullæ Felicis, frater ex eadem matre Scauri, servis ejus vulneratis prosiluit ex lectica, et questus est, prope interemptum esse se a competitoribus Scauri(1), et ambulare cum trecentis armatis, seque, si necesse esset, vim vi repulsurum. Defenderunt Scaurum sex patroni, quum ad id tempus raro quisquam pluribus quam quatuor uteretur : ac (2) post bella civilia ante legem Juliam ad duodenos

exhibet, doctissimum Rupertum ad Pomponii Enchir. III, 7, ubi stemma est Scævolarum. Occurrit eadem Epist. ad Att. I, 12, ubi verum vidit P. Manutius ». De prænominibus feminarum, an fuerint apud Romanos, necne; de appellationibus *Primæ*, *Secundæ*, *Tertiæ*, etc. sintne prænomina, an cognomina, postremo de ratione horum nominum, an ad numerum et ordinem filiarum in eadem familia pertinuerit, totidem sunt inter doctiores antiquarios controversiæ : de quibus foret longa fabula. Sequitur, ut video, collega meus literatissimus de prænominibus Sigonium et Reinesium nostratem. At tamen ipse Manutius isto loco ait diserte, Tertiam fuisse Muciæ cognomen. Nominabatur *Mucia Tertia*, aut, quod perinde est, *Tertia Mucia*, cognomine præposito, ut *Crispus Sallustius*, vel *Paullus Æmilius*. Deinde quod ibidem de duabus sororibus, utraque natu majore, propter illud cognomen Tertiæ, addit Manutius, id vereor ne Rupertum non tam latuerit, quam non moverit. Sunt enim argumenta minime contemnenda, quibus alii utuntur ad improbandam hanc rationem. Vide Perizonium, Animadv. hist. pag. 114, edit. Harles. et Stanisl. Santinellum de disciplina et mor. rom. feminarum in ejus Dissertatt. Venet. 1734, pag. 98. Quamquam priorem illam sententiam sequitur etiam Salmasius, locum de nominibus romanis omnium copiosissime tractans in Commentario inchoato ad Arnobium. Heinrich.

(1) Legebant editiones : « servus ejus vulneratus prosiluit ex lecticis, et questus est pro interempto esse competitoribus Scauri ». Cl. Maius ex fide codicis Ambrosiani legit « quod servus ejus », ut hæc particula corruptelam non sanat. Equidem emendationem admisi, quam ex conjectura Heinrichius proposuit. Peyr.

(2) *Ac* Sigonii est : *at* Hotomanni et Grævii. Neutrum puto scripsisse auctorem, sed potius *atque*, i. e. et adeo. Legem Juliam dicit illam nobilissimam de repetundis, latam a Cæsare in primo consulatu a. Urb. 695. Et constat uno Asconio teste, etiam ad patronos pertinuisse hanc legem. Heinrich.

Digitized by Google

patronos est perventum. Fuerunt autem hi P. Clodius Pulcher, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cicero, M. Messalla Niger, Q. Hortensius. Ipse quoque Scaurus dixit pro se, ac magnopere judices movit et squalore et lacrymis et ædilitatis effusæ (1) memoria, ac favore populari, ac præcipue paternæ auctoritatis recordatione (2). Ascon. Ped.

(1) Erat apud omnes *effusa* junctum cum *memoria*. Correxi. Heinrich.

(2) Vix erat Scaurus repetundarum crimine liberatus, quum reus ambitus postulatus est ab eodem Triario, aut a L. Cæsare. Ita enim Cicero: « Tres candidati fore rei putabantur, Domitius a Memmio, Messalla a Q. Pompeio Rufo, Scaurus a Triario aut a L. Cæsare. Quid poteris, inquies, pro iis dicere? Ne vivam, si scio », ad Attic. IV, 16. « Candidati consulares omnes rei ambitus ... sed omnes absolventur; nec posthac quisquam damnabitur, nisi qui hominem occiderit », ibid. « Scaurum Triarius reum fecit », ad Attic. IV, 17. « Candidati consulares quatuor, omnes rei. Causæ sunt difficiles, sed enitemur, ut Messalla noster salvus sit, quod est etiam cum reliquorum salute conjunctum », ad Quint. fr. III, 3. Jam vero hæ accusationes in Scaurum mihi etiam consilio institutæ videntur competitorum, qui invidiam illi creandam curabant comitiorum tempore; neque spes illos fefellit; licet enim ex utroque judicio absolutus abiisset, haud tamen fasces consulares consequi potuit. Tullianæ orationis pro Scauro ambitus reo nulla fragmenta supersunt, neque magnificas laudes dixit erudita antiquitas; neque enim, ut mea fert sententia, fuit illa justa atque elaborata oratio, seu quia Tullius patrocinium susceperat clientis, quem revera reum existimabat, seu quia in Messalla defendendo potius enitebatur. Contra, alteram pro eodem Scauro repetundarum reo absolutam fuisse atque ornatissimam orationem, evincunt hæc Ciceronis loca: « Orationes efflagitatas pro Scauro et pro Plancio absolvi », ad Q. fr. III, 1; « Scaurus qui erat paucis diebus illis absolutus, quum ego partem ejus ornatissime defendissem, etc. » evincunt etiam fragmenta ipsa quæ sequuntur. Peyra.

Digitized by Google

PRO M. ÆMILIO SCAURO.

www.libtool.com.cn

I. Maxime fuit optandum[1] M. Scauro, judices, ut nullo suscepto cujusquam odio, sine offensione ac molestia.... *D. Augustinus, Princip. Rhetor. e Fortunatiano, p.* 328.

..... tis suæ[2] rerumque gestarum senectutis dedecore fœdavit. Quid vero? alterum Crassum[3], temporibus iisdem, num aut clarissimi viri Julii[4], aut summo imperio[5] præditus M. Antonius potuit imitari? Quid? in omnibus monumentis Græciæ, quæ sunt verbis ornatiora, quam rebus, quis invenitur, quum ab Ajace fabulisque discesseris, qui tamen ipse ignominiæ dolore, ut ait poeta, victor insolens se victum

I. 1. *Maxime fuit optandum.* Hunc locum etiamsi non in principio fuisse designaret exordiendi usus, demonstrat Augustinus, qui de exordiis agens, « ut limpidius hoc genus principiandi deprehendatur, dabo exemplum quod habuit M. Tullius, quum pro M. Scauro loqueretur. Erat enim controversia amphidoxos, quippe quæ niteretur dignitate personæ M. Scauri, premeretur turpitudine criminis de pecuniis repetundis. Utrumque in principiis ita confudit orator, ut et turpitudinem criminis dignitate personæ contegeret, neque tamen largiter nimium neque exsultanter, sed ita ut exprimat nonnullam etiam metus suspicionem: *maxime fuit optandum*, etc. » Ed.

2. ..... *tis suæ.* Hæc e Taurinensi palimpsesto; quæ fere sequi videntur fragm. ab Asconio servatum: *Illa... imitari.* J. V. L.

3. *Alterum Crassum.* Hic Crassus fuit pater Crassi ejus, qui æmulus Cn. Pompeii fuit; periit autem in dominatione L. Cinnæ, quum ille et alios principes optimatum, et collegam suum Cn. Octavium occidit. Ascon.

4. *Julii.* Julios quum dicit, duos Cæsaris fratres C. et L. significat, ex quibus Lucius et prætor et consul fuit; Caius ædilitius quidem occisus est, sed tantum in civitate potuit ut causa belli civilis contentio ejus cum Sulpicio tribuno fuerit. Nam et sperabat, et id agebat Cæsar, ut, omissa prætura, consul fieret; cui quum primis temporibus jure Sulpicius resisteret, postea nimia contentione ad ferrum et ad arma processit. Idem inter primos temporis sui oratores et tragicus poeta bonus admodum habitus est; hujus sunt enim tragœdiæ, quæ inscribuntur Julii. Et hi autem Julii, et Antonius ab satellitibus Marii sunt occisi, quum Crassus, ut supra diximus, eumdem casum sua manu prævenisset. Ascon.

5. *Imperio.* Asconius, *ingenio.* Namque hæc jam nota nobis fecerat, *quid vero?... imitari?* J. V. L.

Digitized by Google

non potuit pati, præter Atheniensem Themistoclem, qui se ipse morte multavit? At Græculi quidem multa fingunt; apud quos etiam Cleombrotum Ambraciotam[6] ferunt se ex altissimo præcipitasse muro, non quo[7] acerbitatis accepisset aliquid, sed, ut video scriptum apud Græcos, quum summi philosophi Platonis graviter et ornate scriptum librum de morte legisset: in quo, ut opinor, Socrates illo ipso die, quo erat ei moriundum, permulta disputat, hanc esse mortem, quam nos vitam putaremus, quum corpore animus tamquam carcere septus teneretur; vitam autem esse eam, quum idem animus, vinclis corporis liberatus, in eum se locum, unde esset ortus, retulisset. Num igitur ista tua Sarda Pythagoram aut Platonem norat, aut legerat? qui tamen ipsi mortem ita laudant, ut fugere vitam vetent, atque id contra fœdus fieri dicant legemque naturæ. Aliam quidem causam mortis voluntariæ nullam profecto justam reperietis. Atque hoc ille vidit. Nam legit[8] quodam loco, vita illam mulierem spoliari, quam pudicitia, maluisse. Sed refugit statim, nec de pudicitia plura dixit, veritus, credo, ne quem irridendi nobis daret et jocandi locum. Constat enim illam, quum deformitate summa fuisse, tum etiam senectute. Quare quæ potest, quamvis salsa ista Sarda fuerit, ulla libidinis aut amoris esse suspicio?

II. Ac ne existimes, Triari, quod afferam, in dicendo me fingere ipsum, et non a reo causam cognoscere, explicabo tibi, quæ fuerint opiniones in Sardinia de istius mulieris morte (nam fuerunt duæ): quo etiam facilius.....

6. *Cleombrotum Ambraciotam.* De hoc loco conf. Tusc. I, 34.

7. *Non quo acerbitatis.* Sic MSS. Frustra editor, *non quod.* J. V. L.

8. *Legit.* Fortasse quis conjiciat, *egit.* J. V. L.

Digitized by Google

Te dixi[1]....Libidinosam atque improbam matrem infami ac noto adulterio jamdiu diligebat is, quum hanc suam uxorem anum, et locupletem, et molestam timeret: neque eam habere in matrimonio propter fœditatem, neque dimittere propter dotem volebat. Itaque compacto cum matre Bostaris consilium cepit, ut uterque Romam veniret. Ibi se aliquam rationem inventurum, quemadmodum illam uxorem duceret, confirmavit. Hic opinio fuit, ut dixi[2], duplex: una non abhorrens a statu naturaque rerum, Arinis uxorem[3], pellicatus dolore concitatam, quum audisset Arinem cum illa sua metus et fugæ simulatione Romam se contulisse, ut, quum antea consuetudo inter eos fuisset, tum etiam nuptiis jungerentur; arsisse dolore muliebri, et mori, quam id perpeti, maluisse.

III. Altera non minus verisimilis, et, ut opinor, in Sardinia magis etiam credita, Arinem istum, testem atque hospitem, Triari, tuum, proficiscentem Romam, negotium dedisse liberto, ut illi aniculæ non ille quidem vim afferret (neque enim erat rectum patronæ); sed collum digitulis duobus oblideret[1], resticula cingeret, ut illa perisse suspendio putaretur. Quæ[2] quidem suspicio valuit etiam plus ob hanc causam, quod, quum agerent parentalia Norenses[3] omnes, qui suo more ex oppido exissent, tum illa est a li-

II. 1. *Te dixi...* Pars orationis eruta e palimpsesto Mediolanensi. J. V. L.

2. *Ut dixi.* Cicero in superiore lacuna egerat de morte uxoris Arinis, quod colligitur etiam ex Marciano Capella, V: «an aliud in Scauriana succurrit, quum interposita disputatione tractatur ex quibus causis mors eveniat repentina». A. M.

3. *Arinis uxorem.* Verba, «Arinis... concitatam», refert Priscianus, lib. VI, p. 689. J. V. L.

III. 1. *Sed... oblideret*, laudat Porphyrio ad Hor. Sat. II, 1, 56. J. V. L.

2. *Quæ... Norenses*, habet Severianus, Synt. Rhet. cap. de Conject. p. 339. J. V. L.

3. *Norenses.* Nora, urbs Sardiniæ, de qua plurimi geographi veteres dixerunt.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

berto suspendisse se dicta. Discessus autem solitudo ei, qui patronam suffocabat, fuit quærenda; illi, quæ volebat mori, non fuit. Confirmata vero suspicio est, quod, anu mortua, libertus statim, tamquam opere confecto, Romam est profectus; Aris autem, simul ac libertus de morte uxoris nuntiavit, continuo Romæ matrem illam Bostaris duxit uxorem.

En quibus familiis, quam fœdis, quam contaminatis, quam turpibus, detis hanc familiam, judices! en quibus testibus commoti, de quo homine, de quo genere[4]; de quo nomine sententias feratis! Obliviscendum vobis putatis matrum in liberos[5], virorum in uxores scelera? Cernitis crudelitate mixtas libidines; videtis immanes duorum maximorum criminum auctores, quibus criminibus hæc tota apud ignaros aut invidos famata causa est; omni facinore et flagitio deformatos habetis.

IV. Num igitur in his criminibus, judices, residet[1] jam aliqua suspicio? non perpurgata sunt? non refutata? non fracta? Qui igitur id factum est? Quia dedisti mihi, Triari, quod diluerem, in quo argumentarer, de quo disputarem; quia genus ejusmodi fuit criminum, quod non totum penderet ex teste, sed quod ponderaret judex ipse per se[2]. Neque vero, judices, quidquam aliud in ignoto teste[3] facere debemus, nisi ut argumento, conjectura, suspicione re-

4. *De quo genere.* Nobilitatem et merita majorum Scauri prædicata fuisse a Tullio in hac oratione, testis est Quintilianus, VI, 1.

5. *Matrum in liberos.* In superiore lacuna periit capitale facinus impiæ matris in Bostarem filium, quem ab ea occisum innuit Cicero, ne forte ille suas cum Arine nuptias impediret. Ed.

IV. 1. *Residet.* Maius legerat *resit*, quod a *resum, es*, tractum putabat.

2. *Per se.* Cecidit locus communis duplex, unus argumentis esse credendum, alter testibus non credendum. Schol.

3. *Ignoto teste.* Quia si notus testis est, argumentatione non opus sit. Schol.

Digitized by Google

rum ipsarum vim naturamque quæramus. Etenim testis non modo Afer[4], aut Sardus sane (si ita se isti malunt nominari), sed quivis etiam elegantior ac religiosior[5], impelli, deterreri, fingi[6], flecti potest; dominus est ipse voluntatis[7] suæ, in quo est impunita mentiendi licentia[8]. Argumentum vero, quo quid est[9] proprium rei (neque enim ullum aliud argumentum vere vocari potest), rerum vox est, naturæ vestigium, veritatis nota. Id, qualecumque est, maneat immutabile necesse est : non enim fingitur ab oratore, sed sumitur. Quare in eo genere accusationis si vincerer, succumberem et cederem; vincerer omni re, vincerer causa, vincerer veritate.

V. Agmen[1] tu mihi inducas Sardorum et catervas, et me non criminibus urgere, sed Afrorum fremitu terrere conere. Non potero equidem disputare; sed ad horum fidem et mansuetudinem con*fugere*[2]...

4. *Afer*. Sardos ab Afris originem duxisse [rectius dixisset a Phœniciis coloniis] narrat paullo infra Tullius. Heinrichius distinguendum esse censet « sane, si ita se isti malunt nominari », quod adverbium *sane* εἰρωνικῶς dictum esse, ut sæpissime, persuasum habet. Peyr.

5. *Religiosior*. Codex *religiosiosior*.

6. *Fingi*. In intercisa membrana desideratur litera *G*. His paria sunt illa or. pro Cœlio, c. 9 : « Equidem vos abducam a testibus, neque hujus judicii veritatem in voluntate testium collocari sinam, quæ facillime fingi, nullo negotio flecti ac detorqueri potest. Argumentis agemus, signis omni luce clarioribus crimina refellemus ». Tum pro Flacco, cap. 10 : « Bene testem interrogavit, callide accessit, reprehendit, quo voluit adduxit, convicit, et elinguem reddidit ». Peyr.

7. *Voluntatis*. « De toto genere testium, quam id sit infirmum, sæpe dicendum est; et argumenta rerum esse propria ; testimonia voluntatum ». Cicero, Orator. Partitt. 14. Codex, *suiæ*. Peyr.

8. *Mentiendi licentia*. Primæ vocis literæ *tie* evanidæ sunt, ita tamen, ut suspicari liceat *i* et *e*. Alterius vocis desunt literæ *t* et *a*. Peyr.

9. *Quo quid est*. Peyron legit *quoque deest*, quod pluribus defendit exemplis ; nos Maii lectionem sequimur. Vitiatum locum putat Heinrich. nec forsan immerito. Ed.

V. 1. *Agmen*. Lege licebat centum et viginti hominibus denuntiare testimonium, totidem vero usum esse Triarium innuit Valerius Maximus, VIII, 1, 10. Peyr.

2. *Confugere*. Cl. Maius legebat *confugium*..... *æquitatem*. Ego vero in

Digitized by Google

pop. rom. æquitatem, qui hanc familiam in hac [3] urbe principem voluit esse; deorum immortalium numen implorare potero, qui semper exstiterunt huic generi nominique fautores. Poposcit [4], imperavit, eripuit, coegit. Si docet tabulis, quoniam habet seriem quamdam et ordinem contracti negotii confectio ipsa tabularum, attendam [5] acriter, et, quid in defendendo [6] mihi agendum sit, videbo. Si denique nitere testibus, non dico bonis viris ac probatis, noti sint modo, quemadmodum mihi cum quoque confligendum sit [7], considerabo. Sin unus color, una vox, una natio [8] est omnium testium; si, quod ii dicunt, non modo nullis argumentis, sed ne literarum quidem aliquo genere aut publicarum, aut privatarum, quod tamen ipsum fingi potest, confirmare conantur: quo me vertam, judices? aut quid agam? Cum singulis disputem? Quid? non habuisti quod dares [9]? Habuisse se dicit.

membrana vestigia infinitivi *confugere*, atque literas *pr* deprehendere videbar; præpositionem *ad* ex ingenio supplevi. Scauri pater summus Urbis vir (Cicero pro Fonteio, 13), cujus «nutu prope terrarum orbis regebatur» [ibid. 7], dictus fuit princeps senatus, uti Asconius in argumento hujus orationis tradit. Peyr.

3. *Urbe.* Cl. Maius quum legisset *rre*, supplevit *ferre*; equidem insignes vidi has voces in membrana. Peyr.

4. *Poposcit, imperavit*, etc. Dare frumentum, quæ sunt accusatoris verba. Peyr.

5. *Attendam.* Ita legeram in Ambrosiano quod confirmat Taurinensis, atque Heinrichius reponendum esse conjecerat. Cl. Maius *contendam*.

6. *Defendendo.* Ita luculenter Ambrosianus, atque Taurinensis. Cl. Maius *offendendo*. Peyr.

7. *Sit confligendum.* Ambrosianus, *confligendum sit*. Peyr.

8. *Natio 'st.* De pari synalœphe *difficile 'st* multa erudite disputans Cl. Niebuhr (Cicero, Orat. Fragmenta, pag. 60) ait simile exemplum «ne ex antiquissimis quidem schedis Mediolanensibus» afferri. Jam affertur ex Mediolanensibus, et Taurinensibus. Peyr.

9. *Non habuisti quod dares?* Jam fingit orator se cum uno alterove teste disputare. Non habuisti frumentum quod dares Scauro reposcenti? et cetera, quæ recte constituta exhibet Taurinensis. In editione Mediolanensi tempora erant turbata «dicit, sciet, judicavit, fingit, diceret». Recogitanti vero tantam esse figuræ affinitatem inter vocales *i* et *e*, ut facile fucum legenti faciant; tum *b* et *v* non figura tantum, sed sono plus millies permu-

Digitized by Google

Quis id sciet? quis id judicabit non fuisse? Causam fingit fuisse [10]. Quem refellemus? Potuisse non dare se; noluisse, ut ereptum esse diceret. Quæ potest eloquentia disputando ignoti hominis impudentiam confutare? Non agam igitur cum ista Sardorum conspiratione, et cum expresso, coacto, sollicitatoque perjurio [11] subtiliter, nec acu quædam enucleata argumenta conquiram; sed contra impetum istum illorum impetu ego nostro concurram atque confligam. Non est unus mihi quisque [12] ex illorum acie protrahendus, neque cum singulis decertandum atque pugnandum: tota est acies illa uno impetu prosternenda.

VI. Est enim unum maximum totius Sardiniæ [1] frumentarium crimen, de quo Triarius omnes Sardos interrogavit: quod genus uno testimonii [2] fœdere, et consensu omnium est confirmatum. Quod ego crimen antequam attingo, peto a vobis [3], judices, ut me totius nostræ defensionis quasi quædam jacere fundamenta patiamini: quæ si erunt, ut mea ratio [4] et cogitatio fert,

tari in codicibus sæculo decimo anterioribus; tandem schedas Ambrosianas exhibere *dicet*, neutiquam vero *diceret*, apparebit Ambrosianum cum Taurinensi consentire. Erravit tamen Ambrosianus in verbis «quis id judicavit», perperam alterum *id* inferciens ex superiore linea traductum; erravit quoque Cl. Maius legens « quem refellemus... noluisse... ut ereptum », nam sine ulla dubitatione vidi « qui refellemus... noluisset... vi ereptum ». Ipse etiam exscripsi « se noluisset », quum forsan codex habeat *si*. Peyr.

10. *Causam fingit fuisse*. Locus valde dubius. J. V. L.

11. *Perjurio subtiliter, nec acu quædam*, etc. Testium a Triario productorum, qui, antequam solemne *Arbitror* pronuntiarent, jurejurando fuerant adacti. Peyr.

12. *Unus mihi quisque*. Ambrosianus, « unus quisque mihi ». Lectio Taurinensis longum tædium notat oratori atque judicibus devorandum, si testes singillatim protraherentur.

VI. 1. *Totius Sardiniæ*. Non significat crimen, quo tota Sardinia reum arguat, sed quod sit maximum criminum cunctorum, quæ in Sardinia, frumentaria provincia, perpetrari possint. Heinrich.

2. *Uno testimonii*. Taurinensis *unum*. In Ambrosiano vix supersunt vestigia literæ *n*. Peyr.

3. *Peto a vobis*. Taurinensis *peto vobis*. Peyr.

4. *Ratio... posita*. Cum Taur. consen-

Digitized by Google

posita et constituta, nullam accusationis partem pertimescam. Dicam enim primum de ipso genere accusationis, postea de Sardis, tum etiam pauca de Scauro; quibus rebus explicatis, tum denique ad hoc horribile et formidolosum frumentarium crimen accedam.

VII. Quod est igitur hoc accusationis, Triari, genus? Primum ut inquisitum non ieris[1], quæ fuit ista tam ferox[2], tam explorata hujus opprimendi fiducia? Pueris nobis audisse videor Vælium[3], libertinum ho-

tit Ambrosianus, quamvis Cl. Maius ediderit « postea nec constituta illam accusationis ». Inde illæ conjecturæ, quibus Cramer. Heinrich. et Schütz. depravatum locum emendare satagebant. Peyr.

VII. 1. *Inquisitum non ieris.* Reprehendit Cicero Triarium accusatorem, qui damnari Scaurum vellet, licet in Sardiniam ad inquirendum non ivisset. Quod de eodem Triario narrat etiam Asconius in argumento. A. M.

2. *Ferox..... fiducia.* Taurinensis, « ferax... fidicia ». Peyr.

3. *Lælius.* Ambrosianus, edente Cl. Maio, *Vælium* habet; mihi tamen vocalis *a* dubia videbatur. Contra Taurinensis insignem habet *Lælium*, quod nomen *L. Ælium* quoque legi potest. De Vælio hæc adnotabat Cl. Maius: Lucem aliquam affert huic loco Cicero ipse in fragmentis orationis pro Fundanio, quum ait: « Non modo hoc a Villio Annale, sed vix mehercule a Q. Mutone factum probari potest ». Necnon Horat. lib. I, sat. II, vers. 64 et seq. « Villius in Fausta Sullæ gener, hoc miser uno Nomine deceptus pœnas dedit, etc. Huic si Mutonis verbis mala tanta videntis Diceret hæc animus, etc. » Mihi enim *Muto* in loco Horatiano videtur nomen viri, quidquid ibi contra dicant Acro et Porphyrio, quos recentiores interpretes gregatim sequuntur. Hucusque Vir Cl. Allata Ciceronis et Horatii loca innuunt Villium libidinosum hominem infelicem fuisse Faustæ amatorem; dubitari autem jure potest, utrum esset libertinus. Jam si cum Taurinensi legas *L. Ælium*, nomen cum epithetis ipsis recte cohæret. Nam L. Ælius eques romanus fuit « eruditissimus et græcis literis et latinis », romanæ antiquitatis scriptorumque veterum peritissimus, scripsit orationes, Varronem habuit discipulum, eumque Cicero adolescens audire perstudiose solebat, lege Cic. Brut. 56. Sane habuit servos. Suspicor vero horum unum ceteris ingenio præstasse, operamque suam in re literaria probasse patrono; atque adeo manumissum, ut mos erat libertorum, ad patroni prænomen et nomen dictum fuisse L. Ælium. Eu libertinum literatum, quem viderat Tullius adolescens. Contra præplacent quæ Cl. Maius de Q. Mutone disputat. Huic a sordidissima libidine agnomen seu cognomen *Muttonis* vel *Mutonis* factum fuisse persuadet codex Taurinensis scribens *Titi Q. Mutonis*. Eumdem furem etiam audivisse colligo ex his Lucilii verbis « et Mutonis manum perscribere

Digitized by Google

minem, literatum ac facetum[4], quum ulcisceretur patroni injurias, nomen Q. Muttonis, hominis sordidissimi, detulisse: a quo quum quæreretur, quam provinciam, aut quam diem testium postularet, horam sibi octavam, dum in foro boario inquireret, postulavit. Hoc tu idem tibi in M. Æmilio Scauro putasti esse faciendum? Delata enim, inquit, causa ad me Romæ est. Quid? ad me Siculi nonne Romæ causam Siciliæ detulerunt, idque[5] homines prudentes natura, callidi usu, doctrina eruditi? tamen ego mihi provinciæ causam in provincia ipsa cognoscendam et discendam putavi. An ego querelas atque injurias aratorum[6] non in segetibus ipsis arvisque cognoscerem? Peragravi[7], inquam, Triari, durissima quidem hieme valles Agrigentinorum atque colles. Campus ille nobilissimus ac feracissimus ipse me causam pæne docuit Leontinus[8]: adii casas aratorum[9]; a stiva

posse tagacem», vide Festum Pompeium ad v. *tagax*. Peyr.

4. *Ac facetum*. Desunt hæc in Ambrosiano. Rem facetam ita illustrat Heinrichius: Nomine delato, prætor dabat *inquisitionem*, id est, ut olim in foro dicebant, permissionem informandi; et hic noster accusator Muttonis, quum facta in provinciis crimina detulisset, tamen parum definite, in qua provincia deberet potissimum fieri inquisitio, significarat. Ex accusatore igitur quærebat quæsitor, *quam provinciam* peteret ad inquirendum, aut, si profectione forte non opus esset, *quam diem testium*, qua præsentes testes exhibere interrogarique vellet... Jam ille reum contemnens, rogat joco acerbo, non provinciam, sed *forum boarium*, nec præfinitam diem testium, sed illius diei *horam octavam*, quum, peractis solito tempore diurnis negotiis, posset lustrare forum boarium: ibi inter bubulcos et de sordida plebe circumforaneos facile inventurum se esse, quos dignos Mutone ejusque facinorum conscios proferret. Notat orator accusatorem *libertinum hominem* propter impudentiam talis apud prætorem convicii. De *hora octava* conf. Horat. I, epist. 7, 47, et Martial. IV, 8, 4. Peyr.

5. *Idque*. Male codex, *adque*, quod servat Maius, nec intelligit. J. V. L.

6. *Injurias aratorum*. Rursus hæc e Taurinensi MS. J. V. L.

7. *Peragravi*. «Ego Siciliam totam quinquaginta diebus sic obii, ut omnium populorum privatorumque literas injuriasque cognoscerem», Act. I in Verr. 2. Postulaverat autem centum et decem dies; vide ib. Act. II, lib. I, 11. Peyr.

8. *Leontinus*. Hæc ita laudat Rufi-

Digitized by Google

ipsa[10] homines mecum colloquebantur. Itaque sic fuit illa expressa causa[11], non ut audire ea, quæ dicebam, judices, sed ut cernere, et pæne tangere viderentur. Neque enim mihi probabile, neque verum videbatur, me, quum fidelissimæ[12] atque antiquissimæ provinciæ patrocinium recepissem, causam tamquam unius clientis in cubiculo meo discere.

Ego nuper, quum Reatini[13], qui essent in fide mea, me suam publicam causam de Velini fluminibus et cuniculis apud hos consules agere voluissent, non existimavi me, neque dignitati præfecturæ gravissimæ, neque fidei meæ satis esse facturum, nisi me causam illam non solum homines, sed etiam locus ipse lacusque docuissent[14].

VIII. Neque tu aliter fecisses, Triari, si te id tui isti Sardi facere voluissent, hi, qui te in Sardiniam

nianus, n. 38 : « Apud Tullium : Campus ipse me causam pæne docuit Leontinus ». Atque Fortunatianus, Art. Rhet. III, pag. 91 : « ipse me causam campus pæne docuit Leontinus ». Lege Ruhnkenium ad Rufinianum. Ipse Cicero sic in Verr. Act. II, lib. III, 48 : « Meæ diligentiæ pensum magis in Leontino agro est exigendum, propter hanc causam, quod ipsi Leontini publice non sane me multum adjuverunt ». Peyr.

9. *Casas aratorum.* Male olim e Frontone (p. 365) in vett. fragmentis, *causas oratorum.* J. V. L.

10. *A stiva ipsa.* Locum servaverat Servius ad Georg. I, 174, his verbis « ab stiva ipsa mecum homines conloquebantur »; de quo ita recte auguratus fuerat Cl. Niebuhr, pag. 31 : « in lacuna quæ inter 3 et 4 sectionem patet, ea olim locum habebant verba quæ Servius attulit : *ab ipsa stiva homines mecum colloquebantur;* aratores scilicet a Verre eversi ». Peyr.

11. *Expressa causa.* « Ita res a me agetur, ut in eorum consiliis omnibus non modo aures hominum, sed etiam oculi populi romani interesse videantur », in Verr. Act. I, 16. Peyr.

12. *Fidelissimæ.* De antiquitate et fidelitate Siciliæ copiose dixerat Cic. in Verr. Act. II, lib. II, 1; Act. II, lib. III, 26, et postremo. Peyr.

13. *Reatini.* « His rebus actis, Reatini me ad sua τέμπη duxerunt, ut agerem causam contra Interamnates apud consulem et decem legatos; quod lacus Velinus a M. Curio emissus, interciso monte, in Narem defluit », epist. ad Attic. IV, 15. Quam causam *nuper* egerat apud Ap. Claudium Pulchrum consulem eodem anno U. C. 699. Lege etiam Varr. de Re Rust. III, 2; Tacitum, Annal. I, 79. Peyr.

14. *Docuissent.* MS, *docuissnet.* Unde legas etiam, *docuisset.* J. V. L.

Digitized by Google

minime venire voluerunt, ne longe aliter omnia, atque erant ad te delata, cognosceres[1], nullam multitudinis in Sardinia querelam, nullum in Scauro odium pop.....

.... *Ha*litu[2] Ætnam[3] ardere dicunt; sic Verrem operuissem Sicilia teste tota : tu[4] comperendinasti[5]

VIII. 1. *Cognosceres.* Patet itaque Triarium numquam in Sardinia querelas Sardorum cognovisse, sed ab iis, qui forte Romæ commorabantur; quæ erat opinio Crameri. Quare corruit Triarii in Sardiniam profectio, antequam prætor daret inquisitionis tempus; quod Heinrichius excogitaverat. PEYR.

2. *Halitu.* Jam nota e Mediolanensi MS. J. V. L.

3. *Ætnam.* Comparare Tullium suam cum Verre contentionem cum Ætnæ eruptione pronum est, et quemadmodum ille Cyclopum fabrica totas urbes obruerit arena, ita se Verrem tota Sicilia teste obruisse. CRAMER.—Quare Heinrichius legendum monet *obruissem*, quod satius esset. PEYR.

4. *Tu.* Cod. mendose, *a tuo coperendinastium teste producto*». Heinrichium sequimur. J. V. L.

5. *Comperendinasti.* Accusationis genus expendens orator redarguit Triarium, 1° quod in Sardiniam inquisitum non iverit, contra ac ipse fecerat in causa Siciliæ et Reatinorum; 2° quod primam actionem ita subdole instituerat, ut causa comperendinata post habita comitia consularia disputaretur. Nam III kal. quint. [Ascon. in Argumento] Scaurus Romam rediit ad consulatus petitionem; cœpit ergo invisere, prensare amicos, potentes adulari, corrogare suffragia; quod ut senserunt competitores, dicam ei per Triarium inferendam curarunt; hic nomen ad prætorem detulit; prætor inquisitionem dedit dierum triginta. Dum ista transigebantur, ventum erat, uti conjicio, ad idus quintiles, jamque post dies quindecim imminebant consularia comitia. Triarius porro metuebat, ne, si ipse usus triginta diebus in Sardiniam se conferret, Scaurus ea pecunia, quam a sociis abstulerat, emeret consulatum, atque magistratum iniret, antequam de eo judicari posset [Asconius in Argumento], quod a Scauri patre factum esse recens memoria exstabat. Quid ergo? Sustulit inquisitionem, professus se Romæ causam omnem facile cognoscere, quin illam in Sardinia disceret. Tum pridie, quam comitia consularia celebrarentur, Triarius defuncturus prima actione, testem unum produxit Valerium, ignotum ac levem, civitate donatum a patre Triarii, atque, uti mea fert sententia, Sardum; satis, ut appareret, se non verum judicium instituere voluisse, obruisset enim rem multis testibus, uti Cicero Verrem in prima actione obruerat Sicilia teste tota. Valerio producto, primam actionem sustulit Triarius. Quod qua ratione effecerit perspectum non habeo; fortasse accusationem non dixit, quæ erat longa ac perpetua oratio; vel partem tantum recitavit, causatus majora, quæ diceret, se habere, sed non in promptu; certe usus lege Glaucia rem comperendinavit, quin judices sententiam ferrent. Sed quum comitia prorogarentur, accusationem tandem recitavit IV non. septembris. PEYR.

Digitized by Google

uno teste producto. At quo teste, dii immortales! non satis quod uno, non quod ignoto, non quod levi: etiamne Valerio teste primam actionem confecisti? qui, patris tui beneficio civitate donatus, gratiam tibi non illustribus officiis, sed manifesto perjurio retulit. Quod si te omen nominis vestri forte duxit, nos tamen id more majorum, quia faustum putamus, non ad perniciem, verum ad salutem interpretamur. Sed omnis ista celeritas ac festinatio, quod inquisitionem, quod priorem actionem totam sustulisti, illud patefecit et illustravit, quod occultum tamen non erat, non esse hoc judicium judicii, sed comitiorum consularium causa comparatum.

IX. Hic ego Appium Claudium consulem, fortissimum atque ornatissimum virum, mecumque, ut spero, fideli in gratiam reditu firmoque conjunctum [1], nullo loco, judices, vituperabo. Fuerant enim eæ partes aut ejus, quem id facere dolor et suspicio sua coegit, aut ejus, qui has sibi partes depoposcit, quod aut non animadvertebat, quem violaret, aut facilem sibi fore reditum in gratiam arbitrabatur. Ego tantum dicam, quod et causæ satis, et in illum minime durum aut asperum possit esse. Quid enim habet turpitudinis, Appium Claudium M. Scauro esse inimi-

IX. 1. *Conjunctum.* Hoc ipso anno U. C. 699, Cicero ad Lentulum scribebat: « Certiorem te per literas scribis esse factum, me cum Cæsare et cum Appio esse in gratia », ad Fam. I, 9. Et ad Quintum fr. II, 12: « De Comageno rege..... mihi et per se, et per Pomponium blanditur Appius ». Hic itaque annus finem dedit simultatibus cum Appio, quæ P. Clodii causa susceptæ, ad multos annos fuerant productæ. Nam anno 702 hæc Tullius in epistola ad Appium [ad Fam. III, 1] scribebat: « Perficiam profecto, ut longi temporis usuram, qua carnimus, intermissa nostra consuetudine, et gratia, et celebritate, et magnitudine officiorum meorum sarciam ». Sed amicitia refrixit anno 702, quo Tullius in provincia Ciliciæ proconsul successurus erat in locum Appii; eo spectant pleræque epistolæ libri tertii ad Fam. Sed hæc triennio post Scaurinam orationem contigerunt. Pxyr.

Digitized by Google

cum? Quid? avus[2] ejus P. Africano non fuit? quid? mihi ipse[3] idem iste? quid? ego illi? quæ inimicitiæ dolorem utrique fortasse aliquando, dedecus vero certe numquam attulerunt. Successori[4] decessor invidit, et voluit eum quam maxime offensum, quo magis ipsius memoria excelleret. Res non modo non abhorrens a consuetudine, sed usitata etiamnum et valde pervagata.

X. Neque[1] vero tam hæc ipsa quotidiana res Appium Claudium, illa humanitate et sapientia præditum, per se ipsa movisset, nisi hunc C. Claudii fratris sui[2] competitorem[3] fore putasset. Qui sive patri-

2. *Avos.* Sic uterque codex pro *avus.* Ipsa porro res ex historia satis patescit. Appii enim Claudii, de quo in hac oratione sermo fit, avus aut proavus Appius ille Claudius est, qui consulatum anno Urbis 611 gessit, et Salassos gentem Alpinam domuit. Is autem Appius competitor fuit P. Africani minoris in censura, quam hic, repulso Appio, administravit an. 612. Convicium Appii competitoris in Africanum refert Plutarchus in Æmilio Paullo sub finem, necnon in *præceptis gerendæ reip.* ed. Paris. 1624, t. II, p. 810. A. M.

3. *Mihi ipsi.* Cl. Maius legit *ipse.* Equidem vidi *ipsi* in Ambrosiano, cui suffragatur Taurinensis. Peyr.

4. *Successori.* Sic Taurinensis; Ambrosianus *successum.* Scauro successionem in consulatu petenti invidit decessor Appius; atque adeo voluit illum esse maxime offensum, quo magis ipsius [Appii] memoria excelleret. Enim vero successor, adepto consulatu, ulturus inimicitias decessoris solebat ei dicam aliquam impingere, maxime in assignanda proconsulari provincia; hanc vero si non impegisset, eo magis excellebat memoria decessoris, utpote viri inculpati. Ingeniose simul, simulque cum exquisita in Appium adulatione hæc esse dicta quisque videt. Peyr.

X. 1. *Neque*, etc. Verba *neque... putabat* jam nota erant ex Asconio. J. V. L.

2. *C. Claudii fratris sui.* Ecce præter binos, quos adhuc e vetustate novimus, Claudios, Appium hoc ipso anno consulem, et Publium Ciceronis inimicum, jam tertium fratrem certo tenemus Caium, tum quidem in Asia pro prætore morantem ..... quem quidem Cicero invidiæ causa aut dicit, aut fingit, quemadmodum alter frater, ad plebem transitum cogitasse, vero transiisse non dicit, quod nescio an recte dixerit Scholiastes. Cramer. — Jam iste Caius innotescebat ex argumento Asconii ad Milon. Peyr.

3. *Competitorem.* Præstat universam historiam comitiorum consularium anni U. C. 699 exponere, ut sequens locus de Appio Claudio superioribus adnotatoribus non bene compertus illustretur. Consulatum affectabant Messalla et Scaurus patricii, Domitius et

Digitized by Google

cius, sive plebeius esset (nondum enim certum consti-

Memmius plebeii (ad Attic. IV, 17). Messallæ favebant Cicero atque Cæsar (ad Quint. fratr. III, 3 et 8). Scauro studebat Pompeius, sed utrum fronte an mente dubitabatur (ad Attic. IV, 15); res tandem perspicua constavit, quum Pompeius illum abjecit (ad Quintum fr. III, 8), habebat tamen ædilitas ejus memoriam non ingratam, eratque pondus apud rusticos in memoria patris principis senatus (ad Attic. IV, 17). Domitius valebat amicis (ibid). Memmius commendabatur Cæsaris militibus, et Gallia transpadana (ibid.); multam etiam spem habebat in Cæsare mox venturo, sed frustra (ad Quint. fr. III, 2 et 8). Ἐξοχὴ in nullo erat, pecunia enim omnium dignitatem exæquabat (ad Att. IV, 15). Ambitus vero adeo ardebat, ut numquam fuerit par, et fœnus ex triente idib. quintil. fuerit bessibus (ad Quint. fr. II, 15; ad Attic. IV, 15). Uberior quidem erat liberalitas Scauri populo tributim domi suæ satisfacientis; gratior tamen videbatur largitio aliorum candidatorum, qui occupaverant (ad Attic. IV, 16). Tantam porro competitorum contentionem ineunte mense quintili cœptam haud otiosi spectabant consules Appius et Ahenobarbus, qui provincias consulares non sortiri volebant lege curiata, sed quam quisque maxime optabat illam obtinere. Appius enim in sermonibus primum dictitabat, postea dixit etiam in senatu palam, sese, si licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provinciam; si curiata lex non esset, se paraturum cum collega, atque Lentulo in Ciliciæ provincia successurum (ad Fam. I, 9). Quare exeunte mense septembri cogitabat sine lege curiata, suo sumptu in Ciliciam se conferre (ad Attic. IV, 16), quam provinciam sibi exoptatissimam demum habuit post comitia. Quid ergo consules? Coitione facta cum Memmio et Domitio pactionem ineunt, uti ambo H-S quadragena consulibus darent, si essent ipsi consules facti; nisi tres augures dedissent, qui se affuisse dicerent, quum lex curiata ferretur, quæ lata non esset; et duo consulares, qui se dicerent in ornandis provinciis consularibus scribendo affuisse, quum omnino ne senatus quidem fuisset (ad Attic. IV, 18). Suam ergo gratiam et auctoritatem Appius pro Cilicia cum Memmio et Domitio pactus, fieri haud poterat, quin inimicitiam Messallæ et Scauro indiceret, quos a consulatu submovendos per fas et nefas satageret. Quid enim? Appium illum, qui, pactione iniquissima bonis omnibus et Ciceroni (ad Quint. fratr. III, 1) exosa, leges non latas ementiebatur, senatusconsulta nuspiam scripta fingebat, corrumpebat porro augures et consulares viros, ut consulatum venderet, non censebimus, inquam, Appium illum extremas quasque tentasse vias vel iniquissimas, dummodo ne Scaurus nobilitate præstans et patris memoria consulatum adipisceretur? Tentavit enimvero; atque, Memmio et Domitio conspirantibus, dicam Scauro per Triarium inferendam curavit. Curasse equidem conjicio; at Triarii accusationem consilio suo rexisse, auctoritate confirmasse, omnique ope tutatum esse non auguror conjectura, sed declarat sequens Scaurinæ locus. Inquisitionem et primam actionem unico teste confectam sustulit maxima celeritate Triarius, comperendinavit reum, comperendinationem ad IV nonas septembris prorogavit, inusitato accusationis genere et subdolo est usus; equidem universa hæc artificia aucto-

Digitized by Google

tuerat), cum hoc sibi [certam] contentionem fore

ritate consulis composita et perfecta existimo comitiorum gratia. Merito itaque Tullius de accusationis genere comitiorum causa suscepto disputans mentionem injicit Appii Claudii. Jam ad candidatos redeo. Appii pactio mature innotuit Ciceroni, de illa enim sic ad Attic. IV, 15, scribebat ante diem v kal. sextil. « Cum eo [Memmio] Domitium consules junxerunt : qua pactione, epistolæ committere non audeo ». Scilicet Cicero simul pertimescens Appii potentiam atque amicos, simulque se illi maxime probare studens timebat, ne, si epistola in alienas manus forte incidens significaretur Appio, consulis odium vix restinctum iterum incenderet. Eumdem etiam Ciceronis animum erga Appium declarant epistolæ libri tertii ad Famil. hominem enim produnt, qui malebat superbum pati ingenium Appii, ægre novo proconsuli provinciam tradentis, congressum studiose vitantis, iniquissimas querelas adhibentis, multa innovantis, quam uti verbo paullo duriusculo in Appium. Quæ quum ita sint, anne censebimus Ciceronem patrocinaturum causam M. Scauri voluisse iniquam Appii pactionem judicibus revelare, ut inimicitiarum causa facilius patesceret? « Hic ego, inquit, Appium Claudium... nullo loco, judices, vituperabo... Ego tantum dicam quod et causæ satis, et in illum minime durum aut asperum possit esse ». Nempe, Possem equidem Appio objicere coitionem cum Memmio et Domitio factam, possem pactiones turpissimas retegere, unde omnis Appii in Scaurum inimicitia dimanat; sed nolo quidpiam durum aut asperum in consulem dicere. Illum nullo loco vituperabo, quamvis vituperationi amplissimus pateat locus; dicam tantum quod causæ satis esse possit. Jam causæ facturus satis quodnam artificium excogitavit Tullius? Utrumque cavere studens, tum ne Appii inimicitia obesset causæ clientis, tum ne, revelata pactione, amicitiam vix redintegratam rumperet; excogitavit verisimilem hanc de Caio consulatum petente historiam, ita ut Caii nomine innueret Memmium et Domitium. Verisimilem, inquam, non veram. Ciceroni enim res illorum comitiorum diligentissime exponenti in multis epistolis (ad Attic. IV, 15, 16, 17, 18; ad Quint. fr. II, 15, 16, III, 1, 2, 3, 8) nuspiam Caius commemoratus est, ejusque nomen ita reticent scriptores universi, ut vix innotescat. Quid plura? Hæc sibi objicit Tullius « at enim frater jam non petit ». Constabat enim inter omnes Caium Romæ non esse, in sua Asiæ provincia versari, nullas largitiones ejus nomine fieri, Appium fratrem, quo maxime valere poterat, aliis candidatis studere. Quam objectionem ut dilueret, figmentis figmenta cumulans, ait Caium a tota Asia supplice retentum, commoda provinciæ honori suo anteposuisse. Quantam animi magnitudinem! quam incredibilem! Ratum itaque habeo Ciceronem narrasse verisimilem historiam, quæ ad clientis causam patrocinandam par momentum habebat, seu, ut ejus utar verbis, causæ satis esse poterat. Declarabat enim, quod verissimum erat, Appium aliis candidatis fraterno plane amore studere; hos vero quippe plebeios anteferri non posse Scauro nobili viro, nisi iste aliquo aut metu, aut infamia percelleretur; quare universam Appii inimicitiam cum Scauro comitiorum gratia susceptam esse. Quæ si vera

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

putabat : Appius autem hoc majorem etiam, quod illum in pontificatus petitione, in Saliatu, in ceteris meminerat fuisse patricium. Quamobrem se consule neque repelli fratrem volebat, neque, si patricius esset, parem Scauro fore videbat, nisi hunc aliquo aut metu, aut infamia perculisset. Ego id fratri in honore fratris amplissimo non concedendum putem? præsertim quum, quid amor fraternus valeat, pæne præter ceteros sentiam. At enim frater jam non petit. Quid tum? si ille retentus a cuncta Asia supplice, si a negotiatoribus, si a publicanis, si ab omnibus sociis, civibus, exoratus, anteposuit honori suo commoda salutemque provinciæ, propterea putas semel exulceratum animum tam facile potuisse sanari?

XI. Quamquam in istis omnibus rebus, præsertim apud homines barbaros, opinio plus valet sæpe, quam

sunt, uti verissima equidem propono ingenti animi confidentia, qua voce credemus Tullium pronuntiasse, quo gestu ornasse illa verba : « Ego tantum dicam quod et causæ satis, et in illum minime durum aut asperum possit esse »; tum alia « de quo plura jam non dicam; quamquam ea quæ dixi non secus dixi, quam si ejus frater essem ». Pæta. — *Nondum enim.* Ita Taurin. et Asconius; Ambrosianus, *non enim.* Mordet P. Clodium, qui, ut tribunus plebis crearetur, e patriciis exierat in gentem Fonteiam per adoptionem. Jam vero quamvis consulatus fuisset plebeiis communicatus lege Licinia, patricii tamen plebi præstabant, quia illum « nobilitas inter se per manus tradebat », Sallust. Jugurth. 63. Cains itaque sive patricius esset ob generis vetustatem, sive plebeius ob fratrem Clodium, putabat sibi cum hoc Scauro contentionem fore; Appius vero putabat *hoc* Caio Scaurum *majorem etiam*, meminerat enim patricium fuisse in pontificatus petitione, saliatu, ceterisque. At Caiusne patricius esse desierat, quia Clodius frater ad plebem migraverat? Num Appiorum gens Scaurinæ genti cedebat quum generis antiquitate, tum meritis majorum? Tullius ergo hæc de genere patricio disputans, revera innuebat Memmium et Domitium plebeios homines, quibus adeo gravis erat competitoris Scauri nobilitas, ut necessarium foret hunc percellere metu, aut infamia, qua ab insita nobilitatis commendatione dejiceretur. — *Certum.* Ita indubie; quod adverbii instar occurrit etiam apud Horat. Serm. lib. II, 6, 27 : « quod mi obsit clare certumque loquuto ». — *Sibi contentionem.* Ita Taurinensis et Asconius. Ambrosianus ex superiore linea adsciscens incommodum *certum* habet *sibi certum contentionem.* Pæta.

Digitized by Google

res ipsa. Persuasum est[1] Sardis, se nihil Appio gratius esse facturos, quam si de Scauri fama detraxerint. Multorum etiam spe commodorum præmiorumque[2] ducuntur. Omnia consulem putant posse, præsertim ultro pollicentem. De quo plura jam non dicam[3]. Quamquam ea, quæ dixi, non secus dixi, quam si ejus frater essem : non is, qui et est, et qui multa dixit; sed is, qui ego esse in meum consuevi.

Generi igitur totius accusationis resistere, judices, debetis : in quo nihil moderate[4], nihil considerate, nihil integre; contra improbe, turbide, festinanter, rapide[5] omnia, conspiratione[6], imperio, auctoritate, spe, minis videtis esse suscepta.

XII. Venio nunc ad testes; in quibus docebo non modo nullam fidem et auctoritatem, sed ne speciem quidem esse, aut imaginem testium. Etenim fidem

XI. 1. *Persuasum est ... detraxerint.* Tres hi versus erant editi etiam inter fragmenta orationis hujus, desumpti nimirum ex Arusiani Messi, seu verius Frontonis, *exemplis elocutionum*, a quo libello olim inedito multa sumpsit Sigonius quum Tullii fragmenta congereret. Eum libellum denique nos edidimus cum reliquis Frontonis operibus, quorum vide paginam 508, in litera *D.* A. M.

2. *Præmiorumque.* Ergo Appius, qui de Scauri fama detractum volebat, ut fidem suam Memmio ac Domitio datam facilius liberaret, simulque ipse novorum consulum ope Ciliciam sortiretur, multa promiserat commoda atque præmia Sardis accusatoribus. Peyr.

3. *Plura jam non dicam.* Possem enim plura dicere, sed quæ in Appium essent aspera; quamquam ea quæ dixi tanta dissimulatione obvelavi, ac si ejus frater essem. Non is frater Clodius, qui et revera est Appii frater, et multa quovis tempore dixit imprudentissime; sed is frater, cujusmodi ego esse consuevi in fratrem meum conjunctissimus, ejusque famæ studiosus.

4. *Nihil moderate.* Cod. Mediolan. *nihil mode nihil modo.* Unde legere possis, *nihil more, nihil modo*; quod nunc viris doctissimis placere video. J. V. L.

5. *Rapide omnia.* Videtur legendum, *rapide omnia; omnia* c. J. V. L.

6. *Conspiratione.* Conspirant Sardi in testimonio dicendo. Imperio et auctoritate utitur Appius consul. Sperant Sardi promissa commoda, Memmius et Domitius pactum consulatum, Appius provinciam Ciliciæ. Idem consul, atque candidati terrent atque minantur Sardos, ni obtemperent. Atque hæc de toto accusationis genere orator dixit; jam ad alterum, quod supra proposuerat, caput transit, nempe ad Sardos testes. Peyr.

Digitized by Google

primum ipsa tollit consensio, quæ late facta[1] est compromisso Sardorum et conjuratione rogitata[2]; deinde illa cupiditas, quæ suscepta est spe et promissione præmiorum; postremo ipsa natio[3], cujus tanta vanitas est, ut libertatem a servitute nulla re alia, nisi mentiendi licentia, distinguendam putet. Neque[4] ego, Sardorum querelis moveri nos numquam oportere. Non sum aut tam inhumanus, aut tam alienus a Sardis, præsertim quum frater meus nuper ab his decesserit, quum rei frumentariæ[5] Cn. Pompeii missu præfuisset: qui et ipse illis pro sua fide et humani-

XII. 1. *Late facta*. Am. *Peyron*, *patefacta*. J. V. L.

2. *Recitata*. Cl. Maius legit *regitata*, atque edidit *rogitata*. Quare Heinrichius adnotabat consensionem testium fuisse effectum compromissi et conjurationis, quæ late facta est per provincias Sardiniæ. Atqui seu accusator, seu subscriptores in Sardiniam inquisitum non iverunt; atqui, uti superius monui, Sardi Romæ degentes corrogati videntur. Quum itaque codex, auctore Cl. Maio, habeat *regitata*, seu, uti vidisse videtur, *recitata*, delegi hanc lectionem, ex qua apparet Triarium recitasse Sardorum omnium testimonium unica syngrapha iisdemque verbis conclusum. Peyr.

3. *Ipsa natio*. Sæpe Cicero in Sardos invectus est. In oratione de Prov. cons. 7, dicit eos *mastrucatos latrunculos* [fuit autem mastruca Sardiniense vocabulum scorteæ vestis]. In epist. ad Famil. VII, 24, de Tigellio Sardo ait: «In lucris pono non ferre hominem pestilentiorem patria sua». Ibidemque: «Habes Sardos venales alium alio nequiorem». Tum IX, 7, de Sardinia ait: «Nec ullum habet [Cæsar] prædium deterius, sed tamen non contemnit». Quintilianus, Instit. IX, 1, sub finem ait: «Quod ad exteras nationes pertinet, Cicero varie: detracturus græcis testibus fidem, doctrinam iis concedit ac literas, seque ejus gentis amatorem esse profitetur; Sardos contemnit; Allobrogas ut hostes insectatur». Quorum primum fecit in oratione pro Flacco, alterum pro Scauro [qui locus Ciceronis hactenus latuerat in Ambrosiano codice], tertium pro Fonteio. A. M.

4. *Neque ego*. Cl. Maius ex conjectura legebat *aio oportere*. Heinrich. idem additamentum deprehendit in voce *ego*, atque reponit *Neque aio Sardorum querelis moveri nos numquam*. Peyr.

5. *Frumentariæ*. Hujus vocis feliciter a Cl. Maio suppletæ vix tenue vestigium superest in codice. Vide epistolas plures Marci Ciceronis, lib. II ad Quint. fratrem in Sardinia degentem. Jam vero ex hoc loco orationis patet quod olim Paulus Manutius in commentario ad epist. 1 hujus lib. II opinatus fuerat, Q. nempe Ciceronem non alia quam rei frumentariæ causa a Pompelo in Sardiniam fuisse missum. Et quidem Pompeium præfectum fuisse rei frumentariæ patet ex orat. pro Domo, 10. A. M.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

tate consuluit, et eis vicissim percarus et jucundus fuit. Pateat vero[6] hoc perfugium dolori, pateat justis querelis; conjurationi[7] intercludatur, obsistatur insidiis. Neque hoc in Sardis magis, quam in Gallis, in Afris, in Hispanis.

XIII. Damnatus est T. Albucius[1], et C. Megaboccus[2] ex Sardinia, nonnullis etiam laudantibus Sardis[3]. Ita fidem majorem varietas ipsa faciebat : testibus enim æquis, tabulis incorruptis tenebantur. Nunc est una

6. *Vero*. Non uti adverbium habet Heinrichius, sed *dolori* jungit, ut sit verus dolor oppositus simulato. Peyr.

7. *Conjurationi*. Sic emendo. MS, *conjuratio vi*. Post, *obsidiatur*. Heinrich. *obsidatur;* Peyron, *obsepiatur*. J. V. L.

XIII. 1. *L. Albucius*. In unius ejusdemque, ut plane videtur, viri Albucii prænomine scripta Veterum vehementer discrepant. Apuleius in Apologia [ed. Paris. an. 1688, pag. 511] scribit *Aulum Albucium*. Cicero de Offic. II, 14, *Marcum*. Idem Cicero in Pisonem, 38, de Oratore, II, 70, III, 43, Orator, 44, nullum ejus usurpat prænomen. Nunc codex noster antiquissimus manifesto habet *Lucium*. Et quidem etiam Varro de Re Rust. III, 2, hæc scribit : «Nonne item L. Albutius homo, ut scitis, apprime doctus, cujus Luciliano charactere sunt libelli, dicebat, etc.» Verum nihilominus Albucii prænomen puto fuisse *Titum*, non tam quia ita scribitur a Cicerone in Bruto, 26 et 35; Div. in Verr. 19; de Prov. cons. 7; Tusculan. V, 37; sed propter Lucilii versus apud eumdem Ciceronem de Finibus, I, 3 : « Χαῖρε, inquam, Tite, lictores; turma omni, cohorsque, Χαῖρε, Tite, hinc hostis mi Albucius, hinc inimicus ». Fuit autem Albucius accusatus a C. Julio [nempe Strabone Cæsare, ut ait Suetonius in Cæs. 55], qui dicebat pro Sardis, ut patet etiam ex Cicerone Divin. in Verrem, 19, secus atque videtur in loco corrupto ejusdem Ciceronis de Offic. II, 14. Denique Albucius dicitur damnatus Romæ in Pisonem, cap. 38, exsul philosophatus Athenis, Tusc. V, 37. A. M. — Equidem legi etiam *L*, quæ litera quum paullo differat a *T* in antiquissimis hisce schedis, facile amanuensem decipere potuit. Peyr.

2. *C. Megaboccus*. Cicero ad Attic. II, 7 : «Megaboccus et hæc sanguinaria juventus inimicissima est». Megabaccum commemorant Plutarchus in Crasso, et Appianus de Bello Parth. III, 46 et 50 edit. Schweigh. virum animi magnitudine, et vi corporis insignem, qui in infesta pugna cum Parthis ad Carrhas se ipsum confodit. Hæc monumenta de Megabocco, vel Megabacco Cl. Maius, nec majora addidit Heinrichius. Peyr.

3. *Laudantibus Sardis*. Mos fuit ut reus, præter patronos, laudatores etiam adhiberet. Hi fuere interdum, si res ita ferret, homines provinciales, quos singulæ civitates ab eo administratæ, cum publica laudatione ad sublevandum rei periculum mittebant. Vide Sigonium de Judiciis, lib. II, cap. 19, et ex. gr. laudationes Flacci in orat. pro eo, cap. 40. A. M.

Digitized by Google

vox, una mens, non expressa dolore, sed simulata, neque hujus injuriis, sed promissis aliorum et præmiis excitata. At creditum est aliquando Sardis. Et fortasse credetur aliquando, si integri venerint, si incorrupti, si sua sponte, si non alicujus impulsu, si soluti, si liberi. Quæ si erunt, tamen sibi credi gaudeant, et mirentur. Quum vero omnia absint, tamen se non respicient, non gentis suæ famam perhorrescent?

XIV. Fallacissimum genus esse Phœnicum, omnia monumenta vetustatis, atque omnes historiæ nobis prodiderunt. Ab his orti Pœni multis Carthaginiensium rebellionibus, multis violatis fractisque fœderibus, nihil se degenerasse docuerunt. A Pœnis[1], admixto Afrorum genere, Sardi non deducti in Sardiniam, atque ibi constituti, sed amandati et repudiati coloni. Quare quum integri nihil fuerit in hac gente plena[2], quam valde eam putamus tot transfusionibus coacuisse? Hic mihi ignoscet Cn. Domitius Singaius[3], vir ornatissimus, hospes et familiaris meus; ignoscent [Deletones], ab eodem Cn. Pompeio civitate donati, quorum tamen omnium laudatione utimur; ignoscent alii viri boni ex Sardinia : credo enim esse quosdam; neque ego, quum de vitiis gentis loquor, neminem

XIV. 1. *A Pœnis.* Hanc Sardorum originem testatur etiam Pausanias, Phoc. 17. Tum et aliam Afrorum exscensionem in Sardiniam memorat ibidem Pausanias. Et quidem Strabo, lib. V, diserte scribit : Ὕστερον δὲ Φοίνικες κατεκράτησαν οἱ ἐκ Καρχηδόνος, «postea Phœnices Carthaginis incolæ eam [Sardiniam] obtinuerunt». A. M.

2. *Plena.* Si vox *plena* genuina est, metaphoram sumpsit Cicero a lagenis solo vino plenis, cujus pars si transfundatur, eique alii liquores admisceantur, acorem contrahere solet. Heinrichius corrigit *in hac gente pura.* Mihi quidem vox *plena* non arridet, sed emendatio *pura* nimis distare videtur. Pluygers.

3. *Sincaius, vir ornatissimus, hospes*, etc. Ita legi, ut *Sencaius* quoque esse possit. Cl. Maius, *Singaius.* Natione Sardus, romana civitate donatus a Pompeio. Nam «lex Gallia et Cornelia definite potestatem Pompeio civitatem donandi dederat», Cicero pro Balbo, 14. Pluygers.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

excipio. Sed a me est de universo genere dicendum; in quo fortasse aliqui, suis moribus, et humanitate, stirpis ipsius et gentis vitia vicerunt : magnam quidem esse partem sine fide, sine societate et conjunctione nominis nostri, res ipsa declarat.

www.libtool.com.cn

XV. Quæ est enim, præter Sardiniam, provincia, quæ nullam habeat amicam P. R. ac liberam civitatem? Africa ipsa, parens illa Sardiniæ, quæ plurima et acerbissima cum majoribus notris bella gessit, non solum fidelissimis regnis, sed etiam in ipsa provincia se a societate Punicorum bellorum, Utica teste [1], defendit. Hispania [2] ulterior Scipionum int.....

....Quanti[3], quod habebat, veniret....Agedum, ego defendi Scaurum .... Triari : defende [tu] matrem.... [temet vere] non solvendo fuisse bona. Denique reus bo....uo prosc.... esse bonis....

Circa versum a primo XL. *Quum enumeraret judicia, quæ pater Scaurus expertus erat* [1]. Subiit etiam [2] populi judicium, inquirente Cn. Domitio tribuno pl. Reus[3] est

XV. 1. *Utica teste.* Tertio bello Punico incipiente, Utica maxima post Carthaginem urbs Africæ ad Romanos a Pœnis descivit. Vide Appianum de Reb. Pun. cap. 75; Polybium legat. 142; Livii epitomen, lib. XLIX. A. M.

2. *Hispania.* Lacunam incommodam codicis Ambrosiani explet quodammodo locus Tullianæ orationis pro Cornelio Balbo, cap. 15 : « Duris quondam temporibus reipublicæ nostræ, quum præpotens terra marique Carthago, nixa duabus Hispaniis huic imperio immineret; et quum duo fulmina nostri imperii Cn. et P. Scipiones exstincti occidissent; L. Marcius, primipili centurio, cum Gaditanis fœdus icisse dicitur ». A. M.

3. Lacinia incerti loci. J. V. L.

1. Vetera fragmenta J. V. L.

2. *Subiit etiam*, etc. Cn. Domitius, qui consul fuit cum Cassio, quum esset tribunus pleb. iratus Scauro, quod eum in augurum collegium non coopta-verat, diem ei dixit ad populum et multam irrogavit, quod ejus opera sacra multa populi romani deminuta esse diceret. Crimini dabat, sacra publica populi romani deum penatium, quæ Lavinii fierent, opera ejus minus recte casteque fieri. Quo crimine absolutus est Scaurus quidem, sed ita ut a tribus tribubus damnaretur, a XXXVII absolveretur, et in eis pauca puncta inter damnationem et absolutionem interessent. Ascon.

3. *Reus est factus.* Q. Servilius Cæpio Scaurum, ob legationis asiaticæ invidiam et adversus leges pecuniarum captarum, reum fecit repetundarum

Digitized by Google

factus a Q. Servilio Cæpione, lege Servilia, quum judicia penes equestrem ordinem essent, et, P. Rutilio damnato, nemo tam innocens videretur, ut non timeret illa. Ab eodem etiam[4], lege Varia, custos ille reipublicæ proditionis est in crimen vocatus; vexatus a Q. Vario trib. pl. est non multo ante. *Asconius.*

Dicit iterum de patre M. Scauri. Non enim[5] tantum admiratus sum ego illum virum, sicut omnes, sed etiam præcipue dilexi. Primus enim me, flagrantem studio laudis, in spem impulit, posse virtutem sine præsidio fortunæ, quo contendisset, labore et constantia pervenire. *Id.*

Et quoniam congesta est accusatio magis acervo quodam criminum, quàm[6] distinctione aliqua generum et varietate .... *Severianus, Syntom. rhet. cap. de Disponendis criminibus, p.* 334.

lege, quam tulit Servilius, Claudia Gracchia. Scaurus tanta fuit continentia et animi magnitudine, ut Cæpionem contrarium detulerit et breviore die inquisitionis accepta effecerit, ut ille prior causam diceret, M. quoque Drusum tribunum pl. cohortatus sit, ut judicia commutaret. Ascon.

4. *Ab eodem etiam lege*, etc. Italico bello exorto, quum ob sociis negatam civitatem nobilitas in invidia esset, Q. Varius tribunus plebis legem tulit, ut quæreretur de iis, quorum opera consiliove socii contra populum romanum arma sumpsissent. Tum Q. Cæpio, vetus inimicus Scauri, sperans invenisse se occasionem opprimendi ejus, egit ut Q. Varius tribunus pl. belli concitati crimine adesse apud se Scaurum juberet anno 72. Ille per viatorem accersitus, quum jam ex morbo male solveretur, dissuadentibus amicis, ne se in illa valitudine et ætate invidiæ populi objiceret; innixus nobilissimis juvenibus processit in forum: deinde, accepto respondendi loco, dixit: « Q. Varius Hispanus M. Scaurum principem senatus socios in arma ait convocasse; M. Scaurus princeps senatus negat: testis nemo est: utri vos, Quirites, convenit credere? » qua voce ita omnium commutavit animos, ut ab ipso etiam tribuno dimitteretur. Ascon.

5. *Non enim tantum admiratus sum*, etc. Possit aliquis quærere, cur hoc dixerit Cicero, quum Scaurus patricius fuerit: quæ generis claritas etiam inertes homines ad summos honores provexit. Verum Scaurus ita fuit patricius, ut tribus supra eum ætatibus jacuerit domus ejus fortuna. Nam neque pater, neque avus, neque etiam proavus, ut puto, propter tenues opes, et nullam vitæ industriam, honores adepti sunt. Itaque Scauro æque ac novo homini laborandum fuit. Ascon.

6. *Quam.* Al. *non.* J. V. L.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

Bostarem igitur quemdam dixit Norensem, fugientem e Sardinia Scauri adventum.... *Id. ibid. cap. de Propositione adversarii, p.* 337.

www.libtool.com.cn

Prius illum sepultum, quam huic cœnam esse sublatam. *Id. ibid. p.* 338.

Si, mehercle[7], judices, pro L. Tubulo dicerem, quem unum ex omni memoria sceleratissimum et audacissimum fuisse accepimus, tamen non timerem, venenum hospiti, aut convivæ, si diceretur cœnanti ab illo datum, cui neque heres, neque iratus fuisset. *Asconius.*

Copiis inops, gente fallax. *Fronto, p.* 383.

Circa tertiam partem a primo. Sic, inquam, se, judices, res habet, neque hoc a me novum disputatur, sed quæsitum ab aliis est. *Asconius.*

Illa audivimus: hoc vero meminimus, ac pæne vidimus, ejusdem stirpis et nominis P. Crassum[8], ne in manus incideret inimicorum, se ipsum interemisse. At neque illius Crassi[9] factum superioris, iisdem

7. *Si, mehercle, judices, pro L. Tubulo dicerem*, etc. L. hic Tubulus prætorius fuit ætate patrum Ciceronis. Is propter multa flagitia, quum de exsilio accersitus esset, ne in carcere necaretur, venenum bibit. Asc on.

8. *P. Crassum.* Hic Crassus fuit pater Crassi ejus, qui æmulus potentiæ Cn. Pompeii fuit. Periit autem in dominatione L. Cinnæ, quum ille et alios principes optimatum, et collegam suum Cn. Octavium occidit. Ascon.

9. *Ac neque illius Crassi.* Hæc verba, quibus Cicero nunc utitur, *ac neque*, eam videntur habere naturam, ut semel poni non soleant: quia *neque* est conjunctio disjunctiva, et semper postulat ut rursus inferatur, ut quum dicimus: *neque hoc, neque illud.* Quo autem casu acciderit, quave ratione, ut hoc loco Cicero hoc verbo ita usus sit, præsertim quum adjecerit illam appositionem, et nomen intulerit postea alterum, neque perspicere potui, et attendendum esse valde puto. Moveor enim merita viri auctoritate: neque ignoro, aliquando hoc verbum *neque* vel semel poni, ut in eadem hac oratione ante ipse Cicero posuit: «Sic, inquam, se, judices, res habet, neque hoc a me novum disputatur, sed quæsitum ab aliis est». Sed hoc loco et sine præpositione illius verbi videmus esse positum, et tamen post secundum aliquid inferri. Num quum dixerit: «neque hoc a me novum disputatur», infert, «sed quæsitum ab aliis est». Asc on.

Digitized by Google

honoribus usus, qui fortissimus in bellis fuisset, M'. Aquillius potuit imitari. *Id.*

Quum dare nollet Aris, clam ex Sardinia est fugere coactus. *Priscianus*, VI, *p.* 689.

Quem purpura regalis non commovit, eum Sardorum mastruca mutavit? *Isidorus*, *Orig.* XIX, 23.

Vos quoque de familia nobili, cum auctoritate orbis terrarum, sentire debetis. *Ammianus Marcellinus*, XXII, 15.

Post duas partes orationis. Dicit de Scauro, quem defendit. Nam quum [10] ex multis unus ei restaret Dolabella paternus inimicus, qui cum Q. Cæpione, propinquo suo, contra Scaurum patrem suum obsignaverat [11], ceteras [12] eas sibi inimicitias non susceptas, sed relatas.... *Asconius.*

Post tres partes orationis. Quo loco defendit, quod tam magnificam domum Scaurus haberet. Præsertim quum [13] propinquitas et celebritas loci suspicionem desidiæ tollat, aut cupiditatis. *Id.*

Ego porro, qui Albanas habeo columnas, clitellis eas apportavi? *Quintilianus*, V, 13.

Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia superabat? at egebas. Incurristi amens in columnas; in alienos

10. *Nam quum.* Ne forte erretis et eumdem hunc Cn. Dolabellam putetis esse, in quem C. Cæsaris orationes legitis, scire vos oportet, duos eodem tempore fuisse et prænomine et nomine et cognomine, Dolabellas. Horum igitur alterum Cæsar accusavit, nec damnavit, alterum M. Scaurus accusavit et damnavit. Ascon.

11. *Obsignaverat.* Annulo accusationem in Scaur. confirmaverat. Peyr.

12. *Ceteras.* Vulg. *stateras.* Sequimur cod. Ambrosianum. J. V. L.

13. *Præsertim quum.* Demonstrasse vobis memini me, hanc domum in ea parte Palatii esse, quæ quum ab Sacra via descenderis et per proximum vicum, qui est ab sinistra parte, prodieris, posita est. Possidet eam nunc *Longus* (conj. Peyron. *Largus*) Cæcina, qui consul fuit cum Claudio. In hujus domus atrio fuerunt quatuor columnæ marmoreæ insigni magnitudine, quæ nunc esse in regia theatri Marcelli dicuntur. Usus erat iis ædilis, ut ipse quoque significat, in ornatu theatri, quod ad tempus perquam ampla magnitudine magne fecerat. Ascon.

www.libroot.com.cn

Digitized by Google

insanus insanisti. Depressam, cæcam, jacentem domum pluris, quam te, et quam fortunas tuas æstimasti. *Cicero, Orat. c.* 67; *Quintilianus*, IX, 2, 4; *Aquila, p.* 22.

Redimunt se[14] ea parte corporis, propter quam maxime expetuntur. *Servius, ad Georg.* I, 58; *Isidorus*, XII, 2.

... retineret id, quod præcipue semper studuit. *Fronto, p.* 394.

Hæc quum[15] tu effugere non potuisses, contendes tamen, et postulabis, ut M. Æmilius, cum sua dignitate omni, cum patris memoria, cum avi gloria, sordidissimæ, levissimæ, vanissimæ genti, ac prope dicam pellitis testibus condonetur? *Asconius.*

Versu a novissimo CLX. Undique mihi suppeditat, quod pro M. Scauro dicam, quocumque non modo mens, verum etiam oculi inciderint. Curia illa de gravissimo principatu[16] patris fortissimoque testatur; L. ipse Metellus[17], avus hujus, sanctissimos deos illo

14. *Redimunt se.* De fabula hac adi D. Juvenal. Sat. XII, 34; Plin. Hist. Nat. VIII, 30. Ed.

15. *Hæc quum.* Avum nunc Scauri maternum significat L. Metellum pontificem maximum, quem postea quoque nominat: nam paternus avus proavusque Scauri humiles atque obscuri fuerunt. Pena.

16. *De gravissimo principatu.* Uterque cod. Ambros. teste Maio, et aliquot antiquæ edd. sic habent, *vos de gr.* J. V. L.

17. *L. ipse Metellus.* Castoris et Pollucis templum Metellus, quem nominat, refecerat. Laudaverunt Scaurum consulares novem, L. Piso, L. Volcatius, Q. Metellus Nepos, M. Perpenna, L. Philippus, M. Cicero, Q. Hortensius, P. Servilius Isauricus pr. Cn. Pompeius Magnus. Horum magna pars per tabulas laudaverunt qui aberant: inter quos Pompeius quoque; nam quod erat pro consule, extra urbem morabatur. Unus præterea adolescens laudavit frater ejus Faustus Cornelius Sullæ filius. Is in laudatione multa humiliter et cum lacrymis loquutus, non minus audientes permovit, quam Scaurus ipse permoverat. Ad genua judicum, quum sententiæ ferrentur, bifariam se diviserunt qui pro eo rogabant: ab uno latere Scaurus ipse, et M. Glabrio sororis filius, et Paulus, et P. Lentulus Lentuli Nigri flaminis filius, et L. Æmilius Buca filius et C. Memmius Fausta natus supplicaverunt: ex altera parte Sulla Faustus frater Scauri, et C. Aronius Limo, cui Fausta ante paucos menses nupse-

Digitized by Google

constituisse[18] templo videtur in vestro[19] conspectu, judices, ut salutem a vobis nepotis sui deprecarentur, quod ipsi sæpe multis laborantibus atque implorantibus ope sua subvenissent. Capitolium illud templis tribus[20] illustratum, paternis atque etiam hujus amplissimis donis ornati aditus J. O. M. Junonis Reginæ, Minervæ, M. Scaurum apud..... illius L. Metelli[21]

rat dimissa a Memmio, et T. Pedueus, et C. Cato, et M. Olena Scortianus. Sententias tulerunt senatores duo et viginti, equites tres et viginti, tribuni ærarii viginti et quinque. Ex quibus damnaverunt senatores quatuor, equites duo, tribuni duo. Cato præterea, quum vellet de accusatoribus in consilium mittere, multique e populo manus in accusatores intendederent, cessit imperitæ multitudini, ac postero die in consilium de calumnia accusatorum misit. C. Triarius nullam gravem sententiam habuit. Subscriptores ejus M. et Q. Pacuvii fratres denas, et L. Marius tres graves habuerunt. Cato prætor judicium, quia æstate agebatur, sine tunica exercuit, campestri sub toga cinctus. In forum quoque sic descenderat, jusque dicebat: idque repererat ex vetere consuetudine, secundum quam et Romuli ac Tatii statuæ in Capitolio, et in rostris Camilli fuerunt, togatæ sine tunicis. Ascon.

18. *Illo constituisse templo.* Reliqua debemus MS Taurinensi. Dederat jam Fronto, *De te recordor.* J. V. L.

19. *In vestro conspectu.* Asconii ergo fragmentum cum Taurinensi conjungitur. Postrema hæc est pars perorationis, in qua Scaurum laudat Cicero a majoribus suis, præsertim vero ab avo L. Metello, et patre Æmilio Scauro. Hoc fragmentum innuebat Quintilianus, VI, 1, *de Peroratione* scribens: « Periclitantem vero commendat dignitas, et studia fortia, et susceptæ bello cicatrices, et nobilitas, et merita majorum. Hoc, quod proxime dixi, Cicero atque Asinius certatim sunt usi: pro Scauro patre hic, ille pro filio ». Quam vero apposite ad captandum judicum favorem hæc a Tullio dicta fuerunt, intelligimus a Valerio Maximo, VIII, 1, 10: « M. quoque Æmilius Scaurus repetundarum reus... perditam et comploratam defensionem in judicium attulit... tamen propter vetustissimam nobilitatem, et recentem memoriam patris absolutus est ». Peyr.

20. *Templis tribus.* Cicero de Nat. Deor. II, 23: « Fides, Mens, quas in Capitolio dedicatas videmus proxime a M. Æmilio Scauro; ante autem ab Atilio Calatino erat fides consecrata ». Idem templum Menti consecratum ab Æmilio Scauro commemorat Plutarchus de Fort. Roman. tom. II, p. 306 ed. Wyttenb. Verum quum a T. Otacilio prætore jampridem dedicatum fuerit [vide Liv. XXII, 10; XXIII, 31] equidem conjicio illud vel ampliatum, vel restitutum, neutiquam ex inchoato exstructum fuisse a Scauro. Restituit etiam ædem Fidei ab Atilio consecratam. Quodnam fuerit tertium templum a Scauro illustratum, videant alii. Peyr.

21. *Illius L. Metelli.* Desunt lineæ septem. J. V. L.

Digitized by Google

pontificis maximi, qui, quum templum illud[22] arderet, in medios se injecit ignes, et eripuit flamma Palladium illud, quod quasi pignus nostræ salutis atque imperii custodiis Vestæ continetur. Qui utinam posset parumper exsistere! Eriperet ex hac flamma stirpem profecto suam, qui eripuisset ex illo incendio di..... tum[23]. Te vero, M. Scaure[24], quidem vidi. Video, inquam, non cogito solum; nec vero sine magno animi mœrore ac dolore, quum tui filii squalorem adspexi, de te recordor. Atque utinam, sicut mihi tota in hac causa versatus ante oculos, sic nunc horum te offeras, et in horum animis adhærescas! Species, medius..... etiam[25] si forte non nosset, tamen principem civitatis esse diceret.

Quo te nunc modo appellem? Ut hominem? At non es inter nos. Ut mortuum? At vivis et viges, at in omnium animis atque ore versaris; atque divinus animus mortale nihil habuit, neque tuorum quidquam potuit emori, præter corpus. Quocumque igitur te mo.....

Universe. *Carisius*, *p.* 198.

Hoc nomine audito, quod per omnes gentes pervagatum est. *Fronto*, *p.* 392.

In illa bona invadere nullo modo potuisset. *Id.* *p.* 386.

22. *Templum illud.* De ædium Vestæ conflagratione, « quo incendio Metellus inter ipsos ignes raptum Palladium incolume servavit », ut ait Val. Max. I, 4, 4, lege Livii Epitomen XIX; Plinium, VII, 45; Ovid. Fast. VI, 437; Dionysium Halicarnass. II; Senecam, Controv. lib. IV, cap. 2. Peyr.

23. Desunt lineæ septem. J. V. L.

24. *M. Scaure.* M. Æmilium Scaurum clientis patrem ante multos annos defunctum alloquitur. Peyr.

25. Desunt septem lineæ. J. V. L.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

FRAGMENTUM ORATIONIS PRO A. GABINIO.

www.libtool.com.cn

Ego quum [1] omnes amicitias tuendas semper putavi summa religione et fide, tum eas maxime [2], quæ essent ex inimicitiis revocatæ in gratiam : propterea, quod integris amicitiis officium prætermissum, imprudentiæ, vel (ut gravius interpretemur) negligentiæ excusatione defenditur; post reditum in gratiam si quid est commissum, id non neglectum, sed violatum putatur, nec imprudentiæ, sed perfidiæ assignari solet. *D. Hieronymus, Apolog. adversus Rufinum.*

1. *Ego quum omnes amicitias*, etc. Sic Hieronymus, loc. cit. « Unde et Tullius in Commentariis pro A. Gabinio ». J. V. L.

2. *Tum eas maxime.* Fuerat olim Gabinio infensissimus, quippe quo consule urbe fuerat pulsus. Unde pro Rab. Postumo : « Non patitur mea etiam fides de Gabinio gravius agere; quem enim ex tantis inimicitiis receptum in gratiam summo studio defenderim, hunc afflictum violare non debeo ». Et Valerius, IV, 2 : « Cicero A. Gabinium repetundarum reum summo studio defendit, qui eum in consulatu suo urbe expulerat ».

Digitized by Google

A. MAII MONITUM.

www.libtool.com.cn

Orationis Tullianæ de ære alieno Milonis non modo nullæ reliquiæ ante nostram principem editionem cognitæ erant, sed ne memoria quidem supererat. Tantum ex argumento Asconii ad editam Milonianam constabat, Milonem ingentes largitiones fecisse, ut consulatum consequeretur. « Dum Milo quam primum comitia confici vellet, conficeretque quum bonorum studiis, qui obsistebant Clodio, tum etiam populi, propter effusas largitiones, impensas quoque ludorum scenicorum ac gladiatorii muneris maximas, in quas tria patrimonia effudisse eum Cicero significat ». Item Milonis damnati et exsulis, scribit Asconius ad orat. pro Mil. 35, « bona veniisse semuncia propter alieni æris magnitudinem ». Et quidem de bonis Milonis publicatis, legendus est Cicero ad Att. VI, 5; Cœlius in epist. ad Famil. VIII, 3. Idem Cicero de Offic. II, 17, quo loco de liberalitate agit, ita ait : « Honori summo nuper nostro Miloni fuit, quod gladiatoribus emptis reip. causa, quæ salute nostra continebatur, omnes P. Clodii conatus furoresque compressit. Causa igitur largitionis est, si aut necesse est, aut utile ». Item ad Famil. II, 6, de Milone qui in consulatus candidam venerat ait : « Habemus vulgi ac multitudinis studium propter magnificentiam munerum liberalitatemque naturæ ». Quare haud dubium, quin, quum consulatum peteret, ingenti ære alieno Milo premeretur. Ceterum occasio et materia orationis de ære alieno Milonis diserte explicantur in argumento, quod ei noster interpres præponit. Nos igitur hujus orationis argumentum, et commentarium in eamdem, licet sæpe mutilum, cum interspersis Ciceronis particulis, exhibemus. Patet autem ex ipso argumento quo anno dicta sit hæc causa, nempe anno Urb. cond. 702, quo item anno et Clodius deinceps occisus est, et scripta etiam ea defensio Milonis interfectoris, quæ in editionibus exstat.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

www.libtool.com.cn

DE ÆRE ALIENO MILONIS.

In eumdem annum consulatum petierunt Annius Milo, et (1) Q. Metellus Scipio, et Hypsæus. Quo anno etiam P. Clodius Pulcher inimicus ejus in præturæ candidam venerat (2). Idem quum petitioni Milonis adversaretur, et comitia multo et vario ambitus genere turbaret, quo magis Hypsæus et Scipio consules designarentur, Milo autem repulsam ferret; per hos dies senatus convocatus est : apud quem P. Clodius (3) invectionem sibi non tantum contra Milonem verum etiam contra ipsum M. Tullium contumeliosam atque asperam depoposcit, ut ambitum moveri ab eo diceret, quoniam multis erga remp. meritis prævaleret : vim moliri etiam per armatos homines criminaretur : ad extremum longe minus quam haberet æris alieni esse professum (4). Nam sestertium sexagies (5) in ære alieno se habere professus Milo secundum veterem consuetudinem fuerat. Quum igitur obnixe contenderet Clodius, non oportere, qui magno ære alieno

(1) Desunt prima argumenti verba in codice, relicto spatio. Hæc nos supplevimus ex argumento Asconii ad Milonianam, in quo eadem narratur consulatus petitio. A. M.

(2) Confirmat Asconius in supradicto argumento ad Milonianam : « In eumdem annum consulatum Milo, Clodius præturam petebat : quam debilem futuram consule Milone intelligebat ». A. M.

(3) P. Clodius videtur aliqua eloquentiæ laude floruisse. Nam (præter ejus conciones hic et in orat. superiore a nobis edita, et apud nostrum interpretem ad orat. pro Plancio, 32, 1, commemoratas) narrat Asconius ad orat. in Toga candida, sub initium, ab eo adolescente accusatum Catilinam. Tum idem Asconius P. Clodium Pulchrum inter patronos Scauri filii recenset in argumento orationis Tullianæ pro eodem Scauro, pag. 27. Quamquam in ea causa fratres Claudii adversati potius Scauro videntur. Recole ejus orationis cap. 6. Denique Velleius Paterculus, lib. II, 45, scribit : « P. Clodius, homo nobilis, disertus, audax, quique dicendi neque faciendi ullum, nisi quem vellet, nosset modum ». A. M.

(4) Cod. *professus*. A. M.

(5) *Sestertium sexagies*, valet libras gallicas 1,200,000, nempe aureos Venetos circiter 100,000. Vide *Romé de l'Isle, Métrologie*, p. 147. A. M.

Digitized by Google

defœneratus prædæ videretur habiturus esse rempublicam, contradixit ejus insectationi M. Cicero, qui familiaritate præcipua Milonem diligebat ob id maxime meritum, quod restitutionem suæ dignitatis ab eodem tribuno pl. meminerat adjutam. Quamto (1) autem odio habuerit P. Clodium jam compertum est ex orationibus illius plurimis, quibus ejus vitam moresque dilacerat (2). Ex jurgio itaque quod inter se moverant oratio ista composita est, cujus inscriptionis titulum, priusquam commentari adgrediar, explanandum puto : non abs re existimans futurum nostris (3) lectoribus, si orationis titulum non indocte perspexerint. Quippe inscribitur « interrogatio de ære alieno Milonis ». Interrogationis autem non una species erat; sed varia : ut alia significaret accusationis denunciationem, qualis illa præscriptio est orationis ejus, qua usus fuit in eum P. Clodius *quum* legibus interrogasset. Legibus enim sic interrogabatur, inquirente accusatore an omnia secundum legum præscripta gesserit is, cui crimen intendebatur (4). Erat alia præterea interrogatio testium, sicut ipse M. Tullius P. Vatinium testem interrogavit. Proprie namque interrogatio dicebatur, qua testes redarguebantur. Tertia hæc est interrogandi species, ut Sinnio Capitoni (5) videtur, pertinens ad officium et consuetudinem senatoriam. Quando enim aliquis sententiam loco suo jam dixerat, et alius postea interrogatus quædam videbatur ita loquutus,

(1) Ita codex *quamto*. A. M.

(2) Vide superiorem orationem in Clodium et Curionem, necnon pro Domo, de Haruspicum responsis, pro Milone. In aliis etiam sæpe hunc suum inimicum carpit Cicero. A. M.

(3) Cod. pro *nostris* habet *non*. A. M.

(4) « Quid est (inquit Ascon. ad act. I in Verrem, cap. 1) reum fieri, nisi apud prætorem legibus interrogari? Quum enim in jus ventum esset, dicebat accusator apud prætorem reo, Aio te Siculos spoliasse. Si tacuisset, lis ei æstimabatur, ut victo; si negasset, petebatur a magistratu dies inquirendorum ejus criminum, et instituebatur accusatio ». Confer eumdem Asconium etiam ad lib. II in Verr. cap. 3. A. M.

(5) Sinnius Capito sæpissime in re grammatica citatur apud Festum. Ejus epistolas laudat Gellius, V, 20 et 21. Et quidem cap. 21 dicit de eo : « Sinnii Capitonis doctissimi viri epistolæ sunt uno in libro multæ, opinor, positæ in templo Pacis ». A. M.

Digitized by Google

ut refutari posse (1) justissime viderentur, postulabat ille qui jam sententiam dixerat, ut sibi liceret interrogare, hoc est, illum redarguere, cujus sententia in multis quasi mendax et calumniosa redargui posset. Quoniam ergo dixerat Clodius et minus professum æris alieni Milonem.....

(1) Cod. *refutare posset*. A. M.

DE ÆRE ALIENO MILONIS.

....adversarii [1].

Ejiciendus est [2] ex urbe civis auctor salutis.

Includendus [3] intra parietes, qui populi [4] romani imperium non terrarum regionibus, sed cæli partibus terminavit.

Nec vero tum [5] timendum fuit, quum cessimus.

1. .... *Adversarii*. Nunc ad aliud transit: an aliquid Milo per vim facere conetur. Et hoc similiter refutavit, ut omnis ista suspicio et invidia in Clodium retorqueatur. Ita enim argumenta excurrent, quibus et Milonem purget et adversarium prægravet. Vet. Schol.

2. *Ejiciendus est ex urbe*, etc. Copiosissima et vehemens exsecutio, ut supra dixi, reum de vi constituens P. Clodium, cujus res gestæ omnes nihil umquam tranquillitatis habuisse videantur, sed statim cœperit *ab adulescentia furere*. *Jam* exsilii sui mentionem quam subtiliter et consulte, non specialiter nec nominatim, sed per hanc generalitatem intulit! Quoniam erat aliquid cum sua laude dicturus, ejiciendus est, inquit, ex urbe civis auctor et custos salutis otii dignitatis fidei. Hæc quoniam *sibi honorifica* erant, quasi de aliquo loqueretur induxit, ne pro insolenti et jactantissimo haberetur. Vet. Schol.

3. *Includendus intra parietes*. Videtur et Cn. Pompeio idem Clodius insidias paravisse. Itaque oratorie laudem subjecit hoc inferendo. Vet. Schol.

4. *Qui populi romani imperium*, etc. Hoc enim ita superjectum est, ut et Pompeio blandiretur et Clodium quasi hostem publicum denotaret, qui virum tam necessarium reipublicæ ipsi eripere conatus sit. Vet. Schol.

5. *Nec vero tum timendum*, etc. Bene eloquutus est de exsilio suo, quod maluit discessionem vocare quam pœnam. Et aliis orationibus similiter coloravit, neque metu neque ulla conscientia criminum se maluisse discedere, sed præcavisse potius, ne ad arma per seditionem veniretur. Vet. Schol. — Vide præsertim pro Sextio, 7-25, ubi de exsilio suo, in quod sponte profectum se dicit, copiosissime agit Cicero. Vide etiam pro Domo, cap. 36; pro Milon. cap. 14; Parad. cap. 4. A. M.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

Eosdem[6] ad cædem civium de Apennino deduxisti[7].

Lapidibus duo consules[8] ceciderunt.

. . . Qui, multis inspectantibus, caput feriebas, femina plangebas.

. . . . ber animose confidens[9].

Non pudet[10]? sed quid pudeat hominem non modo sine pudore, verum omnino sine ore?

Sic enim[11] homines egentes et turbarum cupidi loquebantur : O virum usuum!

. . . . Maledicere autem[12], immo vero domo principem civem[13] vi et metu continere[14].

6. *Eosdem ad cædem civium*, etc. Quasi hæc omnia in Catilinam socium dicerentur, ita mentionem attulit Appennini, quem nuper ille cum exercitu obtinuerat. Vet. Schol.

7. *Deduxisti*. Confirmat id de Clodio Cicero pro Milone, 9 : « Servos agrestes et barbaros ex Apennino deduxerat ». A. M.

8. *Lapidibus duo consules*. Cn. Domitium Calvinum et M. Valerium Messallam. Nec alia fuit causa cur senatus convocaretur, quam illa præcipua, quod P. Clodius immissa seditiosorum manu comitia turbaverat, quæ habebantur de consulibus creandis, quum esset etiam Milo candidatus. Vet. Sch.

9. . . . . *ber animose confidens*. In Clodium convertitur, *ut* hujusmodi obsequia humilitatis plenissima in eum verius et probabilius conferantur, qui abjecta omni dignitate ordinis sui Pompeium demissis precibus oraverit, ut ab eo in gratiam reciperetur. Vet. Sch.

10. *Non pudet?* Multa cum acerbitate insurrexit, et impudentiam sive infamem turpitudinem sive deformitatem vultus volens exprobare, non tantum sine rubore verum etiam sine ore P. Clodium dixit. Nam traditur forma inliberali fuisse. Vet. Schol. — Aliud multo gravius innuit, quod fœdius satis indicant Romanorum mores. Ed.

11. *Sic enim homines egentes*, etc. Rumigerantium sermones retulit, qui quum summum vigorem constantiæ Clodio adscripsissent, quod audacius Pompeio repugnaret ; post, eumdem humili satisfactione depositum contemptui ducerent. Vet. Schol.

12. . . . . *Maledicere autem*. Clodium curasse ut in publica concione Pompeio malediceretur narrat Dio, XXXIX, 19. A. M.

13. *Principem civem*. Cicero pro Mil. cap. 7, ait : « Caruit foro postea Pompeius, caruit senatu : caruit publico : janua se ac parietibus, non jure legum judiciorumque texit ». Vide etiam Asconium ad eumdem orat. 14. A. M.

14. *Vi et metu continere*. Sub eadem figura verbum retraxit per quamdam correctionem. Notissimum autem est P. Clodium *insidiatum* esse Pompeio. Id ipsum testificatur et in aliis quidem retro habitis orationibus, et multo plenius ac manifestius pro Milone. Vet. Schol.

Digitized by Google

....Ut, quas haberet[15] in vestibulo tabulas, refigeret.

Etenim tria, ut opinor, hæc in Milonis personam questus es, de ære alieno, de vi, de ambitu[16]. Duo præteristi[17] : nihil de religionibus violatis, nihil de incestis stupris questus es.

Est enim[18], quocumque venit, et reorum crimen et judicum[19].

....Tuamque præturam[20] non tuo more differas.

Nec suffragia[21] dabis, quibus ostentas[22].

15. *Ut, quas haberet*, etc. Post ejectum Ciceronem, velut criminum ejus elogia perscripserat Clodius, et easdem tabulas in vestibulo domus suæ fixerat, de quibus nunc loqui videtur : easque contendit, quoniam falsæ sint et calumniosæ, pro nihilo esse ducendas, nec ullam sibi ex iis invidiam re pertimescendam, qui et in senatusconsultum nihil mentitus sit, et restitutionem meruerit. Vet. Schol.

16. *De ambitu.* Revera et ipse Pompeius post necem Clodii factus consul statim Milonis causa duas leges promulgavit *de vi* et *de ambitu*. (Vide Asconium in argumento Milonianæ.) Et de his capitibus Milo accusatus est. Vide ibidem Asconium. A. M.

17. *Duo præteristi.* Facta supra divisione per eas species, quibus insectatus Milonem Clodius fuerat, subdit orator etiam duo hæc posteriora, sive in ipsum procul dubio adversarium con..... lium nomina. Vet. Schol.

18. *Est enim, quocumque venit*, etc. Quod pertinet ad reos, illud est : inutiliter loquens adfert illis periculum damnationis. Quod autem refertur ad judices, hic intelligere debemus magnam illis invidiam simul et infamiam comparari ab litigatoribus, *si* corrupti pecunia extimarentur : quoniam hoc falso jactaverit Clodius pretium sententiarum judicibus esse tribuendum, quum tamen eamdem pecuniam ipse intercepturus acciperet. Vet. Schol.

19. *Et reorum crimen et judicum.* Etiam hic resculpit Cicero illam corruptionem judicum in causa de stupro. Et recole omnino extremam partem orationis in P. Clodium et Curionem cum ejus commentario. A. M.

20. *Tuamque præturam non tuo more differas.* Hoc in narratione Milonianæ defensionis plenius ostendit, Clodium petitorem fuisse præturæ. Quumque animadverteret comitia non sic procedere, ut kal. januariis posset inire præturam, maluisse desinere a petitione. Hoc ergo Tullius arripuit, omnibus esse miraculo, quod non differat etiam præsenti anno petitionem, quod jam semel fecerit. Solebant autem impediri comitia per dissensionem magistratuum. Vet. Schol.

21. *Nec suffragia dabis quibus ostentas.* Comminatur et denuntiat se actionibus ejus adversarium futurum nec in legationem cum Pompeio discessurum. Latares autem de suffragio libertinorum P. Clodius legem videbatur, ut et [istorum in censum] æqualiter perveniret. Vet. Schol.

22. *Ostentas.* Cap. 32 : « Incidebantur jam domi leges, quæ nos no-

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

Nec vero illam nefariam libertatem[23]....

Atque per... de nostrorum omnium non audeo totum dicere. Videte, quid ea vitii lex habitura fuerit, cujus periculosa etiam reprehensio est.

Quis non meminerit pueritiam tuam[24]?

Iterum a piratis redemptum[25]. Quo enim nomine appellem eos, qui te pretio accepto liberaverunt?

Nisi vero lineamentis[26] hominis nomen et figuris positum, non naturis putas.

stris servis addicerent». Ad quæ verba ait Asconius: «Significasse jam puto nos fuisse inter leges P. Clodii, quas ferre proposuerat, eam quoque qua libertini, qui non plus quam in urbanis tribubus suffragium ferebant, possent in rusticis quoque tribubus, quæ propriæ ingenuorum sunt, ferre». Jam vero ego, ut sæpe dixi, me Asconii commentarium invenisse autumo; et en locum in quo Asconius se ante significasse inquit eam legem, quam ferre Clodius proposuerat *de libertinorum suffragio*: significaverat enim, uti hæc ipsa pagina docet, in commentario ad hanc orationem de Ære alieno Milonis, quæ tum materia tum tempore proxime præcedit orationem olim editam pro Milone. A. M.

23. *Nec vero illam nefariam libertatem.* «Suffragii scilicet libertinorum, cujus» legis mentio fit in oratione quæ habita est pro Milone. Sch.

24. *Quis non meminerit pueritiam tuam?* Interrogatio asperitatis invidiæque plenissima, cum descriptione personæ qua mores ejus inluminat, quem non magis timeri oporteat, quam despici tot vitiorum fœditatibus inquinatum. Cetera hic explananda non sunt, quæ satis in præcedentibus diximus. Vet. Schol.

25. *Iterum a piratis redemptum.* Narrat Dio, lib. XXXV, cap. 37, ad Urb. annum 687, Clodium, quum præfectus esset classi in Cilicia a Marcio ejus sororis viro, captum a piratis fuisse. Vide eumdem Dionem, lib. quoque XXXVIII, 30. Q. autem Marcius Rex ille est, cujus mentionem fecit Cicero in oratione adversus Clodium. Recole superius pag. 61. Eam captivitatem Clodio objicit Tullius etiam de Harusp. resp. 20, quo in loco, prorsus ut hic, ab ejus pueritiæ vitiis ad hanc probrosam captivitatem progreditur: «Qui post patris mortem primam illam ætatulam suam ad scurrarum locupletum libidines detulit: quorum intemperantia expleta, in domesticis est germanitatis stupris voluptatus: deinde jam robustus provinciæ se ac rei militari dedit, atque ibi piratarum contumelias perpessus, etiam Cilicum libidines barbarorumque satiavit». Iterum ei Tullius captivitatem eamdem exprobrat ad Attic. I, 16: «Narra, inquam, patrono tuo, qui Arpinates aquas concupivit: nosti enim marinas». Quo extremo orationis membro Clodio marinam calamitatem in mentem revocat. A. M.

26. *Nisi vero lineamentis*, etc. Definiti hominis proprietatem non liniamentis corporum, sed animorum qualitatibus æstimandam. Vet. Schol.

Digitized by Google

Tum habuisti quasdam formidines, *quæ* quasi cornua quædam [27] exciderunt impleta.

Non enim viderunt [28], quos ipsi exturbarant, eos in civitatem restitutos.

....Qui armis cessissem vel tuis urbanis, vel [29], ut opinio tum erat, alienis [30].

www.ertool.com.cn

27. *Tum habuisti quasdam formidines, quæ quasi*, etc. Quæ P. Clodio ad feræ alicujus et belluæ similitudinem adscripsit. Etiam hoc in exitu posuit cornua illi, quæ habuisse quondam videbatur, nunc esse dilapsa: ut nimirum sensus ille sit, magis jam contemni Clodium quam timeri. Vet. Schol. — An hæc similitudo petitur a luna, cujus cornua tum decidunt, quum ea plena fit? Quo fortasse sensu Virgilius ait, Æn. III, 645: «Tertia jam lunæ se cornua lumine complent». Sed enim noster interpres similitudinem refert ad feram. A. M.

28. *Non enim viderunt, quos ipsi*, etc. C. Gracchi et Saturnini exempla intulerat, quorum alter in Aventino interfectus est, alter Capitolio deductus cum Glaucia prætore jugulatus. Post quorum necem restitutos in civitatem significat P. Popillium qui Graccho cesserat, et Q. Metellum Numidicum, qui ut violentiam L. Apuleii subterfugeret, exsulaverat. Gloriatur ergo suo nomine, quod vivente inimico suo Clodio restitutus sit. Vet. Schol.

29. *Vel.* Fortasse Cæsarem indicat Tullius, qui, ut narrat Plutarchus in Cicerone, Clodium corroboravit in Cicerone expellendo. A. M.

30. *Alienis.* Acta est hæc causa de ære alieno Milonis (ut dixi in monito, pag. 21), eo ipso anno quo Clodius deinde occisus est. Jam vero Pompeium eo tempore non prorsus fuisse animo alieno a Clodio, patet ex Asconii argumento Milonianæ præpositio, ubi dicitur Cicero potuisse offensionem inimicæ multitudinis declinare, redimere etiam Cn. Pompeii animum, si paullulum ex studio defendendi Milonis remisisset. Et Pompeius ne olim quidem adversus Clodium adjuverat Ciceronem, quum hunc ille tribunus in exsilium compelleret. Vide Plutarchum in Cicerone. A. M.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS

www.libtool.com.cn

FRAGMENTA

EX ORATIONIBUS

QUÆ EXSTANT, SED NON INTEGRÆ.

AD ORAT. PRO P. QUINTIO.

Turpis occultatio sui[1]. *Ulpianus.*

AD ORAT. PRO M'. FONTEIO.

Galli posthac dilutius[2] potabunt, quod illi venenum esse arbitrabuntur. *Ammianus Marcellinus,* XV, 29.

Mater tua[3], dum vixit, ludum; postquam mortua est, magistros habuit. *Quintilianus,* VI, 3.

1. *Turpis occultatio sui.* Desideratur hujusce orationis tertia pars, qua terminabatur confirmatio. Porro declarat Hotomannus se in manuscripto libro legisse, «hic in vetusto exemplari duo folia erant abscissa». Post hoc brevissimum fragmentum, quod ad quid pertineat plane nescimus, nonnulli recentiorum fragmenta adsuunt orationis pro Roscio comœdo, ut ferunt, quæ his verbis constant. 1. «Hoc sibi quisque proponat, quo minus fucatis capiatur officiis. 2. Rara est amicitia. 3. Quid enim tam simplex apertumque est? Atqui non tam in alto latet aurum argentumque. 4. Hasce ore adverso inuri cicatrices ac notas virtutis accipitis, ne quod accipiat fama vultus perhorrescit, quem numquam incursione hostium commovere. 5. Erat meum autem ubique inveniri sine ullo labore, sine ulla investigatione». Porro non ovum ovo similius prædicabant quam isthæc Tullianis plane gemella, quum Cl. Niebuhrius, quem proxime morte interceptum diu lugebunt, quicumque romanæ et linguæ, et historiæ severius studebunt, ex quinque illis fragmentis, priora tria et quintum ad Senecam, quartum ad C. Rabirii orationem pertinere demonstravit. O vanas hominum mentes et pectora cæca!

2. *Dilutius.* Hoc ad crimen vinarium pertinebat. Ed.

3. *Mater tua.* Ænigma hoc explanat Quintilianus: «dicebantur, dum hæc vixit, infames feminæ ad eam convenire solitæ; post mortem autem ejus bona veniebant. Quamquam hic ludus per translationem dictus est, magistri per ambiguitatem». Porro *magistri* ii dicebantur qui in auctione vendendis bonis præerant. Ed.

Digitized by Google

Frumenti maximus numerus e Gallia[1], peditatus amplissimæ copiæ e Gallia, equites numero plurimi e Gallia. *Aquila, p.* 25.

www.libtool.com.cn

AD ORAT. DE LEGE AGRARIA[2] kal. jan.

Prædam, manubias, sectionem[3], castra denique Cn. Pompeii, sedente imperatore, decemviri vendent. *A. Gellius*, XIII, 23.

Veniet igitur sub præcone tota Propontis, atque Hellespontus; addicetur communis ora Lyciorum atque Cilicum; Mysia et Phrygia item conditioni legique parebunt. *Aquila, p.* 27.

Imberba juventute. *Charisius*, I, *p.* 74.

AD ORAT. PRO L. FLACCO.

Ingenita levitas, et erudita vanitas. *D. Hieronymus, Comm. ad Galat.* I, 3; *Epist.* X, 3.

AD ORAT. IN L. PISONEM[4].

Proh dii immortales! qui hic illuxit dies! *Quintilianus*, IX, 4; *Diomedes*, II, *p.* 464.

. . . . Quæ te belluam ex utero, non hominem fudit. *Servius.*

Insuber quidam fuit, idem mercator, et præco : is quum Romam cum filia venisset, adolescentem nobilem Cæsonium, hominis fortissimi[5] filium, ausus est appellare. Filiam collocavit. *Asconius.*

1. *E Gallia.* Respicere hoc videtur ad ea quæ Fonteius prætor Pompeio Hispaniense bellum gerenti suppeditabat. Vide Font. 5, 6, etc. Ed.

2. *De lege Agraria.* De lege Agraria quatuor dixisse orationes videtur Cicero, quarum tres exstant, et prima quidem, abscisso capite; quo hæc fragmenta spectare crediderim. Ed.

3. *Sectionem.* Confiscationem. De verbi hujus et priorum vi plura dicit A. Gell. XIII, 23. Ed.

4. *In L. Pisonem.* Hujus orationis præter primum versum deest principium. Ed.

5. *Hominis fortissimi filium, ausus est appellare.* Al. legunt *furacissimi*, etc. J. V. L.

Digitized by Google

Quum tibi tota cognatio in sarraco [6] advehatur. *Quintilianus*, VIII, 3.

Proxime Pompeium sedebam. *Diomedes*, I, *p.* 405.

Caput opponis, cum eo coniscans. *Quintilianus*, VIII, 3.

Circa vers. a primo [7]. . . . Quod minimum specimen in te ingenii? ingenii autem? immo ingenui hominis ac liberi? qui colore ipso patriam aspernaris, oratione genus, moribus nomen.

Circa vers. a primo LXXX. Hoc non ad contemnendam Placentiam pertinet, unde se is ortum gloriari solet: neque enim hoc mea natura fert; nec municipii, præsertim de me optime meriti, dignitas patitur.

Paullo post de avo Risonis paterno. Hic quum ad Padum Placentiæ forte consedisset, paucis post annis in eam civitatem (nam tum erat civitas) adscendit. Prius enim Gallus, dein Gallicanus, extremo semiplacentinus haberi cœptus est.

Circa vers. a primo. . . . Lautiorem pater tuus socerum, quam C. Piso. . . . in illo luctu. . . . Non ei filiam meam collocavi, quem ego, potestas quum omnium fuisset, unum potissimum delegissem?

Supplementa, ut vult editor Amed. Peyron, orationis PRO MILONE [1], *c.* 12 *et* 13.

Tom. XV, *p.* 38, *post* deferre posses, *addit hæc:*

6. *Sarraco.* De verbo hoc vide Festum. Ed.

7. *Circa vers. a primo.* Sequentia quatuor fragmenta ex Ascon. J. V. L.

1. *Pro Milone.* Quid de hac re disputaverimus, dabunt prolegomena. Hoc unum addere liceat, nullam lacunam in præclarissima Tullii oratione hiare; et posse novum illud fragmentum, quod per se Tullianum videtur, ad priorem actionem referri, ita ut serius ab imprudenti aliquo aut rudi grammatico genuinæ et integræ orationi sit adactum. Ceterum quanta ingenii subtilitate causam suam defendat Cl. Am. *Peyron*, soli illi intelligent, qui totam hanc litem in ejus opere, p. 218, part. alt. adibunt. Ed.

Digitized by Google

Atque per[2]..... An hujus ille legis[3], quam Clodius a se inventam gloriatur, mentionem facere ausus esset, vivo Milone, ne dicam consule? De nostrum enim omnium. Non audeo totum dicere. Videte[4], quid ea vitii lex habitura fuerit, cujus periculosa etiam reprehensio est. Et adspexit me illis, *etc.*

Ibid. post irasci certe non debeo, *addit*..... fuerit occidi Milonem[5]; convertite animos nunc vicissim ad Milonem. Quid Milonis intererat interfici Clodium? quid erat, cur Milo, non dicam, admitteret, sed optaret? Obstabat in spe consulatus Miloni Clodius. At eo repugnante fiebat : immo vero eo fiebat magis; nec me suffragatore meliore utebatur, quam Clodio. Valebat apud vos, judices, Milonis erga me remque publicam meritorum memoria; valebant preces et lacrymæ nostræ, quibus ego tum vos mirifice moveri sentiebam; sed plus multo valebat periculorum impendentium timor. Quis enim erat civium, qui sibi solutam P. Clodii præturam sine maximo rerum novarum metu proponeret? Solutam autem fore videbatis, nisi esset, *etc.*

EX CAUSARUM[1] LIB. XIII.

Re vendita, iterum empta. *Diomedes, p.* 365.

2. *Atque per.* Verba duo e Scholiast. Ambros. ad orat. de Ære alieno Milonis. J. V. L.

3. *An hujus ille legis.* E Quintil. IX, 2. J. V. L.

4. *Videte.* Ex eodem Scholiast. l. c.

5. *Fuerit occidi Milonem.* Ed. conj. « Audistis, jud. quantum Clodio profuerit occid. Mil. » Omnia alia sunt e Taurinensi palimpsesto. J. V. L.

1. *Ex causarum.* Alii, *ex commentariis*, eodem sensu. Vide Quintilian. X, 7. J. V. L. — Cicero omnium causarum quas acturus esset, memoriæ causa commentarios scribere erat solitus. Quas autem probabat, eas diligentius scriptas edere, quæ minus placebant, in commentariis, seu notis relinquere in usu habuit. Porro eadem ratione Demosthenem initia scripsisse præsértim deprehendimus, cetera tempori ac subitaneo calori permittentem, ut in ejus servatis operibus videre est. Ed.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

II.

M. T. CICERONIS

FRAGMENTA

EX EPISTOLIS

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

M. T. CICERONIS

www.libtool.com.cn

FRAGMENTA

EX EPISTOLIS.

Quam multa nobis epistolarum volumina reliquerit M. Cicero, præter ea, quæ habemus, facile vel ex his epistolarum fragmentis intelligi potest, quas ad Titinium, ad Nepotem, ad Cæsarem, ad Hirtium, ad Pansam, ad Cæsarem juniorem, ad Calvum, ad filium, ad Axium, ad Brutum scriptas videmus. Nam quæ ad Pompeium, aut ad Cassium a Nonio scriptæ citantur, prorsus ab hoc numero removendæ sunt: nam illæ inter eas, quæ ad Atticum, hæ inter eas, quæ ad familiares missæ sunt, reperiuntur. Nos autem, aliquot ex his fragmentis expositis, demus operam, ut, quam his epistolis amittendis jacturam fecimus, nostra, quoad possimus, industria sarciamus. SIGONIUS.

EX EPISTOLA AD M. TITINIUM [1].

EQUIDEM memoria [2] teneo, pueris nobis primum latine docere cœpisse L. Plotium [3] quemdam; ad quem quum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctissimorum hominum au-

1. *Titinium.* Fuisse virum hunc eruditum, sunt opera illius quæ testentur, quorum sæpe meminere Nonius, Charisius et Festus. ED.

2. *Equidem memoria.* Hæc verba citat Suetonius in libro de claris Rhetoribus. De L. Plotio Gallo, inquit, Cicero in epistola ad M. Titinium sic refert: « Equidem memoria teneo, etc. » Hic autem Plotius rhetor Sullanis temporibus floruit, ut in Chronico notavit Eusebius. Ejusdem autem rei, et hominis meminit etiam Quintilianus, lib. XI. SIGON.

3. *L. Plotium.* Primum omnium latine rhetoricam docuisse monet etiam Seneca in Declamationibus. Confer Quintil. II, 4. ED.

Digitized by Google

ctoritate, qui existimabant, græcis[4] exercitationibus ali melius ingenia posse. *Suetonius, de Clar. rhet. c.* 2.

www.libtool.com.cn

AD CORNELIUM NEPOTEM EPIST. LIB. II.

Itaque nostri[5], quum omnia, quæ dixissemus, dicta essent; quæ facete, et breviter, et acute loquuti essemus, ea proprio nomine appellari dicta[6] voluerunt. *Macrobius, Saturn.* II, 1.

Ad eumdem, ex lib. incerto.

Hoc restiterat[7] etiam, ut à te fictis aggrederer donis. *Priscianus,* VIII, *p.* 792.

Qui habet, ultro appetitur; qui est pauper, aspernatur. *Id. ibid.*

Quid? oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? quis sententiis aut acutior, aut

4. *Græcis exercitationibus.* Quam utilitatem ex ea consuetudine perceperit, adi Brutum, c. 90. Ed.

5. *Itaque nostri.* Hoc inveni apud Macrobium, Saturn. lib. II: « Jocos, inquit, hoc genus veteres dicteria dicebant: testis idem Cicero, qui in libro epistolarum ad Cornelium Nepotem secundo sic ait: *Itaque nostri*, etc. » Ciceronis item in quadam ad Cornelium Nepotem epistola testimonium citat Marcellinus, lib. XXVI. Hic est autem Cornelius Nepos æqualis Ciceronis et Attici, a quo Attici ipsius vita elegantissime scripta exstat: quem item auctorem profitetur in libris ad Ciceronem Lactantius, lib. III, cap. 15, hoc modo: « Nepos Cornelius ad Ciceronem ita scribit: Tantum abest, ut ego magistram esse putem vitæ philosophiam, beatæque vitæ perfectricem, ut nullis magis existimem opus esse magistros vivendi, quam plerisque, qui in ea disputanda versantur: video enim magnam partem eorum, qui in schola de pudore, et continentia præcipiant argutissime, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere ». Sigon.

6. *Dicta.* Macrobius habet *dicteria*, quod nescio an Cicero umquam usurpaverit. Simili porro sensu de Orat. II, 54: « nam ea dicta appellantur proprio jam nomine »; et ib. II, 60; Philipp. II, 17. Ed.

7. *Hoc restiterat.* Priscian. l. VIII, ait: « hoc in loco *aggredi* in patiendi significatione esse usurpatum ». Sig.

Digitized by Google

crebrior? quis verbis aut ornatior, aut elegantior[8]? *Suetonius, Jul. Cæs. c.* 55.

www.libtool.com.cn

Neque enim quidquam aliud est felicitas, nisi honestarum rerum prosperitas : vel, ut alio modo definiam, felicitas est fortuna adjutrix consiliorum bonorum; quibus qui non utitur, felix nullo pacto esse potest. Ergo in perditis impiisque consiliis, quibus Cæsar usus erat[9], nulla potuit esse felicitas; feliciorque meo judicio Camillus exsulans, quam temporibus iisdem Manlius, etiamsi, id quod cupierat, regnare potuisset. *Ammianus Marcellinus,* XXI, 16.

AD C. CÆSAREM EPIST. LIB. I.

M. Cicero C. Cæsari S.

Balbum[10] quanti faciam, quamque ei me totum dicaverim, ex ipso scies. *Nonius*, IV, 139.

Tunc quum ea, quæ es ab senatu summo cum honore tuo consequutus.... *Id.* IV, 95, 231.

Debes odisse improbitatem ejus, quia impudentissimum nomen delegerit. *Id.* IV, 250.

8. *Elegantior.* Iisdem ferme laudibus Cæsarem in Bruto, 72 sq. extollit Cicero : cui adde Quintil. X, 1. Ed.

9. *Quibus Cæsar usus erat.* De hac Cæsaris felicitate ita Cicero in secunda Philippica, « Cæsar Alexandria se recepit felix, ut sibi quidem videbatur, mea autem sententia, nisi qui reip. sit felix, felix esse nemo potest ». Ed.

10. *Balbum quanti faciam.* Exempla omnia ex tribus libris epistolarum ad C. Cæsarem ex Nonii commentariis sumpta sunt. Quamquam autem difficile est, ex tam paucis verbis sententiam ullam certam haurire, tamen has epistolas post partam fere Pharsalico prælio victoriam scriptas esse ad Cæsarem dictatorem crediderim, Cæsare ipso adhuc extra Italiam bellis civilibus implicato. Quam autem Cæsari carus Balbus fuerit, aliæ epistolæ indicant : itaque merito se Cicero ei dicasse ait, ut qui plurimum gratia apud Cæsarem valeret : unde illa sunt ad Pætum : « Non tu homo ridiculus es, qui, quum Balbus noster apud te fuerit, ex me quæras, quid de istis municipiis et agris futurum putem? quasi aut ego quidquam sciam, quod iste nesciat, aut si quid aliquando scio, non ex isto soleam scire? » Sigon.

Digitized by Google

... Ut sciret, majore cura tuenda esse, quæ parta sunt. *Id.* IV, 468.

www.libtool.com.cn

Ad eumdem Epist. lib. II.

....Vel quod locatio ipsa pretiosa. *Nonius*, IV, 288.

Quod sapientes homines ac boni putant. *Id.* IV, 362.

Neque pro cauto ac diligente se castris continuit[11]. *Charisius*, I, *p.* 101.

Sed ego, quæ monimenti[12] ratio sit, nomine ipso admoneor. Ad memoriam magis spectare debet posteritatis, quam ad præsentis temporis gratiam. *Nonius*, I, 136.

Ad eumdem Epist. lib. III.

Quæ si videres[13] non de exercitu retinendo tueri, sed eo tradito, aut dimisso.... *Nonius*, IV, 135.

Amici nonnulli a te contemni, ac despici, ac pro nihilo haberi senatum velint. *Id.* V, 57.

11. *Neque pro cauto ac diligente se castris continuit.* Hic tamen, si sanus locus, indicatur Cæsaris ad Cic. epistola. Sed fortasse his addita erat. J. V. L.

12. *Monimenti.* Hoc fragmentum ego ad lib. II epistolarum ad C. Cæs. putavi esse referendum, innixus vestigiis Nonianis: sic enim ille: « Monumenti proprietatem a monendo Tullius exprimendam putavit ad Cæsarem epistolam II », id est, ut ego arbitror, epistolarum II, ut subaudiat librum. Quod autem hic de monumenti vocabulo ait Cicero, sumptum etiam esse videtur ex libris jurisperitorum. Nam et Ulpianus, lib. II, D. relig. et sumptibus funerum: monumentum esse ait, quod, memoriæ servandæ gratia, exsistit. Et Florentinus l. monumentum D. eodem, Monumentum generaliter appellat rem omnem, memoriæ causa in posterum proditam. Qua de re vide etiam locum in libro Aurelii Augustini de cura pro mortuis gerenda, cap. 4, et vide Festum dict. *Monimentum* lib. XI. Gellius quoque quum de Mausoli regis sepulchro et Artemisia uxore loquitur, ita habet: «Molita quoque est conservandæ mariti memoriæ causa sepulchrum illud memoratissimum, dignumque memorari inter septem omnium terrarum spectacula. Id *monimentum* Artemisia, etc.» Vide, ut dixi, Gell. lib. X, cap. 18. Patr.

13. *Quæ si videres, non de exercitu.* Inest, ut puto, aliquid vitii: sed nos divinare possumus, certi afferre nihil possumus. Patr.

Digitized by Google

Ad eumdem, ex lib. incerto.

www.libtool.com.cn

Jam amplitudinem gloriamque tuam magno mihi ornamento fore existimo, quod me levas cura. *Nonius,* IV, 279.

Extrema vero nec quanta, nec qualia sint, verbis consequi possum. *Id.* IV, 95.

AD CÆS. JUNIOREM EPIST. LIB. I.

Cicero Cæsari juniori S.

Pridie nonas febr.[14] quum ad te literas mane dedissem, descendi ad forum togatus, quum reliqui consulares sagati vellent descendere. *Nonius,* XIV, 10. (*Quæ sequuntur, item ex Nonio.*)

....Et aut ad consules[15], aut ad te, aut ad Brutum adissent, his fraudi ne esset, quod cum Antonio fuissent. IV, 9.

Sed hæc viderimus[16], quum legati responsa retulerint. IV, 391.

Quasi si me ad id beneficium arcesseres, quo per te me una cum republica in libertatem vindicassem. IV, 487.

Roga ipsum, quemadmodum[17] ego eum Arimini acceperim. IV, 15, 397.

14. *Pridie non. febr.* Nempe quarta die februarii 710 sex Philippicas orationes habuerat et secundam ediderat Tullius. Tunc exspectabantur missi a senatu ad Antonium legati, aut fortasse etiam jam redierant. Ed.

15. *Et aut ad consules.* Hanc sententiam dixit Cicero, Philippica VIII, cap. 11, his verbis: « Quas ob res ita censeo, eorum, qui cum M. Antonio sunt, qui ab armis discesserint, et aut ad Pansam, aut ad Hirtium consules, aut ad D. Brutum imp. cos. des. aut ad C. Cæsarem propræt. ante idus martias primas adierint, eis fraudi ne sit, quod cum M. Antonio fuerint. Sigon.

16. *Sed hæc viderimus.* Legatos de pace missos ad M. Antonium, dum Mutinam oppugnaret, satis constat, L. Philippum, L. Pisonem, Ser. Sulpicium, quos hic intelligit. Sig.

17. *Quemadmodum.* Nonius habet priore loco, « quemadmodum ego

Digitized by Google

Sed cito pœnituit; domum rediit; ceteri cunctabantur. IV, 55.

Erat opinio bona de Planco[18], bona de Lepido. IV, 329.

Neminem tibi profecto hominem ex omnibus aut anteposuissem umquam, aut etiam comparassem. IV, 64.

Ex ceteris autem generibus tunc pecunia expedietur, quum legionibus victricibus[19] erunt, quæ spopondimus, persolvenda. IV, 165.

In singulas tegulas impositis sexcentis, sexcenties confici posse. IV, 93.

Ne res duceretur, fecimus, ut Hercules Antianus in alium locum transferretur. IV, 130.

Sed quod videret nomine pacis bellum involutum fore.... IV, 252.

Quod mihi et Philippo[20] vacationem[21] das, bis gaudeo. Nam et præteritis ignoscis, et concedis futura. V, 56.

Itaque vereor, ne ferociorem eum faciant tua tam præclara de eo judicia. IV, 192.

Ad eumdem Epist. lib. II.

Sed ita loquutus insulse est, ut mirum senatus convicium exceperit. I, 141.

In quo tua me provocavit oratio, mea consequuta est segnis. I, 142.

eum armis acceperim ». Mendose. J. V. L.

18. *Erat opinio bona de Planco.* L. Plancum et M. Lepidum intelligit, qui post a rep. aperte desciverant, quum M. Antonium, exercitu spoliatum, fugientem recepissent. Sigon.

19. *Quum de legionibus victricibus erunt.* De præmiis quibus donandæ essent legiones, adi Philipp. XIV, cap. 14. Ed.

20. *Philippo.* Q. Marcio Philippo, qui Attiam, matrem Octavii, uxorem duxerat. Ed.

21. *Vacationem.* Vel militiæ, vel legationis. Ed.

Digitized by Google

Bellum[22], ut opinio mea fert, ex consensu civitatis confectum jam haberemus. IV, 93.

Quum constet[23], Cæsarem Lupercis id vectigal dedisse, qui ante poterat id constare? IV, 99.

www.tiptool.com.cn

Adest Albæ nescio quis Claudius, quem quum restitui jussisset, Ancone cum eo dejectus est ex senatusconsulto. IV, 142.

Insolens, arrogans, jactans. IV, 234.

Scriptum erat[24] equestre prælium valde secundum; quin potius adversum. IV, 416.

Quem perisse[25] ita de republica merentem consulem, vehementer doleo. IV, 296.

Tu si meam fidem præstiteris, quod confido te esse facturum.... IV, 367.

Quum iter facerem Claternam[26] tempestate spurcissima.... IV, 425.

Nihil omnino certi, nec locupletem ad hoc auctorem habebamus. VI, 78.

Antonius demens ante lucem[27] paludatus.... XIV, 11.

Ad eumdem Epist. lib. III.

Itaque in eum palam vehementer est invectus. IV, 259.

22. *Bellum, ut opinio.* Hanc sententiam etiam in eadem re sæpe repetiit in Philippicis et in Epistolis. Sig.

23. *Quum constet, Cæsarem Lupercis.* Hoc est, id de quo scriptum est in Phil. VII in Anton. « De Lupercis tribunus pl. refert ». Unde in epistola ad Antonium et Pansam Antonius scripsit : « Vectigalia Juliana Lupercis ademistis ». Ed.

24. *Scriptum erat equestre prælium.* De prælio ad Mutinam cum C. Antonio a Cæsare, et a consulibus facto puto intelligi : de quo Galba ad Ciceronem, item alii. Sigon.

25. *Quem perisse.* Hoc aut de Hirtio, aut de Pansa consulibus, prælio ad Mutinam facto interfectis, dictum existimo. Sigon.

26. *Claternam.* Confer ad Div. XII, epist. 5. Ed.

27. *Ante lucem.* Hoc ad citissimam Antonii in Cisalpinam Galliam profectionem possit referri. Ed.

Digitized by Google

Ego autem antiquissimum[28] Scythis oriundum, quibus antiquior lætitia est, quam lucrum.... V, 17.

www.libtool.com.cn

Ad eumdem, ex lib. incerto.

Posthac quod voles a me fieri, scribito. Vincam opinionem tuam. IV, 329.

Promissa tua memoria teneas. IV, 348.

AD C. PANSAM, EPIST. LIB. I.

M. Cicero C. Pansæ S. D.

De Antiocho[1] fecisti humaniter; quem quidem ego semper dilexi, meque ab eo diligi sensi. *Non.* XI, 1; *Priscian.* XV, *p.* 1010.

Quorum erupit illa vox, de qua ex te primum quiddam inaudieram. *Non.* II, 442.

Ad eumdem Epist. lib. III.

Nos Ventidianis rumoribus[2] concalfecimus. *Id.* II, 182.

AD A. HIRTIUM EPIST. LIB. II.

Qua in re si mediocriter lapsus sum, defendas velim tolerabile erratum. *Id.* III, 86.

Ad eumdem Epist. lib. V.

Et quoniam, ut hoc tempus est, nihil habeo, patriæ quod impertiam.... *Id.* I, 170.

28. *Antiquissimum Scythis oriundum.* Videtur hoc de Anacharsi Scytha dictum, qui tranquillitati animi omnia posthabuit. Ed.

1. *De Antiocho.* Epistolarum ad C. Pansam libros tres in ipso belli Antoniani apparatu et ardore scriptos apparet. Idem de literis ad Hirtium missis cogitandum. Ed.

2. *Ventidianis rumoribus.* Post Mutinensem pugnam Ventidius se Antonio conjunxit. Cf. Philipp. XII, 9. Ed.

Digitized by Google

Ad eumdem Epist. lib. IX.

Dices[3], Quid, quæso, istuc intererat? Nescio, nisi tamen erat mihi verendum sæpius, ne qui casus perimeret superiora. *Id.* VI, 9.

Ad eumdem, ex lib. incerto.

Quum enim nobilitas[4] sit nihil aliud, quam cognita virtus, quis in eo, quem veterascentem videat ad gloriam, generis antiquitatem desideret? *Id.* V, 63.

Luta et limum aggerebant. *Id.* III, 132.

AD M. BRUTUM EPIST. LIB. VII.

His contraria, atque parata, ut esse solent, expertus sum. *Id.* IV, 163.

Ad eumdem Epist. lib. VIII.

Et quod te tantum amat[5], ut vel me audeat provocare.... *Id.* XII, 34.

Sic igitur facies, et me aut amabis, aut, quo contentus sum, diliges[6]. *Id.* IV, 78; V, 3.

Ad eumdem, ex lib. incerto.

Veritus fortasse[7], ne nos in Catonem nostrum transferamus illinc mali aliquid[8]: etsi argumentum simile non erat. *Quintilianus,* V, 10.

3. *Dices.* Tu fortasse inquies, quid hæc ad nos. Fateor, sed verebar ne inde præterita affligerentur. Ed.

4. *Quum enim nobilitas*, etc. Hæc ad incitandum Hirtium, novum hominem. Ed.

5. *Tantum amat.* Filii amorem erga Brutum affirmare videtur; qui autem jam cum patre erat, Bruto relicto. Ed.

6. *Diliges.* Non semel verba *amare* et *diligere* distinguit Cicero. Cf. ad Div. IX, 14, XIII, 47; ad Brut. I, et indicem vocum. Ed.

7. *Veritus fortasse.* Cæsar ægre ferebat Catonem Uticensem a Tullio laudibus ad cælum evectum. Ed.

8. *Aliquid.* Alii malunt antique, *illim aliquid.* J. V. L.

Digitized by Google

Nam eloquentiam, quæ admirationem non habet, nullam judico[9]. *Id.* VIII, 3.

Et eum amorem, et eum, ut hoc verbo utar, favorem[10] in consilium advocabo. *Id. ibid.*

Ego quum in gratiam redierim cum App. Claudio, et redierim per Cn. Pompeium : ego ergo quum redierim.... *Id.* IX, 3.

Sermo nullus scilicet, nisi de te : quid enim potius? Tum Flavius, Cras, inquit, tabellarii[11]; et ego ibidem has inter cœnam exaravi. *Id. ibid.*

Simne bonus vir, si hæc suadeam? Minime; suasoris enim est finis, utilitas ejus, cui quisque suadet. At recta sunt. Quis negat? sed non est semper rectis in suadendo locus. *Id.* III, 8.

Populo imposuimus, et oratores visi sumus. *Id.* VIII, 6.

Res mihi invisæ visæ sunt, Brute. *Id.* IX, 4.

AD M. FILIUM LIB. I.

Quare effice[12], et elabora, ut excelleas. *Priscianus*, VIII, *p.* 838; X, *p.* 896.

9. *Nullam judico.* Sic in Orat. 71 : « Eloquens vero, qui non approbationes solum, sed admirationes, clamores, plausus, si liceat, movere debet, etc. » Ed.

10. *Favorem.* Quintilianus verbum hoc novum Ciceroni visum declarat; quamquam Cicero novo tantum sensu illud usurpet. Favor de theatri præsertim plausibus dicebatur, ut Rosc. Com. 10; Sext. 54; nunc hanc vocem ad omne benivolentiæ genus transfert Noster. Ed.

11. *Cras tabellarii.* Olim « erras... tabellarie » restituit Burmannus. Hoc fragmentum sequebatur hæc sententia ex eodem Quintiliani capite desumpta, « præstat enim nemini imperare, quam alicui servire; sine illo enim honeste vivere licet; cum hoc vivendi nulla conditio est », quæ ad Bruti epistolam pertinere manifeste testatur Quintilianus. Ed.

12. *Quare effice.* Libros epistolarum ad M. filium tum maxime scriptos esse arbitror, quum Athenis Cratippo philosopho operam dedit, et post quum Bruti contubernalis in Macedonia fuit. Hujus enim et Brutus, et Cicero in epistolis ultro citroque missis meminerunt. Plenæ autem certe fuerunt cohortationis ad virtutem, et ad Bruti ipsius imitationem : in his etiam epistolis patrem

Digitized by Google

Ad eumdem, lib. II.

Cui ego, quibuscumque rebus potero, libentissime commodabo. *Nonius*, IV, 107.

www.libtool.com.cn

Ad eumdem, ex lib. incerto.

Ceris delitis. *Diomedes*, I, *p.* 372.

Philosophiæ quidem præcepta noscenda, vivendum autem civiliter. *Lactantius*, IV, 14.

AD LICINIUM CALVUM [13], LIB. I.

Tuli moleste, quod literæ delitæ sunt mihi a te redditæ. *Priscianus*, IX, *p.* 873.

latinam emendasse filii orationem constat: si quidem ita scribit Quintilian. lib. I, cap. 3: «M. Tullius, ut ex epistolis apparet, in filio recte loquendi usque quaque asper quoque exactor fuit»: et Servius in Æneid. VIII: «Cicero, inquit, per epistolam culpat filium, dicens, male eum dixisse, direxi literas duas, quum literæ, quoties epistolam significent, numeri tantum pluralis sint». Sigon.

13. *Ad Licinium Calvum.* Calvo huic Quintilianus judicium tribuit lib. X, cap. 11, sub finem, et quidem tantum, ut libro deinceps XII, c. 1, scribat compositionem Ciceronis, etiam apud ipsum, eum reprehendisse: quod notat etiam Tacitus in lib. de Oratoribus, et Seneca in Declamationibus. De eo tamen ipso, quod vicissim Ciceronis judicium fuerit, ex Bruto ipsius cognosci intelligique potest. Quo quidem in loco ita legitur: «Calvus orator, quum fuisset literis eruditior, quam Curio, tum etiam accuratius quoddam dicendi et exquisitius afferebat genus: quod quamquam scienter eleganterque tractabat, nimium tamen inquirens in se, atque ipse sese observans, metuensque ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdebat». Itaque ejus oratio nimia religione attenuata, doctis et attente audientibus erat illustris, a multitudine autem et foro, cui nata eloquentia est, devorabatur. Agere is cœpit causas etiam ante ætatem quæstoriam, ut scribit Quintil. lib. XII, cap. 6, in initio. Nobilis ejus fuit actio in Vatinium, ut ex Taciti dialogo de Orator. videre est: de qua est etiam illud Catuli: «Risi nescio quem modo in corona, Qui, quum mirifice Vatiniana Mea crimina Calvus explicasset, Admirans ait haec, manusque tollens, Dii magni salicippium disertum». Ejus orationis fragmenta quædam vide apud Quintil. lib. VI, cap. 1: «Factum, inquit Calvus, ambitum scitis omnes, et hoc vos scire omnes sciunt». Item lib. IX, cap. 11: «Perfrica frontem, et dic te digniorem qui prætor fieres quam Catonem». Item apud Aquilam in Climace: «Non ergo pecuniarum magis repetundarum quam majestatis, neque majestatis magis quam Plautiæ legis, neque Plautiæ legis magis quam ambitus, neque ambi-

14.

Digitized by Google

Præsentit animus, atque augurat quodam modo, quæ futura sit suavitas. *Nonius*, VII, 7.

www.libtool.com.cn

AD Q. AXIUM [14] EPIST. LIB. I.

Ad M. Bibulum adierunt. *Fronto, p.* 365.

Si tu nos aliquid adjutare potes. . . . *Id. ibid.*

Cæsar in consulatu confirmavit regnum, de quo ædilis cogitarat. *Suetonius, Jul. Cæs. c.* 9.

AD CATONEM EPISTOLA.

Nec idcirco [15] mihi desiderandam esse dignitatem meam, quod eam multi impugnarint, sed eo magis recolendam, quod plures desiderarint. *Nonius*, V, 68.

AD CÆRELLIAM [16] EPISTOLA.

Hæc aut animo [17] Catonis ferenda sunt, aut Ciceronis stomacho. *Quintilianus*, VI, 3.

tus magis quam omnium legum omnia judicia perierunt». Certe lib. XII, cap. 10, sanctitatem huic oratori idem Quintilianus tribuit. PATR.

14. *Q. Axium.* Fuisse eum Ciceronis familiarem adnotat A. Gellius, VIII, 3. ED.

15. *Nec idcirco.* Neque ideo meæ studendum dignitati arbitror, quod plures inimici eam impugnent; sed curandam eam puto, quod plures amici id factum velint. ED.

16. *Cærelliam.* Hanc fuisse nimis familiarem Ciceroni, objicit Calenus apud Dionem, lib. XLVI. Meminit de hac ad Att. lib. XIII et XIV. Eam commendat Servilio Achaiæ procos. lib. XIII Epistolarum ad familiares. De his autem ad Cærelliam, ita scribit Auson. in fine Idylliorum: «Meminerint eruditi, probatissimo viro Plinio in poematis lasciviam, in moribus constitisse censuram, prurire opusculum Sulpicii, ac frontem capere: esse Apuleium in vita philosophum, in epigrammatis amatorem, in præceptis omnibus exstare severitatem, in epist. ad Cærelliam subesse petulantiam». Hactenus Ausonius. Puto autem quoque in hoc loco ipsius addendum esse alicubi verbum, *Ciceronis*, aut *Tullianis*, aut aliquid ejusmodi, sic «in præceptis omnibus Ciceronis»: vel «in præceptis omnibus Tullianis»; vel etiam simpliciter: «in præceptis Ciceronis»: vel, «in præceptis Tullianis», absque, *omnibus*. Supra autem quoque pro, *frontem capere*, lego, *frontem caperare*. Sic enim idem in epistola ad Symmachum Gryphi dedicatoria: «Neque me fallit, inquit, fore aliquem, qui hunc locum nostrum, acutis naribus, et fronte caperata, condemnet». PATR.

17. *Hæc aut animo.* Sumptum ex Quintil. lib. VI, c. 4: «Etiam illud,

Digitized by Google

AD L. PLANCUM.

www.libtool.com.cn

Nam neque deesse[18] reipublicæ volo, neque superesse. *Aulus Gellius*, I, 22.

EX EPISTOLIS INCERTIS.

Data Lupercalibus[19], quo die Antonius Cæsari. *Quintilianus*, IX, 3.

inquit, quod Cicero Cærelliæ scripsit, reddens rationem, cur illa C. Cæsaris tempora tam patienter toleraret. Hæc aut animo, etc. Stomachus enim inquit, habet illic aliquid loco simile. Animo Catonis, qui se interfecit, stomacho Ciceronis, qui tempori servivit ». PATR.

18. *Nam neque deesse.* Relatum ex Gellio, lib. I, cap. 22. Sunt autem eadem pæne verba Asinii Pollionis, lib. X Fam. ad finem, sicut citat ipse quoque Gellius. Notandum autem ibidem ex Gellio, librum fuisse epistolarum ad hunc L. Plancum. Quamquam ego quidem eum locum cum aliis locis conferens, haud magnopere firmam conjecturam capi inde posse existimo ad affirmandum, librum singularem exstitisse. Nam et Gellius idem iste libro XII, cap. 13, referens verba Ciceronis ex epistola ad Sulpicium, ex libro se ea ad Sulpicium referre scribit : quæ tamen, ut nunc sunt quidem digestæ epistolæ, non in libro, qui ab aliis distinctus sit, reperiuntur, sed in ipso libro IV earum, quæ ad familiares inscribuntur. Sed nimirum perturbata quadam et nimis confusa ratione omnes hæ ad familiares epistolæ coacervatæ in unum, et temere coagmentatæ fuerunt : quod res ipsa satis declarat, nec temporum rationi congruens, nec argumenti similitudine convenieus, nec locis, aut personis denique ipsis adhærescens : ut ego sane existimem, post eorum hominum industriam, qui rationem ipsam temporum intuentes, aliquem in his epistolis ordinem instituere sunt conati, appositissime esse quempiam facturum, et ad veterem grammaticorum rationem accommodatissime, qui eos libros epistolarum, personis ipsis, quoad ejus maxime fieri posset, distributos et distinctos, in vulgus proponeret, quod ipsum jam etiam a quibusdam tentatum esse video. PATR.

19. *Data Lupercalibus.* Quintilian. lib. IX, cap. 3, de eadem illa synecdoche loquens, de qua supra, in fragm. *Sermo nullus.* « Ne ego quidem, inquit, illud aposiopesim semper voco, in quo res quæcumque relinquitur intelligenda, ut ea quæ in epistolis Cic. « Data Lupercalibus, quo die Antonius Cæsari ». Nihil obticuit, inquit, lusitque, quia nihil aliud hic intelligi poterat, quam hoc, diadema imposuit ». PATR.

Digitized by Google

Næ illi[20] sunt pedes faceti, ac deliciis ingredienti molles[21]. *Id.* VI, 3.

www.libtool.com.cn

20. *Næ illi.* Bruti verba a Cicerone h. l. relata monet Quintilianus. Simile quidam habet Esaias, LII, 7 : « quam pulchri super montes pedes annpntiantis et prædicantis pacem », quod felicissime est imitatus D. Fenelo in sacra ad Epiphaniam concione. Ed.

21. *Ac deliciis ingredienti molles.* Fragmentis hisce addendum verbum hoc epistolæ ad Hostilium « requietem », quod recitat Charisius edit. Putsch. I, 52. Ed.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

III

M. T. CICERONIS
FRAGMENTA
EX LIBRIS PHILOSOPHICIS

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

M. T. CICERONIS

www.libtool.com.cn

FRAGMENTA

EX LIBRIS PHILOSOPHICIS.

FRAGM. EX M. T. C. DE REPUBLICA LIBRIS.

M. T. CICERONIS DE JURE CIVILI [1].

...ALIQUO excellente[2] ac nobile viro. *Charisius, p.* 111.

1. *De jure civili.* M. Cicero, jam tum toga pura accepta, juri civili dedit operam sub Q. Scævola P. F. Testatur Plutarchus, testatur ipse etiam initio libri de Amicitia, et lib. I de Legibus, in persona Attici: « A primo tempore ætatis, inquit, juri studere te memini, quum ipse etiam ad Scævolam ventitarem: neque mihi umquam visus es ita ad dicendum te dedisse, ut jus civile contemneres ». Certe in Bruto sic scribit: « Ego juris civilis studio, multum operæ dabam Q. Scævolæ P. F. qui quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo studiosos audiendi docebat ». Ibidem autem paullo superius tantum se juris civilis, quantum oratori sat esset, edidicisse asseverat. Unde dictum illud videri potest: « si mihi homini vehementer occupato stomachum moveritis, triduo me jurisconsultum profitebor ». Quod quum ita sit, mirum videri non debet, si lib. I de Orat. cogitasse se scribit jus omne civile in genera digerere, deinde eorum generum quasi membra quædam dispertiri, tum propriam cujusque vim definitione declarare. Hoc autem est jus civile in artem redigere. Immo mirum videri non debet, si id etiam, quod cogitarat, hoc libro quantum licuit præstiterit. Gell. enim, lib. I, cap. 22, fragmentum ex hoc libro decerpens, Ciceronem citat in libro, qui inscriptus est, ut ille ait, de jure civili in artem redigendo. Equidem cogitasse idem C. Cæsarem dictatorem scribit Suetonius, sed tam laudabile ejus propositum mors intempestiva prævertit. Primum quidem Q. Mucium P. F. P. N. illum ipsum Ciceronis nostri præceptorem in hoc genere, jus civile constituisse, generatim in libros XI IX illud redigendo, auctor est Pomponius in libro singulari Enchiridii, ubi exstat scriptum leg. 11, D. orig. juris: ut sane Cicero magistrum suum imitatus, quæ deesse ad artem plenam, et perfectam existimaret, ea hoc libro persequutus fuisse, aut certe persequi voluisse videatur. Cœpisse enim eum tantum, non etiam perfecisse, Quintilianus scribit. Qua ex re eamdem ut cogitationem Cæsar ipse postea susciperet, fortassis adducebatur, uti diximus. PATR.

2. *Aliquo excellente ac nobile viro.*

Digitized by Google

Nec vero scientia[3] juris majoribus suis Q. Ælius Tubero defuit, doctrina etiam superfuit. *Aul. Gell.* I, 22.

www.libtool.com.cn

Ante, *nobili*, sed *nobile* legendum esse, satis indicat Sosipater, ex quo fragmentum sumptum est. Pata.

3. *Nec vero scientia*. Relatum ex Gell. lib. I, cap. 22, ubi declarat vim verbi superesse. « M. inquit, Cicero in libro, qui inscriptus est de jure civili in artem redigendo, verba hæc posuit : Nec vero scientia, etc. in quo loco, inquit Gellius, superfuit, significare videtur supra fuit, et præstitit, superavitque majores vos doctrina sua superfluenti, tum et nimis abundanti ». Pata.

M. T. C. DE AUGURIIS[1].

Oscen. Oscinis. *Charisius, p.* 112.

1. *De Auguriis*. Minutum est quod refertur in fragmentis ejus libri, solum igitur ne silentio librum ipsum prætereamus, aliquid de Ciceronis auguratu dicamus. Cicero non nisi post exsilium augur erat factus, de quo sic scribit XV Fam. in epistola ad Catonem : « Si quisquam fuit umquam remotus et natura, et magis etiam ratione atque doctrina ab inani laude et sermonibus vulgi, ego profecto is sum, testis est, etc. Idem post injuriam acceptam, quam tu reipub. calamitatem semper appellas, meam non modo calamitatem, sed etiam gloriam, studui quam ornatissima S. P. Q. R. de me judicia intercedere. Itaque et augur postea fieri volui, quod ante neglexeram, et eum honorem, qui a senatu tribui rebus bellicis solet, neglectum a me olim, nunc mihi expetendum puto, etc. » De quo ipso suo auguratu ita etiam lib. VI Epistolarum ad familiares meminit : « Qua re quando et augures, et astrologi solent, ego quoque augur publicus ex meis superioribus prædictis, etc. » et in Philippic. II : « Quo tempore me augurem a toto collegio expetitum, Cn. Pompeius et Q. Hortensius nominaverunt, tu nec solvendo eras, etc. » et in præfatione Bruti, mortem deflens Hortensii : « Qua in cogitatione, inquit, et cooptatum me, ab eo in collegium recordabar, et inauguratum ab eodem » ; Philippica autem, XIII de Cn. Pompeii filio : « In primum auguratus locum ego eum (ut quod a patre accepi, filio reddam) mea nominatione cooptabo ». Eo igitur potissimum tempore scripsisse videtur de auguriis ; nam ante ne inspicere se quidem illorum libros profitetur, in orat. pro Domo : « Ea si tantum nosse in jure augurum, quæ una cum populo didicit, quum sæpe responsa essent in concionibus ». Postea autem augur factus quum esset, ita a Q. fratre in lib. I de Divin. compellatur : « Auspicia vero vestra quam constant? inquit : quæ quidem nunc a roman. auguribus ignoranter (bona hoc tua venia dixerim) a Cilicibus, Pamphiliis, Pisidis, Lyciis tenentur ». Et statim post, idem Quintus Appium bonum augurem collegam ipsius vocat, et lituum, id est, incurvum ac leniter a summo inflexum bacillum,

Digitized by Google

Avi incerta. *Id. p.* 98.

quod est, ut ibidem ait, clarissimum insigne auguratus, ipsius esse dicit. Unde et aliquando post, quum dixisset magos in Persis augurari, et divinare congregatos in fano, colloquendi inter se causa, addit: « quod vos etiam, inquit, nonis facere quondam solebatis ». Quo pertinet illud quoque ex lib. II de Div. ubi M. ipse commentaria augurum nominaturus esset: « Itaque, inquit, in nostris commentariis scriptum habemus, Jove tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas ». Et cetera, quæ non multo negotio alibi poterunt reperiri. Quod autem librum hunc istum de auguriis, quem præ manibus habemus, attinet, recte narrat Sigonius, commotum libris Appii Ciceronem idem sibi quoque argumentum tractandum desumpsisse. Eos enim profecto Appii libros vidisse se Atticus et dissensionem inter ipsum Appium et Marcellum optimos augures observasse de ipsorum disciplina testatur apud Ciceronem ipsum de Legibus II. Qui locus universus magnopere etiam huc pertinet, et nisi obvius esset, a me sane adscriberetur. Ex eorum autem, ut puto, librorum primo hæc adfert Festus Pompeius: «Sollistimum Appius Pulcher, inquit, in auguratus disciplina lib. I ait esse tripudium, quod avi excidit, ex eo quod illa fert». Patr.

ARGUMENTUM

IN HORTENSIUM.

Quos libros de Rep. et de Legibus Cicero scripsit, eos fere stante rep. quum et ipse inter principes civitatis numeraretur, composuit: inde vero civili tumultu otio perturbato, quum non solum Italia, sed universus etiam terrarum orbis funesto ac misero arderet bello, neque post bellum ipse, ut Pompeianarum partium fautor, tuto esse in urbe posset, diu a scribendo vacavit. Ubi vero Cæsaris victoris permissu victus in urbem rediit, quum a forensium defensionum laboribus aliquando esset liberatus, animum ad philosophiæ studia, quæ adolescens coluerat, neque postea umquam intermiserat, ita retulit, ut, quæ a græcis summis auctoribus memoriæ prodita fuerant, ea latinis literis, quod maxime desiderari videbatur, illustranda susceperit: quod ipse quum aliis in locis, tum maxime in prima Tusculana et in secundo de Officiis est testatus: in Tusculana quidem in hunc modum: « Philosophia jacuit usque ad hanc ætatem, nec ullum habuit lumen literarum latinarum: quæ illustranda et excitanda

Digitized by Google

nobis est, ut, si occupati profuimus aliquid civibus nostris, prosimus etiam, si possimus, otiosi ». In libro autem de Officiis ita : « Ego, quam diu resp. per eos regebatur, quibus se ipsa commiserat, omnes meas curas cogitationesque in eam conferebam : quum autem dominatu unius omnia tenerentur; neque esset usquam consilio atque auctoritati locus; socios denique tuendæ reip. summos viros amisissem; nec me angoribus dedi, quibus essem confectus, nisi his restitissem; nec rursum indignis homine docto voluptatibus. Atque utinam resp. stetisset, quo cœperat, statu, nec in homines non tam commutandarum rerum, quam evertendarum cupidos incidisset : primum enim, ut stante rep. facere solebamus, in agendo plus, quam in scribendo, operæ poneremus : quum autem resp. in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni solebat, nulla esset omnino, illæ scilicet literæ conticuerunt, forenses et senatoriæ : nihil autem agere quum animus non posset, in iis studiis ab initio versatus ætatis, existimavi honestissime molestias deponi posse, si me ad philosophiam retulissem : cui quum multum adolescens discendi causa temporis tribuissem, postea quam honoribus inservire cœpi, meque totum reip. tradidi, tantum erat philosophiæ loci, quantum superfuerat amicorum et reip. temporis : id autem omne consumebatur in legendo : scribendi otium non erat. Maximis igitur in malis hoc tamen boni assequuti videmur, ut ea literis mandaremus, quæ nec satis erant nota nostris, et erant cognitione dignissima ». Hoc igitur ille consilio adductus, antequam aliquid e philosophia ederet, librum scripsit, in quo, ut ait Marcianus, Philosophandumne esset, quæsivit : et quum philosophiam ipsam quam maximis et quam verissimis potuit laudibus illustravit, tum ad ejus studium romanam juventutem vehementissime inflammavit. Hunc autem librum Hortensium inscripsit : nimirum, quod in ea disputatione primas partes vituperandæ philosophiæ et laudandæ eloquentiæ Q. Hortensio, viro consulari, atque oratori summo, concesserit. Hoc autem ipse demonstrat lib. II de Divinatione, quum ait : « Cohortati sumus, ut maxime potuimus, ad philosophiæ studium in eo libro, qui est inscriptus Hortensius » : et in tertia Tusculana : « De universa philosophia, quantopere et expetenda et colenda esset, satis, ut arbitror, dictum est in Hortensio » : et in primo de Finibus : « Quamquam philosophiæ quidem vituperatoribus

Digitized by Google

satis responsum est eo libro, quo a nobis philosophia defensa et collaudata est, quum esset accusata et vituperata ab Hortensio : qui liber quum et tibi probatus videretur, et iis, quos ego posse judicare arbitrarer; plura suscepi, veritus ne movere hominum studia viderer, retinere non posse ». Lactantius etiam, lib. III, cap. 6, idem confirmat, quum ait : « Ciceronis Hortensius, contra philosophiam disserens, circumvenitur arguta conclusione : qui quum diceret, philosophandum non esse, nihilo minus philosophari videbatur : quoniam philosophi est, quid in vita faciendum, vel non faciendum sit, disputare ». Interfuisse porro huic sermoni Q. Catulum, L. Lucullum, et M. ipsum Ciceronem invenio, dum vestigia antiquitatis studiosius persequor. Catulum autem et Ciceronem cum Hortensio contendisse opinor. Lucullus utram partem defenderit, pro certo affirmare non ausim. De Catulo certum est ex eo, quod scriptum est apud Lactantium, lib. VI, cap. 2 : « Apud Ciceronem, inquit, Catulus in Hortensio philosophiam rebus omnibus præferens, malle se dicit vel unum parvum de Officio libellum, quam longam orationem pro seditioso homine Cornelio ». De Cicerone illud est indicio, quod est in Academicorum libro eo, qui Lucullus inscribitur : in quo Lucullus ad Ciceronem conversus ait : « Tu ne cum tantis laudibus philosophiam extuleris, Hortensiumque nostrum dissentientem commoveris » : et illud in fragmentis Hortensii : « Quid tu, inquam, soles, quum rationem ab dispensatore accipis ». Etenim, quum dixit « inquam », suam personam indicavit : item illa : « Omnesque ad id tempus, quod erat dictum, postridie venissemus ». De Lucullo vero illud etiam ex iisdem fragmentis ostendit : « Quare velim, mi Luculle, jubeas indicem tragicorum, ut sumam qui mihi desunt ». Item : « Lucullo quidem gratus et jucundus noster adventus fuisse ». Hunc autem librum pulcherrimum omnium et gravissimum fuisse, quum honestissimum rei ipsius argumentum, tum Veterum, qui illum legerunt, testimonia multa confirmant. D. quidem Augustinus in tantam ejus admirationem adductus est, ut ejus potissimum lectione se ad veræ philosophiæ, id est, Christianæ contemplationem incensum esse sæpe profiteatur. Nostra vero ætate Jacobus Sadoletus cardinalis, vir quum ipsa sacerdotii dignitate amplissimus, tum omnium literarum cognitione clarissimus, quum argumenti hujus præstantiam animo agitaret, dedit operam, ut,

Digitized by Google

quantum in se fuit, eo tractando Hortensii Ciceroniani desiderium æquiore animo perferremus : scripsit enim libros duos, unum, in quo philosophiæ studium accusavit; alterum, in quo defendit : quorum utrumque tanta cum ingenii ac judicii laude, tanta demum verborum ac sententiarum copia est assequutus, ut, acriusne ab eo reprehensa, an ornatius laudata philosophia sit, haud facile judicare possis. Cujus libri non idcirco feci mentionem, ut Sadoleti laudes egregias obscuro hoc in loco attingerem; quas ne justo quidem volumine complecti pro dignitate omnes possem; sed ut iis, qui Hortensii argumentum quale fuerit, illustrius cognoscere cupiunt, unde expressam ejus similitudinem peterent, demonstrarem : cujus et nos civis optimi vestigia præclarissima hoc tempore persequuti conemur, ut quam verissime ac quam planissime possumus, singulis fragmentis considerandis, germanam hujus libri sententiam ostendamus. SIGON.

www.libtool.com.cn

M. T. C. HORTENSIUS, SIVE DE PHILOSOPHIA.

. . .Et Paullum Marcelli[1] occupavisse. *Nonius*, IV, 328.

Quod quum[2] uterque nostrum annuisset, omnesque ad id tempus, quod erat dictum, postero die venissemus. *Id.* V, 65.

1. *Et Paullum Marcelli.* Ut ceteris libris, sic etiam huic verisimile est Ciceronem proœmium præfixisse: in quo si, quid ego sentiam, aperiendum est, Hortensium ab eo laudatum esse opinor : quo modo etiam Catulum et Lucullum in iis libris ornatos esse invenio, quos eorum nomine Catulum et Lucullum, ut hunc Hortensii Hortensium appellavit, quod in iis primæ disputationis partes Catulo et Lucullo essent tributæ. Quoniam autem inquit, Paullum Marcelli occupavisse, id est, ut exponit Nonius, invenisse : Paullum Marcelli consulis collegam interpretor. Quare quoniam Q. Hortensius, ut idem scribit in Bruto, L. Paullo et C. Marcello coss. obiit, Hortensium his consulibus paullo ante quam ex hac vita decederet, hæc disseruisse dicemus : quo modo Scipionem etiam, et Catonem alterum de rep. alterum de senectute paucis ante mortem diebusne, an mensibus disputantes induxit. SIGON.

2. *Quod quum uterque nostrum annuisset.* Hæc et sequentia ex dialogi præparatione videntur esse, in quibus, ut inter se illi convenerint, planum facit. SIGON.

Digitized by Google

...Lucullo quidem noster adventus et gratus, et jucundus fuisse[3]. *Fronto*, *p.* 380.

Hic primum Catulus delectatur ipso loco. *Id. p.* 374.

Nam quum[4] omnis solertia admiranda est, tum ea, quæ efficit, ut inanima quæ sunt, vivere et spirare videantur. *Nonius*, II, 452.

Præter ceteras[5] nostra extulit civitas. *Id.* IV, 167.

Hunc Crassum[6], qui lentus[7] (ut scitis) dicere solebat, ad imitationem quasi nostri generis contendisse. *Id.* IV, 281.

Ut ii, qui combibi purpuram volunt, sufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam; sic literis, talibusque doctrinis ante excoli animos, et ad sapientiam concipiendam imbui, et præparari decet. *Id.* IV, 405; XII, 13.

Ut enim segetes agricolæ subigunt aratris multo ante, quam serant[8]. *Id.* IV, 439.

Quid enim aut Herodoto[9] dulcius, aut Thucydide gravius, aut Philisto brevius, aut Theopompo acrius,

3. *Jucundus fuisse.* Subaudienda ibi vox est, *videtur* aut *visus est.* Ed.

4. *Nam quum omnis solertia.* Duas quidem fuisse Hortensianæ disputationis partes invenio, unam, in qua eloquentiæ studium, in quo ipse excelluit, extulit; alteram, in qua philosophiam accusavit. Itaque hoc ab eo ad eloquentiæ laudem dictum puto: cujus vim tantam esse ait, ut efficiat, ut, quæ inanima sint, vivere et spirare videantur: quibus verbis virtutes illas dicendi expressit, quas ἐνάργειαν, et ἐνέργειαν græci rhetores nominant: quarum altera fit, ut non intelligere, sed prope videre rem videamur: altera vero actio etiam quædam rerum inanimatarum exprimitur. Sigon.

5. *Præter ceteras.* Hoc de eloquentia dictum existimat Patricius. In quibusdam autem libris legitur «præter ceteros». Ed.

6. *Hunc Crassum.* Crassi exemplum, quem ait ad imitationem sui in dicendo contendisse, ad eumdem de eloquentia sermonem pertinet. M. autem Crassum, Cn. Pompeii Magni æmulum, intelligit: quem idem in Bruto Q. Hortensii æqualem vocat. Quod autem hic ait, eum lente dicere solitum, convenit cum verbis ejus, quæ sunt in Bruto de ipso Crasso: «Animi magna, vocis parva contentio: omnia fere ut similiter, atque uno modo dicerentur». Sig.

7. *Lentus.* Quidam *Lentius.* Ed.

8. *Ante, quam serant.* Sic Salogæ Nonius. Patr.

9. *Quid enim aut Herodoto.* Q. Hortensius quum de eloquentia diceret,

Digitized by Google

aut Theophrasto mitius inveniri potest? *Nonius*, IV, 218, 17, 293.

www.libtool.com.cn

non oratorum solum, sed etiam historicorum laudes, ut opinor, est persequutus : quas, ut video, variis græcorum historiæ scriptorum ingeniis illustravit, Herodoti, Thucydidis, Philisti, Theopompi, et Theophrasti : de quorum oratione præclarum sive Hortensii, sive Ciceronis judicium exciderat, nisi hæc sententia membris tribus, diversis in locis, apud Nonium, prout testimonii usus postulavit, divulsa in unum corpus fuisset redacta. Ut autem in hoc loco de græcis scriptoribus Cicero judicavit, sic in I de Legibus, de latinis quum scripsit : « Nam post annales pontificum maximorum, si aut ad Fabium, aut ad Catonem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium, aut ad Vennonium venias, quamquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile, quam isti omnes ? Fannii autem ætate conjunctus Antipater paullo inflavit vehementius, habuitque vires agrestes ille quidem, atque horridas, sine nitore, ac palæstra, sed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius scriberent : ecce autem successere huic bello Clodius, Asellio : nihil ad Cœlium, sed potius ad antiquorum languorem, atque inscitiam : nam quid Accium memorem ? cujus loquacitas habet aliquid argutiarum : in orationibus autem multus, et ineptus, elatio summam impudentiam. Sisenna omnes nostros scriptores facile superavit ». In his autem verbis, ut aliud agens, hoc doceam, duæ fœdissimæ maculæ, quibus totius hujus loci pulcherrima sententia deturpatur, insident, quas ab interpretibus hujus libri non solum non deletas, sed ne animadversas quidem esse demiror. Numerant enim Accium poetam inter Latinos, quos Cicero quærit, annalium, historiæve scriptores : nec vident Atticum et Quintum id agere, ut Ciceronem ad historiæ scriptionem accendant, et quod sit opus maxime oratorium, et quod literis latinis absit historia, idque enumeratione omnium fere, qui eousque latine scripserant, neque munus id expleverant, comprobare. Quod si eos etiam, qui versibus res Romanorum mandassent, intellexissent; cur non Ennium etiam, et Nævium, quorum uterque versibus scripsit annales, nominassent? Non est igitur, cur legamus Accium, sed Macrum, ut sit C. Licinius Macer, is, cujus sæpe meminit Livius : primum enim in manuscriptis, quos ego legi, libris est, Acrum : deinde temporum ratio, ut Macrum probat, sic Accium respuit : vixit enim Accius cum D. Bruto eo, qui de Callæcis triumphavit, ex quo Sisennæ amicus esse non potuit : etenim, ut est scriptum in Bruto, fuit æqualis Sisenna Hortensii. Ut autem hoc illi non viderunt, sic ne illa quidem verba mendosa esse perspicere potuerunt : « elatio summam impudentiam ». Ego quum in MSS libris inveniam : « In orationibus multus, et ineptus, dacio summa impudentia »; ex quibus verbis non intellectis illa eorum lectio fluxit; facile adducor ad suspicandum legendum esse : « In orationibus multus, et ineptus, in mendacio summa impudentia ». Nam si recte attenderimus, et impudentiam cum mendacio convenire, et Macrum mendacii nomine a Livio accusatum inveniemus : sic enim scribit lib. VII : « Macer Licinius comitiorum habendorum cau-

Digitized by Google

Unde autem[10] facilius, quam ex annalium monumentis, aut res bellica, aut omnis reipublicæ disciplina cognoscitur? unde ad agendum, aut dicendum copia depromi major gravissimorum exemplorum, quasi incorruptorum testimoniorum, potest? *Id.* IV, 109, 218.

Perge, quæso[11]; nec enim imperite exorsus es. *Id.* I, 138.

Magna etiam[12] animi contentio adhibenda est in explicando Aristotele, si legeris. *Id.* IV, 68.

sa, et ab Licinio consule dictatorem dictum scribit. Quæsita ea propriæ familiæ laus leviorem auctorem Licinium facit; quum mentionem ejus rei in vetustioribus annalibus nullam inveniam». Neque vero iisdem etiam in Fabio assentior, quem intelligi a Cicerone aiunt, quum scribit in Bruto: «Ser. Fabius Pictor et juris, et literarum, et antiquitatis bene peritus». Fabium enim nunc quærimus Catone majorem: at ille est Catone inferior, ut ex eodem loco perspicitur: qui tamen Ser. Pictor hic fuerit, ne Coradus quidem Bruti explanator exponit: quamobrem, et de hoc quod sentimus, aperiamus. Fuerunt igitur tres Pictores, qui literarum, et quidem antiquitatis cognitione floruerint, Q. Fabius Pictor, N. Fabius Pictor, et Ser. Fabius Pictor. Q. Fabius omnium antiquissimus bello gallico Cisalpino, ut ait Orosius, et post punico secundo, ut inquit Livius, interfuit: ex ejus annalibus Latinis Gellius, lib. V, c. 4, testimonium protulit. Idcirco autem, Latinis, addidi; ut eos redarguerem, qui hunc Q. Fabium græce scripsisse existimarunt: in quo alterius Fabii Pictoris, prænomine Numerii, similitudine, ut credo, decepti sunt: cujus meminit Cicero in primo de Divinatione: «Hisque adjungatur, inquit, etiam Æneæ somnium, quod in Numerii Fabii Pictoris græcis annalibus est»: quamquam vulgo legitur vitio librorum: «quod in numerum Fabii». Ser. autem Fabius Pictor, quem juris, et antiquitatis bene peritum vocat Cicero, is est, cujus meminit Macrobius, lib. III: «Primo, inquit, pontificii juris libro apud Pictorem hoc verbum positum est, vitulari»; et Nonius: «Fabius Pictor rerum gestarum librorum primo: Et simul videbant Picum Martium. Idem juris pontifex libro tertio: Pilumnum, et Picum». Quibus in verbis illud esse peccati puto, quod, pontifex, pro pontificii scriptum sit. Quare quum dixit Cicero, eum antiquitatis bene peritum esse, libros ejus rerum gestarum intellexit; quum juris, de jure pontificio. Atque hæc quidem extra rem: nunc ad rem redeamus. Sig.

10. *Unde autem facilius.* Nonius horum verborum meminit in explicandis vocibus *cognoscere*, et *grave*, duabus longe inter se distractis, separatisque sententiis: quæ et ipsæ ad laudes historiæ, unde pulcherrima emanat cognitio, et fructus percipitur multiplex, pertinent. Sig.

11. *Perge, quæso.* Hæc sunt vel Catuli, vel Ciceronis Hortensium ad interruptum sermonem repetendum hortantis. Sig.

12. *Magna etiam animi contentio*

Digitized by Google

...Se ad extremum pollicetur prolaturum : quæ se ipsa comest[13]. Quod efficit dialecticorum ratio. *Id.* II, 98.

www.libtool.com.cn

Quæro enim, non quibus intendam rebus animum, sed quibus relaxem et remittam. *Id.* IV, 398.

Quando philosophi[14] esse cœperunt? Thales, ut opinor, primus. Recens hæc quidem ætas. *Lactantius,* III, 15.

Id enim est sapientis[15], providere : ex quo sapientia est appellata, prudentia. *Augustinus, contra Academ.* III.

Epicurei plures[16] volunt esse cælos. *Servius, ad Æn.* I, 335.

Itaque tunc Democriti manus urgebatur. Est enim non magna. *Nonius,* IV, 484.

Hoc videtur Hortensii argumentum, homines a philosophiæ studio avocantis; quod nimiam animi contentionem philosophorum explicatio desideraret, quippe quos incredibilis quædam in dicendo obscuritas delectaret : se autem solere quærere, quum a negotiis publicis discessisset, non ea, quibus intenderet animum, sed quibus relaxaret. Sig.

13. *Se ipsa comest.* Alludit ad verbum illud quo Plautus utitur in Truculento, II, 7, 36 : « Ipsus se comest ». Subaudias necesse est ibi *artem eam;* vide de Or. II, 36. Ed.

14. *Quando philosophi.* Et hoc fuit argumentum Hortensii contra philosophos, ut ait Lactantius, lib. III, cap. 15 : « Præterea illud quoque, inquit, argumentum contra philosophiam valet plurimum, quo idem est usus Hortensius : ex eo posse intelligi philosophiam non esse sapientiam, quod principium, et origo ejus appareat. Quando, inquit, philosophi esse cœperunt? Thales, ut opinor, primus ». Recte : hic enim primus e septem numeratur a Laertio. Sig.

15. *Id enim est sapientis.* Hæc verba ex ea disputatione intercederunt, in qua Hortensius sapientiam quærebat, eamque se invenire negabat : siquidem lib. III contra Academicos ita scribit D. Augustinus : « Clamat Cicero, se ipsum magnum esse opinatorem, sed de sapiente se quærere : quod si adhuc vos adolescentes ignotum habetis, certe in Hortensio legistis ». Sigon.

16. *Epicurei plures.* Hoc eo pertinet, ut varietate et novitate opinionum, quas philosophi de rebus habuerunt, inanem ac ridiculam esse philosophiam doceat. Ut autem Epicurus infinitos mundos, atque intermundia innumerabilia esse censuerit, exstat apud Ciceronem in libris de Natura Deorum, et apud Laertium in Epicuro : Democriti autem opinio eadem est, atque Epicuri. Hæc verba

Digitized by Google

Annum magnum[17] esse voluerunt omnibus planetis in eumdem recurrentibus locum, quod fit post XII millia nongentos quinquaginta quatuor annos. *Servius, ad Æn.* III, 284.

Beati certe[18] omnes esse volumus. *Augustin. de Trinit.* XII, 4.

citat Servius in Comm. primi Æneidos. SIGON.

17. *Annum magnum.* De hoc fragmento scribit etiam Servius ipse in Æneid. I, non solum in III, sed in primo; pro *nongentis*, habet *quingentos*. Utrimque autem non liquet an principium fragmenti sit vere Ciceronis. Equidem de ejus anni revolutione, quam longa ea sit, nihil certi tradi videtur ab auctoribus, etiam iis, qui se Ciceronem solum in ea re sequi profitentur. Nam Servius primum, ut vidimus, hunc locum Hortensii recitans, alias, ut habent quædam exemplaria, annos numerat solares $\overline{XII}$ DCCCCLIV, alias, ut alia, $\overline{XII}$ DLIV. Deinde Tacit. subinit. dialogi de Oratoribus, ad eumdem Ciceronis locum respiciens, sic habet: « Nam si, inquit, sicut Cicero, in Hortensio scribit, is est magnus et verus annus, quo eadem positio cæli siderumque, quæ nunc maxime est, rursum exsistet, isque annus horum, quos vocamus, annorum $\overline{XII}$ DCCCLIIII complectitur, incipit Demosthenes vester, quem vos veterem et antiquum fingitis, non solum anno, quo nos, sed fere eodem mense exstitisse ». In quo ipso tamen Taciti loco sunt libri qui legunt $\overline{XII}$ DCCCCLIIII. Nec mirum est auctores in Ciceronis referenda sententia non congruere, quum ipse quoque Cicero in ea vacillare videatur. Nam in libro quidem de Finibus II simpliciter pronuntiat multa intercedere necesse esse annorum millia, antequam omnium siderum, eodem unde profecta sint, fiat ad unum tempus reversio. In libro autem de Natura Deorum II, quanta sit et quam longa ejus anni, quem mathematici magnum nominaverunt, conversio, magnam quæstionem esse ait. In sexto vero libro de Republ. vix dicere se audere scribit, quam multa in hoc magno et vere vertente anno sæcula hominum teneantur. Innuit saltem paullo post quid opinetur, quum addit, a consecratione Romuli, quæ incidit in annum U. C. 37, ad Sempronii et Aquilii consulatum, qui fuit annus Urbis 604, nondum vigesimam partem esse conversam. In Timæo et Phænomenis eam conversionem nullo certo tempore circumscribit, dicit tantum absolutum hunc perfectumque annum tunc compleri denique quum se octo ambitus, confectis suis cursibus, ad idem caput retulerunt, quumque eos permensus est idem, et semper sui similis, orbis. Non aliter propemodum quam Festus quoque, lib. XI: « Magnum, inquit, annum dicunt mathematici, quo septem sidera errantia, expletis propriis cursibus sibimet concordant ». Hæc habuimus, quæ hoc tempore de revolutione ipsius anni diceremus. Fragmentum ipsum nostrum quibusdam in libris citatur sic: « Et horum annorum quod in fastis habemus, magnus XII M. quingentos quinquaginta quatuor complectitur ». PATR.

18. *Beati certe omnes esse volumus.* Tractum ex Augustino, de Trinitate, lib. XIII, cap. 4. Sic enim ille dispu-

Digitized by Google

.....Quantum inter se homines studiis[19], moribus, et omni vitæ ratione differant. *Nonius*, IV, 131.

Huic contrarius Aristo Chius[20], præfractus, ferreus, nihil bonum, nisi quod rectum et honestum est. *Id.* II, 664.

Ecce autem[21] non philosophi illi quidem, sed prompti tamen ad disputandum homines, omnes aiunt esse beatos, qui vivant, ut ipsi velint. Falsum id quidem. Velle enim, quod non deceat, id ipsum miserrimum est; nec tam miserum est, non adipisci, quod velis, quam adipisci velle, quod non oporteat. *Augustin. de Trinit.* XIII, 5.

tens de eo, an omnes norint, et velint beate vivere: Itane falsum erit, inquit, id quod nec ipsis academicis quum omnia dubia sunt, academicus ille Cicero dubitavit: qui quum vellet in Hortensio dialogo ab aliqua re certa, de qua nullus ambigeret, sumere suæ disputationis exordium, «Beati certe, inquit, omnes esse volumus». Absit ut hoc falsum esse dicamus. Puto autem quum supra reprehendisset philosophiam, qua est de natura, nunc incipere convellere etiam eam, quæ de moribus est. PATR.

19. *Studiis*, *moribus*. Quidam habent *studentes moribus*. Patricius legendum putat *dissidentes moribus*. ED.

20. *Aristo Chius*. Epicureis, ut puto, contrarium vocat Aristonem. Illi enim solam voluptatem in bonis posuerunt, hic in sola virtute: de quo sic scripsit Cicero in lib. V de Finib. «Hoc unum Aristo tenuit: præter vitia, atque virtutes negavit esse rem ullam aut fugiendam, aut expetendam»: et in primo de Legibus: «Aristo Chius dixit, solum bonum esse, quod honestum esset, malumque, quod turpe, ceteras res omnes plane pares, ac ne minimum quidem, utrum adessent, an abessent, interesse». Unde Laertius etiam prodidit, Aristonem, cujus ille vitam literis mandavit, censuisse, finem hominum esse, τὸ ἀδιαφόρως ἔχοντα ζῆν πρὸς τὰ μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας. SIGON.

21. *Ecce autem*. Recte hujus fragmenti auctor citatur Augustinus in libro de Vita beata, sed tamen, et ibi, et de Trinitate, lib. XIII, cap. 5, plenius multo fragmentum ipsum invenitur. Utrobique enim exstat illud, quod nos quoque addidimus: «falsum id quidem» usque ad extremum. Usi autem sumus quoque utriusque loci comparatione, ad emendandum illud, «prompti tamen ad disputandum omnes aiunt, etc.» Quum enim in libro de Vita beata ad eum modum legeretur, in libro autem de Trinitate hoc pacto, «prompti tamen ad disputandum homines aiunt, etc.» utrumque retinuimus, et sic reposuimus, «prompti tamen ad disputandum homines, omnes aiunt, etc.» De quo profecto, etiam antequam loca contulissemus, per nos ipsi facile conjecturam faciebamus. PATR.

Digitized by Google

Si Deus unus[22] est, quis beatus esse in solitudine queat? *Lactantius*, I, 7.

Præcipiunt hoc isti[23], et facit nemo. *Nonius*, IV, 369.

Quæ est igitur philosophia[24], Socrates? Nec dubito, quin, quæcumque sit, lautum victum et elegantem, magnifice, neque minus quam deceret, colere instituisset. *Id.* IV, 280.

Vidi in dolore podagræ[25] vel omnium maximum

22. *Si Deus unus.* Beatitudinem, quam philosophi in deo statuebant, ab eo removet, si solus sit. Lactant. lib. I, cap. 7 : « Sed fortasse quærat aliquis a nobis illud idem, quod apud Ciceronem quærit Hortensius; si deus unus est, quæ esse beata solitudo queat ». Sigon.

23. *Præcipiunt hoc isti.* Adnotanda est hoc loco Cornelii Nepotis sententia, quæ et fragmentum hoc non mediocriter illustrat, et gustum etiam nobis præbet aliquem ejus istius Cornelii, ad quem a Cicerone scriptarum epistolarum fragmenta fuerunt etiam superius explicata. Sic igitur is scribit ad Ciceronem, quod quidem conservatum exstat in Lactantio, libro ipsius III, cap. 15, divinarum institutionum. « Tantum abest, inquit, ut ego magistram esse putem vitæ philosophiam, beatæque vitæ perfectricem, ut nullis magis existimem opus esse magistris vivendi, quam plerisque, qui in ea disputando versantur. Video enim magnam partem eorum, qui in schola de pudore et continentia præcipiant argutissime, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere ». Hæc Nepos. Ad eamdem sententiam quod faciat, vide apud Senecam, lib. III, Epistol. initio. Pata.

24. *Quæ est igitur philosophia, Socrates? Nec dubito*, etc. Philosophos, qui elegantius, quam philosophiæ pudor postularet, viverent, reprehendit. Sigon.

25. *Vidi in dolore podagræ.* Vidisse se eumdem Possidonium, sed aliter, Pompeio præsente, in podagræ doloribus affectum, scribit idem Cicero, Tusc. Quæst. lib. II : « At noster Possidonius, inquit, quem et sæpe vidi, et id dicam, quod solebat narrare Pompeius : se, quum Rhodum venisset decedens ex Syria, audire voluisse Possidonium : sed quum audivisset eum graviter esse ægrum, quod vehementer ejus artus laborarent, voluisse tamen nobilissimum philosophum visere : quem ut vidisset, et salutavisset, honorificisque verbis prosequutus esset, molesteque dixisset ferre, quod eum non posset audire : at ille : Tu vero, inquit, potes : nec committam, ut dolor corporis efficiat, ut frustra tantus vir ad me venerit. Itaque narrabat eum graviter et copiose de hoc ipso, nihil esse bonum, nisi quod honestum esset, cubantem disputasse, quumque quasi faces ei doloris admoverentur, sæpe dixisse : Nihil agis dolor, quamvis sis molestus : numquam te confitebor esse malum ». Hæc ibi. Quod autem in hoc Hortensiano loco Possidonio adscribit, ea Tusc. lib. II, paullo ante Dionysio Heracleoti tribuit. Vide locum. Quamvis extremo quinto de Finibus libro, non rerum id, sed oculorum dolori in eo tribuit. Pata.

Digitized by Google

stoicorum Posidonium, nihilo ipsum, quam Nicomachum Tyrium, hospitem meum, fortiorem. *Id.* XII, 34.

. . . Eloquentiam tueri[26], quam tu in cælum, Hortensi, credo, ut ipse cum ea simul adscenderes, sustulisses. *Nonius*, IV, 404.

Tu me et alias[27] nonnumquam, et paullo ante adhortatus es, ut aliorum facta et eventa conquirerem[28]. *Id.* III, 85.

. . . . Qui quum hodie bellum[29] cum mortuo gerant. . . . *Fronto*, *p.* 368.

Quare velim[30] dari mihi, Luculle, jubeas indicem tragicorum, ut sumam, si qui forte mihi desunt. *Nonius*, IV, 428.

Facessant igitur[31] omnes, qui docere nihil possunt, quo melius sapientiusque vivamus. *Id.* IV, 196.

26. *Eloquentiam tueri.* Hæc sunt vel Catuli respondentis, vel Ciceronis: ex quibus apparet, superiore sermone eloquentiam ab Hortensio nimis anxie esse laudatam, quod artem suam commendaret. SIGON.

27. *Tu me et alias nonnumquam.* Respondet ei parti, in qua Hortensius se ad historiæ studium, quod eo sapientia et eloquentia extolleretur, hortatus est. SIGON.

28. *Conquirerem.* Al. male, *conquiram.* J. V. L.

29. *Qui quum hodie bellum.* Hæc verba contra historiæ studium videntur prolata: quod sit periculosum historiam scribere, quum etiam posteri cum historicis mortuis, si quid in majoribus suis vituperarint, bellum gerant: quam sententiam ne ipse somniasse videar, unde acceperim, ostendam. Docet hoc Trebellius Pollio in Salonino, quum ait: «Huc accedit, quod quædam etiam studiose prætermisi, ne ejus posteri multis rebus editis læderentur. Scis enim ipse, quales homines cum iis, qui aliqua de majoribus eorum scripserint, quantum gerant bellum: nec ignota esse arbitror, quæ dixit M. Tullius in Hortensio, quem ad exemplum Protreptici scripsit». SIGON.

30. *Quare velim dari mihi.* Hoc fragmentum ita descripsi ex meo Nonio dict. *Sumo*, quum ante legeretur, «Quare velim mihi, Luculle, jubeas indicem tragicorum, ut sumam qui mihi desunt». Pertinet hoc aut ad ea, quæ fortassis Lucullus dixerat pro poetarum studiis: quæ quod eloquentiæ finitima sint, hoc loco duxi esse fragmentum reponendum. PATR.

31. *Facessant igitur omnes.* Hoc contra eloquentiam dictum existimo, quæ, si absit philosophia, inanis est tota: nec potest aut virtutem docere ipsa, aut sapientiam: nam de philosophis accipere non libet, qui, ut Hortensius ipse fatetur, docent quidem et præcipiunt, sed faciunt nihil. PATR.

Digitized by Google

Prudentiæ partes[32] sunt, memoria, intelligentia, providentia. *Augustin. de Trinit.* IV, 2.

Si nobis[33], quum ex hac vita migraverimus, in beatorum insulis immortale ævum, ut fabulæ ferunt, degere liceret, quid opus esset eloquentia? quum judicia nulla fierent : aut ipsis etiam virtutibus? nec enim fortitudinis indigeremus, nullo proposito aut labore, aut periculo; nec justitia, quum esset nihil, quod appeteretur alieni; nec temperantia, quæ regeret eas, quæ nullæ essent, libidines; ne prudentia quidem egeremus, nullo delectu proposito bonorum et malorum. Una igitur essemus beati cognitione naturæ, et scientia, qua sola etiam deorum est vita laudanda. Ex quo intelligi potest, cetera necessitatis esse; unum hoc, voluptatis. *Id. ibid.*

Deinde boni mores, et modestiores, et ad capienda præcepta molliores.... *Nonius*, IV, 57.

....Altera est nexa[34] cum superiore, et inde, apteque pendens. *Id.* IV, 3.

....Cæli signorum admirabilem ordinem, insatiabilemque pulchritudinem magis spectant. *Id.* IV, 441.

....Ut easdem tenebras[35] efficiat, quas effecit in

32. *Prudentiæ partes.* Hinc, ut opinor, initium est sermonis pro philosophia habiti, contra vituperationem Hortensii. Certe hoc fragmentum ex August. sumptum est, qui lib. XIII de Trinitate, cap. 11, sic inquit : « Quidam quum de virtutibus agerent, in quibus est etiam Tullius, in tria ista prudentiam diviserunt, memoriam, providentiam, intelligentiam». Etsi autem in Tullio locum non nominet, tamen res non videtur inde abhorrere. Nam de virtutibus hic omnibus egisse Ciceronem, ex sequenti fragmento ostendit idem Augustinus; ut hoc nostrum vel præponi certe illi fragmento, vel statim post illud poni debeat, nisi forte hoc fragmentum ad librum de virtutibus pertineat, quo de libro infra loquemur. PATR.

33. *Si nobis, quum... vita.* Quum contra naturæ contemplationem Hortensius ageret, ejusmodi rhetorica hypothesi reliqua omnia studia necessitatis esse, hoc unum voluntatis conclusit. Hæc autem verba a Divo Augustino recitantur lib. IV de Trinit. ED.

34. *Altera est nexa.* De philosophia dictum esse existimo, cujus de natura et de virtutibus partes, quæ sunt, eæ invicem sunt connexæ. PATR.

35. *Ut easdem tenebras.* Defectiones

Digitized by Google

interitu Romuli; qui in obscuratione solis factus est. *Augustin. de Civ. Dei*, IV, 15.

Tune pseudomenon[36], et soritem, et totam dialecticam aut illudis, aut increpas? *Nonius*, IV, 258.

Quis te aut est[37], aut fuit umquam in partiundis rebus, in definiendis, in explanandis pressior? *Id.* IV, 352.

Malo vel unum parvum[38] de officio libellum, quam longam orationem pro seditioso homine Cornelio. *Lactantius*, VI, 2.

Nam quod vereris[39], ne non conveniat nostris ætatibus ista oratio, quæ spectat ad hortandum.... *Nonius*, IV, 75.

Aut tibi id ipsum[40] pervertendum fuit, quod tu

solis prædicere, levissimum esse censet Hortensius, quippe quæ statæ sint et definitæ. Hic de solis defectione agitur, quæ in Romuli morte facta est.

36. *Tune pseudomenon.* In Hortensium, qui totam dialecticam increpuit, et ejus instrumenta irrisit, quæ sunt apud Stoicos soritæ, et pseudomeni. Cicero in Acad. « Posthac de obscuritate naturæ potius disseremus, quam de sorite et pseudomeno : quas plagas ipsi contra se Stoici texuerunt ». Eodem autem pertinent ea, quæ scribit D. Augustinus in libro de principiis dialecticæ. « Itaque rectissime, inquit, a dialecticis dictum est, ambignum esse omne verbum : nec moveat, quod apud Ciceronem calumniator Hortensius ejusmodi ambigua se audere explicare dilucide dixit, ex quibus apparet artificium omne dialecticorum in demonstrandis ambiguis ab Hortensio esse delusum ». Sigon.

37. *Quis te aut est.* Ad Hortensium dicuntur; cujus summa in dividendo laus fuit : de qua sic in Bruto : « Attulerat minime vulgare dicendi genus, duas quidem res, quas nemo alius, partitiones, de quibus rebus dicturus esset, et collectiones ». Item : « Videbat acute, nec prætermittebat fere quidquam, quod esset in causa, aut ad confirmandum, aut ad refellendum » : et in Divinatione, ubi loquitur de Hortensio : « Quid, quum accusationis suæ membra dividere cœperit, et in digitis suis singulas partes constituere? quid, quum unumquodque transigere, expedire, absolvere? » Sigon.

38. *Malo vel unum parvum.* Restitui ex Lactantio, lib. VI, cap. 11, quum alibi legeretur, *malo vel parvum*. Patr.

39. *Nam quod vereris.* Catuli sunt vel Ciceronis hortantis ad philosophiæ studium, atque id ætatibus suis convenire ostendentis. Sigon.

40. *Aut tibi id ipsum.* Catuli sunt, vel Ciceronis Hortensium refellentis; victum certe ait Hortensium Lactantius arguta hac conclusione, quod quum diceret, philosophandum non esse, nihilo minus philosophari videretur. Est etiam apud Severinum libro

Digitized by Google

ne attigisti quidem; aut ejus partes, quasi membra quædam, cædendæ. *Id.* IV, 97.

Quid? tu, inquam, soles[41], quum rationem a dispensatore accipis, si æra singula probasti, summam, quæ ex his confecta sit, non probare? *Id.* III, 18.

Itaque tibi concedo[42], quod in duodecim scriptis solemus, ut calculum reducas, si te alicujus dati pœnitet. *Id.* II, 781.

Quare egredere, quæso; et gratificare reipublicæ. *Nonius*, II, 384.

....Nihil tamen esse, in quo se animus excellens tollat. *Id.* I, 4.

Captum me fortasse, inquit, tu putas, et id, quod nollem, confiteri coactum. *Id.* IV, 57.

An quum videat me[43], et meos comites, fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam, constantiam,

secundo de differentiis Topicis Tullianum pro philosophiæ studio argumentum tale: «Sunt etiam, inquit ille, definitiones, quæ non a rei substantia, sed a nominis significatione ducantur, atque ita rei; de qua quæritur, applicantur; ut si quæratur, utrum philosophiæ studendum sit, erit argumentatio talis: philosophia amor sapientiæ est, huic studendum nemo dubitat: studendum est igitur philosophiæ: hic enim non definitio rei, sed nominis interpretatio argumentum dedit: quo et Tullius in Hortensio in ejusdem philosophiæ usus est defensione». Sigon.

41. *Quid? tu, inquam, soles.* Acuta similitudine ostendit, si partes argumentationis approbavit, totam etiam approbare debere. Sigon.

42. *Itaque tibi concedo.* In Hortensium et hoc videtur: concedit autem Catulus, ut revocet, si quid se dixisse pœnitet, quod similitudine e ludo XII scriptorum sumpta lepide effert. Huic autem loco similis est ille Quintiliani lib. XI: «An vero Scævola in lusu XII scriptorum, quum prior calculum promovisset, essetque victus, dum ius tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato errasset recordatus, rediit ad eum, quicum luserat, isque ita esse confessus est»: sic in primo de Oratore: «XII scriptis ludere». Sigon.

43. *An quum videat.* Loquentem justitiam videtur inducere, quæ dicat, si ipsa cum ceteris virtutibus totam tormentorum ascendat, ne beatam quidem ipsam vitam se debere subducere. Quod ex quinta Tusculana colligitur, ubi ait: «Quid igitur? solane beata vita, quæso, relinquitur extra ostium, limenque carceris, quum constantia, gravitas, fortitudo, sapientia, reliquæque virtutes rapiantur ad tortorem, nullumque recusent nec supplicium, nec dolorem?» Item: «Dabit, dabit, inquam, se in tormenta vita

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

gravitatem, fidem, ipsa se subducat? *Id.* IV, 436.

Ut ait Ennius[44] :

Refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu.

Priscianus, VI, *p.* 708.

Itaque nec in philosophia cuiquam cessit, et vitæ gravitate præstitit. *Nonius*, IV, 367.

Magnitudo animi, patientia laborum, mortis denique[45] contemptio. *Id.* III, 70.

. . . Ut ea[46] sibi ratio vera restituat, quæ consuetudo vitiosa detraxerit. *Id.* IV, 140.

Consolabitur eum magnitudo animi, et humanarum opinionum alta quædam despectio. *Id.* IV, 141.

Habet enim[47] ipsa certam et definitam viam; sed ex ea multis vitiis et erroribus depravata deducitur. *Id.* IV, 143.

beata, nec justitiam, temperantiam, in primisque fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam prosequuta, quum tortoris os viderit, consistet, virtutibusque omnibus sine ullo animi terrore ad cruciatum profectis, resistet extra fores, ut ante dixi, limenque carceris ». Sigon.

44. *Ut ait Ennius.* Hoc versu eodem usus est de Fin. lib. V : « Quid est, inquit, quod magis perspicuum sit, non modo clarum sibi quemque, verum etiam vehementer clarum esse? Quis est enim, aut quotus quisque, cui mors quum appropinquet, non Refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu? » Fragmentum ad Hortensium etiam pertinere, ex Prisciano, lib. VI, constare potest. Patr.

45. *Mortis denique.* Apud me in Nonio, et alibi, dict. *contemptus*, legitur : « mortis dolorumque ». Quid? si « mortis dolorisque », ut supra lib. V de Repub. quæ virtus fortitudo vocatur, in qua est magnitudo animi, mortis, dolorisque, magna contemptio.

46. *Ut ea sibi.* Malo, quam, *ut ea ibi*, contra fidem omnium librorum, quos vidi. Patr.

47. *Habet enim ipsam certam definitam.* Alibi sic legebatur : « habet enim ipsam incertam definitam viam ». Alibi etiam, « ipsa incertam et indefinitam ». Prærembii et Salogæ liber in Nonio, dict. *Deductum*, sic legunt : « habet enim ipsa incertam definitam, etc. » Etsi autem video esse qui ita studet castigare, « ipsa incertam et infinitam », tamen me quidem si quis est qui respicit, ita lego, non discedens a vestigiis Prærembiani et Salogani libri « ipsam certam definitam », vel etiam, « ipsam certam et finitam ». Deduci enim ex incerta via, ut statim loquitur Cicero, non video qui sit error, aut quod vitium : igitur quod scriptum erat, *ipsa incertam*, ex prima syllaba sequentis dictionis *in*, facio literam extremam prioris *m*; verba sunt autem fortassis de mente, et ratione, de qua superiori proximum fragmentum loquebatur, quæ, cupiditatibus, et perturbationibus animi, sæpe de statu suo dimovetur. Patr.

Digitized by Google

Deinde imitator, ut sibi quidem videtur, naturæ, mos vindicat.... *Id.* IV, 487.

Imbecillus autem[48] est pudoris magister timor; qui si quando paullulum aberraverit, statim spe impunitatis exsultat. *Id.* IV, 178.

Sufficit ad gloriam[49] benefacti conscientia. *Servius, ad Æn.* IX.

Tum intelligas[50], quam illud non sit necessarium, quod redundat. *Nonius,* IV, 400.

Ad juvenilem libidinem[51] copia voluptatum gliscit illa, ut ignis oleo. *Id.* I, 83.

Hi nostri amici[52] verecundantur, capti splendore virtutis. *Id.* VII, 101.

48. *Imbecillus autem est pudoris magister timor.* Sic de Off. II : « Malus diuturnitatis custos metus ». SIGON.

49. *Sufficit ad gloriam.* Ex Servio in Æneid. IX. Is scribit Virgilianum illud, dii moresque dabunt vestri, Ciceronis esse tractum de philosophia, ubi dicit sufficere ad gloriam benefacti conscientiam. Si modo non est tractum de Philippica II, in fine, ubi quidem dicit, in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus satis esse. Quod si est, equidem Servii librarius ex *Philippica* fecit *philosophia.* PATR.

50. *Tum intelligas.* Ex Nonio dict. *Redundo.* Reposui autem in hunc locum, quod sermo esse videatur de immoderatis cupiditatibus, quæ ultra id, quod vitæ hominum necessarium est, evagantur. PATR.

51. *Ad juvenilem libidinem copia voluptatum.* Sic putavi ex conjectura esse distinguendum, ut *libidinem* sit finis unius periodi, et *copia* principium alterius. Locus autem a Nonio sic confuse citatur, et truncatim, vel vitio librariorum, vel quod nobis solum indicio sit, quid sit id, quod gliscere dicitur. Meæ lectionis sensus est : quum finisset periodum, ad juvenilem libidinem, incipit deinde sequentem, et dicit, « Illa, inquit, libido juvenilis gliscit, hoc autem est crescit, copia voluptatum, ut ignis oleo ». Nam *igni oleo*, quod est in quibusdam exemplaribus, non recipio. In verbo autem *gliscendi*, quod, recitans hoc fragmentum, explicat Nonius, mendum quoque in libris Pompeii Festi inesse videtur. Ita enim passim legitur lib. XVI : « Regiescit, inquit, quum dixit Plautus, etc. » Quum legendum sit, « Regliscit, quum dixit Plautus ». Id ita esse apparet ex eo quod sequitur : « Unde etiam glires, inquit, dicti ». Quomodo enim glires a regiesco dici possunt ? et nonne a glisco potius ? Certe Servius in Æneid. XII, statim initio, glires a glisco deducit. PATR.

52. *Hi nostri amici.* De Epicureis, aut quibusvis tandem philosophis, qui non virtutem pro dignitate æstimarent : vocat autem suos amicos, forte per ironiam, ut illud lib. I ad Attic. « Ipse noster amicus », et lib. II ad Attic. « Itaque ille noster amicus, etc. »

Digitized by Google

Oratæ, homini ditissimo[53], amœnissimo, delicatissimo, neque ad voluptatem quidquam defuit, neque ad gratiam, neque ad bonam integramque valitudinem. Nam et prædiis quæstuosissimis, amicis jucundissimis, quantum libuit, et abundavit, et illis omnibus aptissime ad salutem corporis usus est; ejusque (ut breviter totum explicem) omne institutum, voluntatemque omnem successio prospera consequuta est. *Augustinus, de Vita beata.*

Primus balneola suspendit, inclusit pisces. *Nonius*, III, 24.

Et amœnitate summa perfructus est. *Priscianus*, X, *p.* 883.

....Solertiamque eam[54], quæ posset vel in tegulis proseminare ostreas. *Nonius*, III, 152.

et pro Fonteio : « Amicus meus M. Pletorius ». Patr.

53. *Oratæ, homini ditissimo.* De hoc loco sic D. Augustinus, in lib. de Vita beata : « Sed fingamus aliquem talem, qualem Tullius fuisse dicit Oratam. Quis enim facile dicat, Oratam egestate laborasse, hominem ditissimum, amœnissimum, delicatissimum, cui neque ad voluptatem quidquam defuit, neque ad gratiam, neque ad bonam integramque valitudinem? nam et prædiis, etc. » Quamquam autem D. Augustinus libri nomen, unde hoc sumpserit, reticet, tamen ex Hortensio suspicatus sum eum hausisse. Illa enim sine dubio sunt ex Hortensio, teste Nonio : « Primus balneola suspendit, inclusit pisces »; et quidem de Sergio Orata dicta. Hic enim, ut inquit Macrobius, lib. III, « primus balneas pensiles habuit, primus ostrearia in Baiano locavit, primus optimum saporem ostreis Lucrinis adjudicavit » : fuit autem ætate P. Crassi illius diserti.

54. *Solertiamque eam, quæ posset vel in tegulis.* Ex Nonio, dict. *ostrea.* Haud scio autem an sic legi debeat : « solertiamque eam, posset ut in tegulis » : videntur de eodem Orata dici, de quo superiora. Nam et Macrobius, lib. III, de eo loquens, ostrearum etiam facit mentionem : et Varro, de Re Rust. lib. III, piscibus eum delectatum fuisse scribit. Et aperte id Valerius Maximus significat : quem locum quoniam ad superiora etiam pertinet, libenter totum hic adscribam. Is habet lib. IX, cap. 1, ad hunc modum: « C. Sergius Orata pensilia balnea primus facere instituit : quæ impensa levibus initiis cœpta ad suspensa calidæ aquæ tantum non æquora penetravit. Idem videlicet ne gulam Neptuni arbitrio subjectam haberet, peculiaria sibi maria excogitavit, æstuariis intercipiendo fluctus, piscium que diversos greges separatis molibus includendo, ut nulla tam sæva tempestas incideret, qua non oneratæ mensæ va-

Digitized by Google

Vixit ad summam senectutem valitudine optima. *Id.* IV, 440.

Voluptates autem nulla ad res necessarias invitamenta afferunt senibus. *Id.* IV, 232.

An vero voluptates[55] corporis expetendæ, quæ vere et graviter a Platone dictæ sunt illecebræ atque

rietate pisciculorum abundarent. Ædificiis etiam spatiosis et excelsis deserta ad tempus ora Lucrini lacus pressit, quo recentiore usu conchyliorum frueretur, ubi dum se publicæ aquæ cupidius immergit, Considii publicani judicium nactus est, in quo L. Crassus adversus illum causam agens, errare amicum suum Considium dixit, quod putaret Oratam remotum a lacu carturum ostreis, namque ea si petere inde non licuisset, in tegulis reperturum ». De eodem Orata vide quæ scribat Plinius quoque, N. H. lib. IX, c. 54. Pata.

55. *An vero voluptates.* De his verbis in hunc modum scribit D. Augustinus in lib. IV adversus Julianum Pelagianum : « Vide quid in Hortensio dialogo dicat Tullius : quæ magis verba te delectare debuerunt, quam Balbi, Stoicorum partes agentis : quæ licet vera, tamen de parte hominis inferiore, hoc est, de corpore fuerunt, et te nihil adjuvare potuerunt. Vide quid iste pro vivacitate mentis contra voluptatem corporis dicat. An vero, inquit, voluptates corporis, quæ vere et graviter a Platone dictæ sunt illecebræ esse, atque escæ malorum, etc. » Quod autem, inquit, voluptates escas malorum a Platone esse dictas, locum, qui est in Timæo, significat, ubi ait ille : πρῶτον μὲν ἡδονὴ δέλεαρ μέγιστον κακῶν : quam sententiam transtulit quoque in dialogum de Senectute : « Divinus, inquit, Plato escam malorum voluptatem appellat, quod ea videlicet homines capiantur, ut hamo pisces » : et in primum de Leg. « Nam et voluptate capiuntur omnes, quæ est illecebra turpitudinis ». Quod autem addit in Hortensio, nihil esse inimicius philosophiæ, quam voluptatem, id totum ab Archita Tarentino accepit, de quo sic loquitur Cato in eodem dialogo de Senectute : « Quumque homini sive natura, sive quis deus nihil mente præstabilius dedisset, huic divino muneri, ac dono nihil tam esse inimicum, quam voluptatem : nec enim libidine dominante temperantiæ locum esse, nec omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere. Quod quo magis intelligi posset, fingere animo aliquem jubebat tanta incitatum voluptate corporis, quanta percipi posset maxima : nemini censebat fore dubium, quin tam diu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset ». Neque vero solum Architas, sed Plato etiam in lib. III de Rep. idem censuit : ἀλλὰ τόδε μοι εἰπὲ, inquit, σωφροσύνη, καὶ ἡδονῇ ὑπερβαλλούσῃ ἐστί τις κοινωνία ; καὶ πῶς ἔφη ; ἥγε ἔκφρονα ποιεῖ οὐχ ἧττον, ἢ λύπη, ἀλλὰ τῇ ἄλλῃ ἀρετῇ οὐδαμῶς. Hæc autem verba vere esse ex Hortensio, declarat etiam Nonius, qui aliquot ex his profert in explicanda significatione verbi conficere : sunt autem hæc : « Quæ est enim confectio valitudinis, quæ deformatio corporis ». Sigon.

Digitized by Google

escæ malorum? Quæ enim confectio est valitudinis, quæ deformatio coloris et corporis, quod turpe damnum, quod dedecus, quod non evocetur atque eliciatur voluptate? cujus motus ut quisque est maximus, ita est inimicissimus philosophiæ. Congruere enim cum cogitatione magna voluptas corporis non potest. Quis enim quum utatur voluptate ea, qua nulla possit major esse, attendere animum [56], inire rationem, cogitare omnino quidquam potest? Quis autem tantus est gurges, qui dies et noctes sine ulla minimi temporis intermissione velit ita moveri suos sensus, ut moventur in summis voluptatibus?.... Quis autem bona mente præditus non mallet nullas omnino nobis a natura voluptates datas? *Nonius*, IV, 93; *Augustin. contra Pelag.* IV.

Tunc obsequatur [57] naturæ, quum sine magistro senserit, quid natura desideret. *Id. contra Pelag.* V, 5.

Et qui exspectat [58], pendet animi, quia semper, quid futurum sit, incertum est. *Nonius*, IX, 6.

Et ceteris quidem [59] in rebus, in quibus peccata non maxima insunt, noxias tamen inferunt. *Id.* V, 67.

56. *Attendere animo, inire rationem. Inire rationem:* sic in correctiore exemplari, non, ut in aliis, *inire ratione.* Quod si est, non vereor, quin etiam, *attendere animum*, legi debeat: ut illud in Verrem, « Aures judex animumque attenderet »: et in Rullum, « Attendite animos ad ea quæ sequuntur »: et in Offic. « si animum attenderis, turpitudinem videas ». Quod autem hic ait de maxima voluptate corporis, contraria omnino cogitationibus præclaris, sumptum est ex orat. Architæ Tarentini, de qua Cato apud Ciceronem in lib. de Senectute. Vide etiam Aristotelem, lib. VII, cap. 11 Ethicorum. PATR.

57. *Tunc obsequatur.* Ex Augustino depromptum: is enim lib. V contra Julium Pelagianum, cap. 5, non obscure fert ad Hortensium pertinere. PATR.

58. *Et qui exspectat.* Hoc ad infelicitatem humanæ vitæ pertinet, de qua in extremo Hortensio disputatum est, teste D. Augustino. Quod idem nescio an possit de sequentibus verbis dubitari. SIGON.

59. *Et ceteris quidem in rebus.* Quum, quid melius afferrem, non ha-

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

Ut igitur domitores[60] equorum non verbera solum adhibent ad domandum, sed cibum etiam subtrahunt, ut fame debilitetur equuleorum nimis effrenata vis.... *Id.* II, 284.

Qui quum publicas injurias lente tulisset, suam non tulit. *Id.* IV, 281.

In continentibus quidem[61] terris vestrum nomen dilatari potest. *Id.* IV, 102.

Ea facultas majoribus nostris erat, qui, confectis senatusconsultis.... *Nonius*, IV, 93.

Quod alterius ingenium[62] sic dulce, ut acetum

www.libtool.com.cn

berem, priorum fragmentorum lectionem reliqui. Meus Nonius, et quidam alii, pro *differunt*, *afferunt* legit, neque ullum, nisi post, *tamen*, interpunctum habet. Quid ego inania consecter? Equidem quum alibi alia, tum illo in loco, *insciunt*, *attingunt*, aliquid melius desidero. PATR.

60. *Ut igitur domitores equorum.* Similitudo est a P. Africano primum, ut puto, usurpata, de qua ex sententia Panætii, sic scribit in lib. I de Offic. « Panætius auditorem Africanum et familiarem suum solitum ait dicere, ut equos propter crebras contentiones præliorum ferocitate exsultantes, domitoribus tradere soleant, ut his facilioribus uti possint, sic homines secundis rebus effrenatos sibique præfidentes tamquam in gyrum rationis et doctrinæ duci oportere ». Refertur autem quoque a Plutarcho dictum Themistoclis, quod eodem pertinet: Τοὺς τραχυτάτους πώλους ἀρίστους, ἵππους γενέσθαι, ὅταν ἧς προσήκει τύχωσι παιδείας καὶ καταρτύσεως. Ex pullis ferocissimis optimos equos evadere, si recte educentur et instituantur. PATR.

61. *In continentibus quidem.* Quædam exemplaria, « ne incontinentibus quidem », eodem sensu, quo illa etiam lib. VI de Rep. « Ex his ipsis cultis, notisque terris, num aut tuum, aut cujusquam nostrum nomen vel Caucasum hunc, quem cernis, transcendere potuit, vel illum Gangem transnare? Quis in reliquis orientis, aut obeuntis solis ultimis, aut aquilonis, austrive partibus, tuum nomen audiet? quibus amputatis, cernis profecto, quantis in angustiis vestra gloria se dilatari velit ». Et illa item ex Tusc. lib. IV: « Sapienti, inquit, nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum, aut nimis lætabile ad efferendum videri potest. Quid enim ei videatur magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota sit magnitudo », et quæ sequuntur. PATR.

62. *Quod alterius ingenium.* Lego, ut legendum demonstravit Sigonius, divino vir ingenio. De melle Hymettio vide etiam de Finib. lib. II, apud eumdem Ciceronem, prope finem, et Plinium, lib. XI, cap. 13. Ejus item quod quidem hunc vehementer pertinet, meminit Augustinus, nescio cujus, libro de Vita beata, iis verbis: « Nescio quomodo, inquit, contortum hoc et aculeatum, quod posuisti, ut ait ille de melle Hymettio, acriter dul-

Digitized by Google

Ægyptium; alterius sic acre, ut mel Hymettium dicimus. *Id.* IV, 17.

Ponendæ sunt fides et tibiæ. *Id.* IV, 216.

Aliud ex silvis severum, et triste. *Id.* IV, 418.

Eumdem enim[63] non modo ex mediocri pecunia, sed etiam ex tenui percipere possum. *Id.* IV, 461.

Qui illud nescio quid, quod in primoribus habent, ut aiunt, labris.... *Id.* V, 24.

....Non et sine cogitatione meundis, subducendisque rationibus. *Id.* IV, 436.

Ex quibus humanæ[64] vitæ erroribus et ærumnis fit, ut interdum veteres illi sive vates, sive in sacris initiisque tradendis divinæ mentis interpretes, qui nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore, pœnarum luendarum causa natos esse dixerunt, aliquid vidisse videantur, verumque sit illud, quod est apud Aristotelem, simili nos affectos esse supplicio, atque eos, qui quondam, quum in prædonum Etruscorum manus incidissent, crudelitate excogitata necabantur; quorum corpora viva cum mortuis, adversa adversis accommodata, quam aptissime colligabantur : ita nostros animos cum corporibus copulatos, ut vivos cum mortuis esse conjunctos. *Augustinus, contra Pelag.* IV.

Vidit enim[65], quod videndum fuit, appendicem

ce est, nihilque inflat viscera». Est autem Hymettus mons in Attica. Hymettiarum columnarum meminit Plinius, lib. XVII, cap. 1, et lib. XXXVI, cap. 3, et Valerius Maximus, lib. IX, cap. 1. PATR.

63. *Eumdem enim non modo mediocri.* Meus Nonius habet simpliciter, *non mediocri.* Sigonius correxit, *non solum mediocri.* Ego eadem prorsus sententia qua Sigonius, sed a vestigiis scripturæ recedens minus, *non modo mediocri:* occasionem enim erroris librario Nonii dedisse videtur, *modo mediocri.* PATR.

64. *Ex quibus humanæ vitæ.* Ad hoc fragmentum respiciens etiam Servius in Æneid. VII scribit Ciceronem in Hortensio docere, Tyrrhenum cum sociis piraticam in Tyrrhenia, quæ pars est Italiæ, exercuisse, captivosque novis pœnis afflixisse, occisorum eos alligando cadaveribus. Ejusdem autem rei meminit quoque Val. Max. lib. IX, cap. 1, in fine. PATR.

65. *Vidit enim.* Ut, paullo ante,

Digitized by Google

animi esse corpus, nihilque in eo esse magnum. *Nonius*, I, 199.

Quæ nobis dies[66] noctesque considerantibus, acuentibusque intelligentiam, quæ est mentis acies, caventibusque, ne quando illa hebescat, magna spes est, aut si hoc, quo sentimus et sapimus, mortale et caducum est, jucundum nobis, perfunctis muneribus humanis, occasum, neque molestam exstinctionem, et quasi quietem vitæ fore : aut si, ut antiquis philosophis, hisque maximis, longeque clarissimis placuit, æternos animos ac divinos habemus; sic existimandum est, quo magis hi fuerint semper in cursu, id est, in ratione et investigandi cupiditate, et quo minus se admiscuerint atque implicuerint hominum vitiis atque erroribus, hoc illis faciliorem adscensum, et reditum in cælum fore. Quapropter, ut aliquando terminetur oratio, si aut exstingui tranquille volumus, quum in his artibus vixerimus, aut si ex hac in aliam haud paullo meliorem domum sine mora demigrare, in his studiis nobis omnis opera, et cura ponenda est. *August. de Trin.* XIV, *c. ult.*

dixit, animos cum corporibus, ut vivos cum mortuis colligatos, sic hoc loco animi appendicem corpus appellat. SIGON.

66. *Quæ nobis dies noctesque.* Ex Augustino, lib. IV, cap. ult. de Trin. Significat autem ibidem aperte Augustinus, extremo ipso dialogo desumptum esse, in quo cetera recte : illud, « quod sentimus et sapimus », haud scio an commodius legatur, « quo sentimus » : alioqui in Consolatione ait, « quod sentit, quod sapit ». Illud item : « in ratione et investigandi cupiditate », vereor, ne legi debeat, « et veri investigandi ». Denique illud : « quum his artibus vixerimus », « quum in his artibus vixerimus ». PATR.

Digitized by Google

M. T. CIC. M. CATO, SEU LAUS M. CATONIS[1].

Pronepos[2] M. Catonis censorii. *Aulus Gellius*, XIII, 18.

www.libtool.com.cn

1. *In laudem M. Catonis.* Catones duos Ciceronem scripsisse omnes sciunt; unum, in quo M. Catonem, censorium illum, de senectute disputantem cum Scipione induxit; alterum, in quo Catonem, virum prætorium, Cæsaris inimicum, qui se, ne victori Cæsari traderetur, Uticæ interfecit, laudavit: priorem illum integrum habemus; hunc vero integrum amisimus: de quo sic ipse Cicero in Oratore loquutus est: « Hoc sum aggressus statim Catone absoluto: quem ipse numquam attigissem, tempora timens inimica virtuti, nisi tibi hortanti et illius memoriam mihi caram excitanti, non parere nefas esse duxissem »: et lib. XIII ad Atticum: « Legi Cæsaris epistolam: multa de meo Catone: quem sæpissime legendo se dicit copiosiorem factum: Bruti Catone lecto, se sibi visum disertum ». Et de Divin. lib. II: « Quoniam philosophia vir bonus efficitur, et fortis, Cato noster in horum librorum numero ponendus est ». Et Gellius, lib. XIII, cap. 19: « M. Cato, vir prætorius, qui bello civili Uticæ necem sibi gladio manu sua conscivit: de cujus vita liber est M. Ciceronis, qui inscribitur laus M. Catonis ». Huic autem laudationi, quoniam Cæsaris animum offendebat, Cæsar ipse respondit libro quem Anticatonem nominavit; cujus meminit quoque Cicero, Epist. ad Attic. lib. XII, hoc modo: « Qualis futura sit Cæsaris vituperatio contra laudationem meam, perspexi ex eo libro, quem Hirtius ad me misit, in quo colligit vitia Catonis, sed cum maximis laudibus meis ». Item: « Hirtii epistolam si legeris, quæ mihi quasi πρόπλασμα videtur ejus vituperationis, quam Cæsar scripsit de Catone, facies me, quid tibi visum sit, certiorem ». Ex Catone Ciceronis hæc adducit Macrob. lib. VI, 2, ubi agit de Virgilio: « Nec Tullio compilando abstinuit. O fama ingens, ingentior armis, vir Trojane. Nempe hoc ait: Æneam famam suam factis fortibus supergressum, quum plerumque fama sit major rebus. Sensus hic in Catone Ciceronis est his verbis: Contingebat in eo, quod plerisque contra solet, ut majora omnia re, quam fama, viderentur, id quod non sæpe evenit, ut exspectatio cognitione, aures ab oculis vincerentur ». Hanc autem fere sententiam in Liciniana etiam usurpavit: « Sic ejus adventus celebrabatur, ut famam ingenii exspectatio hominis, exspectationem ipsius adventus, admiratioque superaret ». De Anticatone Cæsaris hoc pacto scribit Plinius, lib. III Ep. 12: « Erunt officia antelucana, in quæ incidere impune ne Catoni quidem licuit, quem tamen C. Cæsar ita reprehendit, ut laudet: scribit enim eos, quibus obvius fuerat, quum caput ebrii retexissent, erubuisse: deinde adjicit: Putares non ab illis Catonem, sed illos a Catone deprehensos: potuitne plus auctoritati tribui Catoni, quam si ebrius quoque tam venerabilis erat? » Postremo tribus statibus usum esse Cæsarem in vituperando Catone prodidit Cicero. Sigon.

2. *Pronepos.* Ex Gellio, lib. XIII, cap. 18, quem locum consule.

Digitized by Google

Contingebat in eo, quod plerisque contra solet, ut majora omnia re, quam fama viderentur; id quod non sæpe evenit, ut exspectatio a cognitione, aures ab oculis vincerentur. *Macrobius, Saturnal.* VI, 2.

M. T. CICERONIS DE GLORIA[1] LIBER I.

In Tusculanum mihi nuntiabantur gladiatorii sibili. *Charisius*, I, *p.* 61.

1. *De Gloria.* Mirum videri posset hos libros de Gloria, eo potissimum tempore interiisse, quo ceteri Ciceronis libri jam deperditi, in lucem rursus producti fere fuerunt. Nam quum eos Fr. Petrarcha legisse videatur, qui circa annum Domini MCCCL floruit, nemo propemodum illud est tempus consequutus, ex quo appareat hos libros ad eum pervenisse: quum tamen circiter annum MCD per Gerardum Landrianum Laudæ Pompeii episcopum, et tres libri de Oratore, et Brutus seu de claris oratoribus, et Orator: et per Poggium Florentinum epistolæ item ad Atticum, eodem tempore quemadmodum scribit Blondus in Flaminia Italiæ, reperti fuisse dicantur. Quod si quis est, qui Petrarchæ testimonium de libris iis cognoscere desideret, id ejusmodi fere est ex libro XV Epistolarum ipsius senilium, epistola prima ad Lucam de Penna, depromptum. «Franciscus Petrarcha Lucæ de Penna S.—Petieras ex me ut de libris Ciceronis, si quos inusitatos, et extraneos haberem, tibi quoque cuidam nuper cœpto operi subvenirem: respondi tunc, non quod volui, sed quod potui, Ciceronis libros, non me alios habere, quam qui communiter habentur, vel, ut puto, etiam panciores: unum addidi, quod et verum fuit, habuisse me alios, sed amisisse. Nam quum jam aliqua fama ingenii, varias amicitias contraxeram, semper, abeuntibus domum amicis, et, ut fit, petentibus, numquid e patria sua vellem, respondebam, nihil, præter libros Ciceronis, ante alios, dabam memorialia, scriptaque, et verbis instabam, et quotiens putas preces, quotiens pecuniam misi, non per Italiam modo, ubi eram notior, per Gallias atque Germaniam, et usque ad Hispanias atque Britanniam. Multo studio, multaque cura, multa undique parva volumina recollegi, sed sæpe multiplicata, eorum vero, quæ maxime optabam, raro aliquis, ita ut, quod humanis in rebus crebro accidit, multa mihi deforent, multa superfluerent. Nondum sane sanctorum libros attigeram, et errore cæcus, et typo tumidus ætatis. Nihil mihi fere, nisi unus Cicero sapiebat. Quum circa quintum et trigesimum vitæ annum, inter Belgas Helvetiosque festinans, quum Leodium pervenissem, audito quod esset ibi bona copia librorum, substiti, comitesque detinui, donec unam Ciceronis orationem manu amici, alteram mea manu scripsi, quam postea per Italiam effudi. Et de libris quidem Reip. jam desperans, librum de Consolatione quæsivi anxie, nec inveni,

Digitized by Google

Cato oppidorum appellationem usurpatam esse exi-

quæsivi et librum de laude philosophiæ, quod et ipse libri titulus excitabat, et in libris Augustini, quos jam legere cœperam, librum illum ad vitæ mutationem, et ad studium veri multum sibi profuisse compereram: statim autem affuit non liber, sed falsa libri ipsius inscriptio. Post hæc enim quum Neapolim venissem, Barbatus meus Sulmonensis amicus optimus, voti mei conscius, parvum Ciceronis librum mihi donavit, cujus in fine principium solum erat libri Academicorum: quod ego perlegens conferensque cum illis qui inscribuntur de laude philosophiæ, luce clarius deprehendi illos esse duos, tot enim sunt, tertium et quartum, vel secundum et tertium Academicorum, subtile opus magis quam necessarium aut utile. Obtulerat item casus mihi venerabilem quemdam senem Raimundum Superantium. Ille mihi, et commodando libros, et donando supra communem modum facilis fuit. Ab hoc habui, et Varronis et Ciceronis aliqua, cujus unum volumen de communibus fuit, sed inter ipsa communia, libri de Oratore, vel de Legibus imperfecti, ut semper inveniuntur, et præterea singulares libri duo de Gloria: quibus visis, me ditissimum existimavi. Longum est exsequi, quos, et qualiter, et unde quæsierim, præter unum volumen elegantissimum, cui par aliud invenire difficile, paternas inter res inventum, quod in deliciis pater habuerat, quodque non ideo evasit, quia illud mihi exsequutores testamentarii salvum vellent, sed quia circa prædam pretiosioris, ut putabant, patrimonii occupati, ceu vile neglexerant. In his omnibus novi nihil, ut dixi, præter illos de Gloria libros duos, et aliquot orationes aut epistolas. Hactenus qualiter libros eos quæsierim dico, ut cognito quantus fuerit quærendi labor, quantus fuit perdendi dolor intelligas. Fuit mihi pæne ab infantia magister, qui me primas literas doceret. Hunc pater meus, dum vixit, liberaliter satis adjuvit, invaserat eum enim pauperies ac senectus, comites importunæ ac difficiles. Post obitum patris, omnem in me spem posnerat. Ego autem impar licet, me illi tamen et fide, et obsequio obligatum sentiens, aderam omni ope, qua poteram, ut deficiente pecunia, quod crebrum erat, egestatem suam apud amicos, nunc fidejussione, nunc precibus, apud fœneratorem vero pignoribus sublevarem: millies in hunc usum libros, et alias res asportavit, et retulit, donec fidem expulit paupertas. Graviore siquidem pressus inopia, duo illa Ciceronis volumina unum patris, alterum amici, librosque alios, me tradente, abstulit, prætendens necessarios sibi in opere suo quodam. Quos quum diu postea non retulisset, et mihi inciperet hominis suspecta esse dilatio, cœpi altius exquirere, quid de eis actum esset, et, ut oppignoratos comperi, penes quem essent indicari mihi petii, ut facultas fieret tuendi eos. Ille, et pudoris plenus, et lacrymarum, negavit se id esse facturum, quod turpe nimis esset sibi, si quod ipse deberet, alter faceret, exspectarem paullulum, quod suum erat, cito se facturum: obtuli in hanc rem pecuniæ quantum vellet, et hoc respuit, orans ne sibi hanc infamiam inurerem. Ego etsi nihil dicto fiderem, nolens tamen quem amabam contristare, subticui, ipse interim paupertate pulsus, in Tusciam ivit, unde sibi erat origo, me tunc ad fontem Sorgiæ, mea Transalpina in solitudine latitante, ut solebam: nec

Digitized by Google

stimat, quod opem darent, ut imitetur ineptias stoicorum. *Festus, voc.* oppidorum.

www.libtool.com.cn

prius eum abiisse, quam obiisse cognovi : nec deinceps ulla unquam diligentia, vel minimum amissi Ciceronis indicium, invenire quivi. Ita simul et libros perdidi, et magistrum. Habes historiam quam petisti. Vale, Arquade v kal. maias ». Itaque constat sane Petrarchæ temporibus hos libros exstitisse. Posterioribus temporibus obscurior est facta eorum librorum memoria. Sed me tamen de iis desperare adhuc vetant quum cetera, tum epistola illa eadem, de qua superius diximus, B. Rhenani, qua quidem ab amico eos libros postulat inter ceteros Ciceronis, quos is videtur habuisse, minime pervulgatos. Epistola ipsa exstat, ut diximus, initio librorum ejus de rebus Germanicis. Vixit autem Rhenanus nostra pæne memoria. Hæc ego interim ad consolationem orbitatis nostræ commemoranda esse existimavi. Quam sane orbitatem ut hoc etiam facilius ferendam esse existimemus, argumentum hoc tempore et capita eorum librorum, genusque adeo tractationis ipsius, quoad ejus maxime facere poterimus, proponemus, deinde vero fragmenta aliquot exhibebimus. Ac mihi quidem de eorum librorum argumento cogitanti, sic videtur, Ciceronem hoc loco, de gloria tamquam de summo civilis hominis, ipsorumque adeo rom. bono, fortassis egisse. Quum enim et rempub. ac civilem virum sex totis libris informasset, et leges ad eam rempubl. accommodatas quinque libris descripsisset, de gloria sibi agendum existimavit, tamquam de fini, quem unicum egregiorum factorum suorum propositum habere videntur viri omnes politici, qui ut dedecus et ignominiam summum malum, ita laudem et gloriam summum bonum arbitrantur. « Omnino, inquit Cicero, lib. I de Offic. vix invenitur qui laboribus susceptis periculisque aditis, non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam ». Unde in ipso etiam lib. VI de Republ. scripsit principem civitatis alendum esse gloria. Et certe in Romanis veteribus naturale quoddam, et tale quod etiam ad posteros ipsos proderetur, desiderium ejus rei exstitisse, Virtutis et Honoris ædes conjunctissimæ indicant : quas ita Romani statuerant, ut significarent, virtutis finem honorem se arbitrari, ad quem bonorum studia referrentur : ut est etiam apud Augustinum, Civit. lib. V, cap. 12. Ex quo est illud quoque de Republ. lib. III apud eumdem Ciceronem : « Vult plane virtus honorem, nec est virtutis ulla alia merces ». Hæc de argumento. Capita autem ejus libri videntur mihi in lib. II de Off. expressa et adumbrata esse, verbis non omnino paucis, sed tamen in compendium veluti quoddam redactis. Quum enim sic dixisset eo loco Cicero : « Nunc dicamus de gloria : quamquam ea quoque de re duo sunt nostri libri »; addit, « sed attingamus, inquit »; et postea : « Summa igitur et perfecta gloria constat ex tribus his », et quæ sequuntur, usque ad tractationem de beneficentia et liberalitate. Hæc de argumento et capitibus librorum. Tractationis autem genus dialogum fuisse, ipse etiam significat, ad Attic. lib. XVI : « De gloria, inquit, misi tibi. Custodies igitur, ut soles : sed notentur eclogarii, quos Salvius, bonos auditores nactus, in convivio dumtaxat legat : mihi valde placent : mallem tibi ». Sed in hoc loco quoque,

Digitized by Google

M. T. C. de Gloria lib. II.

www.libtool.com.cn

Apud eumdem poetam[1] Ajax cum Hectore congrediens depugnandi causa agit, ut sepeliatur, si sit forte victus; declaratque, se velle, ut suum tu-

etsi exemplaria in omnibus ferme consentiant, videndum tamen esse puto, an ita sit distinguendum: «Notentur eclogarii, quos Salvius bonos, auditores nactus in convivio, dumtaxat legat»: ut videlicet Salvium bonos tantum velit legere eclogarios, malos relinquere. PATRIC. — *In Tusculanum mihi nuntiabantur gladiatorii sibili.* Hoc ex libri proœmio sumptum opinor, ex ea parte, qua occasionem aperuit, cur se ad scribendum de Gloria contulerit. Quos autem gladiatorios sibilos ait, eos intelligit, qui gladiatorum consessu excitarentur. Etenim, ut scripsit in Sextiana, tribus locis significari maxime populi romani judicium, ac voluntas potest, concione, comitiis, ludorum gladiatorumque consessu: unde post etiam addit: «Theatrales gladiatoriique consessus dicuntur omnino solere levitatem nonnullorum emptos plansus, et exiles, et raros excitare: attamen facile est, quum id fit, quemadmodum, et a quibus fiat, et quid integra multitudo faciat, videre». Ex his ergo intelligi potest, gladiatorias populi significationes valere ad gloriam. Apponam etiam verba Festi quædam, ubi de oppidis agit. «Oppidorum, inquit, originem optime refert Cicero libro primo de Gloria, eamque usurpatam appellationem esse existimat, quod opem darent, adjiciens, ut imitetur ineptias Stoicorum». SIGON.

1. *Apud eumdem poetam.* De his sic Gellius, lib. XV, cap. 6: «In libro M. Tullii, qui est secundus de Gloria, manifestus error est, non magnæ rei, quem errorem esse, possit cognoscere non aliquis eruditorum, sed qui tantum legerit Ομήρου τὸ η'. Quamobrem non tam id mirabamur, errasse in eam rem M. Tullium, quam non esse animadversum hoc postea, correctumque vel ab ipso, vel a Tirone liberto ejus, diligentissimo homine, et librorum patroni sui studiosissimo. Ita enim scriptum in eo libro est: Apud eumdem poetam, Ajax cum Hectore congrediens depugnandi causa agit, ut sepeliatur, si sit forte victus: declaratque se velle ut suum tumulum multis etiam post sæculis prætereuntes, sic loquantur: Hic situs est vitæ jampridem lumina linquens, Qui quondam Hectoreo perculsus concidit ense. Fabitur hoc aliquis, mea semper gloria vivet». Hujus autem sententiæ versus, quos Cicero in linguam latinam vertit, non Ajax apud Homerum dicit, sed Hector dicit, et Hector de sepultura agit, priusquam sciat, an secum depugnandi causa congressurus sit Ajax. Ἀνδρὸς μὲν τόδε σῆμα πάλαι κατὰ τεθνειῶτος Ὃν ποτ' ἀριστεύοντα κατέκτανε φαίδιμος Ἕκτωρ. Ὥς ποτέ τις ἐρέει, τὸ δ' ἐμὸν κλέος οὔποτ' ὀλεῖται. In hoc etiam libro Ciceronem eam quæstionem exsequutum esse docet Lactantius, lib. I, cap. 15, quam in libris de Rep. et in Consolatione tractavit; deos, qui publice colerentur, homines fuisse. SIGON.

Digitized by Google

mulum multis etiam post sæculis prætereuntes sic loquantur :

www.libtool.com.cn

Hic situs est vitæ jampridem lumina linquens,
Qui quondam Hectoreo perculsus concidit ense.
Fabitur hoc aliquis; mea semper gloria vivet.
A. Gell. XV, 6.

Quo stante, et incolume. *Charisius, p.* 108.

...Statuerunt gloria leæna[2]. *Philargyrius, ad Virgil. Eclog.* II, 63.

2. *Statuerunt gloria leæna.* Rutgerius, qui primus hoc fragmentum in lucem protulit, legendum censet Var. Lect. V, 3, « statuerunt gloriæ leænæ ». Tranquillus autem Faber malit «statuerunt æneam leænam ». Notum Leænæ meretricis facinus, quæ, ne socios proderet, linguam dentibus abscidit. Plin. H. N. VII, 23, XXXIV, 8; Polien. Strat. VIII, 45. Occurrit etiam in Diomede, I, 378, hujus operis fragmentum, quod non intelligere datur.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

IN CONSOLATIONEM.

Quum Cicero jucundissimam filiam amisisset, incredibile auditu est, quanto propterea dolore exarserit: ut autem sapiens, quum alia remedia multa ad mitigandam animi acerbitatem sui quæsivit, tum vero librum etiam scripsit, in quo, ut philosophus, semet ipsum, quantum potuit, consolatus est: quem librum Consolationem, vel de luctu minuendo, inscripsit: hujus autem rei testem ipsum habemus in Tusculanis ita loquentem: « Ægritudinis sedatio et hesterna disputatione explicata est, et in Consolationis libro, quem in medio (non enim sapientes eramus) mœrore et dolore conscripsimus: quamquam vetat Chrysippus ad recentes quasi tumores animi remedium adhibere: id nos fecimus, naturæque vim attulimus, ut magnitudini medicinæ doloris magnitudo concederet ». Item alio loco: « Sed quid necesse est, quum id agam, ne post mortem miseros nos putemus fore, vitam etiam efficere deplorando miseriorem; fecimus hoc in eo libro, in quo nosmet ipsos, quantum potuimus, consolati sumus ». Item in epistolis ad Atticum: « Quod si me ipse per literas consolatus sum, non pœnitet me, quantum profecerim: mœrorem minui, dolorem nec potui, nec, si possem, vellem »: et in secundo de Divinatione: « Quid ego de consolatione dicam, quæ mihi quidem ipsi sane aliquantum medetur: ceteris item non multum illam profuturam puto »: et Augustin. lib. XIX, cap. 4, de Civitate Dei: « Vitæ hujus miserias lamentatus est Cicero in consolatione de morte filiæ, sicut potuit ». Hujus autem libri, quantum ego assequi judicio et conjectura possum, tale fuit argumentum atque adeo etiam artificium. Primum miserias hominum mihi videtur deplorasse, qui quasi, luendorum scelerum causa, in hanc vitam prodierint. Sed tamen levissime omnia esse ferenda adjecisse, quum his nos calamitatibus uno mortis subsidio facile perfungamur, deinde casum suum acerbissimum multorum clarissimorum virorum, quos collegerit, exemplo mitigasse. Tum vero, de æternitate animorum, et de filia inter deos ad immortalitatis famam conse-

Digitized by Google

cranda, quo modo multi homines sunt consecrati, disputasse. Crantorem autem philosophum in primis est sequutus. Quas res sigillatim, fragmentis ipsis explicandis, non erit fortasse inutile demonstrare. SIGON.

Si quis autem scire velit quonam modo genuina hæc Ciceronis fragmenta, Consolationis auctor editæ anno 1583 intercalaverit, videat primum in cap. 2, secundum cap. 6, tertium cap. 7, quartum cap. 12, quintum cap. 35, sextum cap. 45, septimum cap. 41, et octavum cap. 45. ED.

M. T. CICERONIS CONSOLATIO.

Crantorem sequor. *Plinius, N. H. Præfat.*

Idcirco nati sumus, ut scelerum pœnas lueremus. *Lactantius,* III, 18.

Non nasci[1], longe optimum, nec in hos scopulos incidere vitæ; proximum autem, si natus sis, quam primum mori, et tamquam ex incendio effugere fortunæ. *Id.* II, 19.

Sed nescio[2] qui nos teneat error, ac miserabilis ignoratio veri. *Id.* III, 14, 18.

1. *Non nasci, longe optimum.* Hæc ad leniendam miseriam, in quam homines nascendo incidere dixerat, subjecta sunt: de quibus eodem loco Lactantius, ita: « Ita primum bonum esse non nasci, secundum citius mori. Quæ sententia ut majoris sit auctoritatis, Sileno attribuitur. Cicero in Consolatione: « Non nasci, inquit, longe optimum, nec in hos scopulos incidere vitæ, proximum autem, si natus sis, quam primum mori ». Expressit autem hos versus Euripidis. Ἀρχὴ μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον, Φύντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας ἀΐδαο περῆσαι· cujus sententiæ meminit quoque Sophocles in Coloneo. SIGON.

2. *Sed nescio qui nos.* Lactantius, lib. III, cap. 14, contra Ciceronem loquens sic ait: « Idem in Consolatione, id est, opere non joculari, hanc de philosophia sententiam tulisti: « sed nescio qui nos teneat error, aut miserabilis ignoratio veri ». Ubi ergo est philosophiæ magisterium? aut quid te docuit illa vitæ parens, si verum miserabiliter ignoras? » Quod autem ad eam partem attinet, in qua exempla clarissimorum virorum collegisse eum dixi, qui acerbissimos casus amissorum filiorum æquissimo animo tolerassent, hæc affero satis gravia, ut arbitror, testimonia. Ipse in tertia Tusculana sic ait: « Quid? qui non putant lugendum viris? qualis fuit Q. Maximus, efferens filium consularem, qualis L. Paullus, duobus paucis diebus amissis filiis, qualis M. Cato, prætore

Digitized by Google

Animorum[3] nulla in terris origo inveniri potest.

designato, mortuo filio, quales reliqui, quos in Consolatione collegimus». Et in lib. II de Divinatione ita: «Clarissimorum hominum nostræ civitatis gravissimos exitus in Consolatione collegimus». Unde illa sunt etiam ejusdem scripta ad Atticum, tum quum hunc librum in manibus haberet: «Velim me facias certiorem Cn. Cæpio Serviliæ Claudii pater vivone patre suo naufragio perierit, an mortuo: item Rutilia vivone C. Cotta filio suo mortua sit: pertinet ad eum librum, quem de luctu minuendo scripsimus». Item: «Velim me certiorem facias, Vinuliæ filius, vivone P. Crasso, consulari, patre suo mortuus, an post». Item: «Quæro de Regillo Lepidi filio, rectene meminerim, patre vivo mortuum». Neque vero solum ipse Cicero, sed D. etiam Hieronymus, Ciceronis maxime studiosus, quid in eo libro spectaverit, quemque sit sequutus, expressit: siquidem hoc pacto scripsit in epitaph. Nepotiani: «Legimus Crantorem, cujus volumen ad confovendum dolorem suum sequutus est Cicero; Platonis, Diogenis, Clitomachi, Carneadis, Possidonii ad sedandos luctus opuscula percurrimus, qui diversis ætatibus diversorum luctum vel libris, vel epistolis minuere sunt conati, ut etiam si nostrum areret ingenium, de illorum posset fontibus irrigari. Proponunt innumerabiles viros, et maxime Periclem, et Xenophontem Socraticum, quorum alter amissis duobus filiis, coronatus in concione diseruit, alter quum sacrificans filium audisset occisum, deposuisse coronam dicitur, et eamdem capiti reposuisse, postquam fortiter in acie dimicantem reperit concidisse. Quid memorem romanos duces, quorum virtutibus quasi quibusdam stellis latinæ micant historiæ? Pulvillus Capitolium dedicans, mortuum, ut nuntiabatur, subito filium, se jussit absente sepeliri. L. Paullus septem diebus inter duorum exsequias filiorum triumphans urbem ingressus est. Prætermitto Maximos, Catones, Gallos, Pisones, Brutos, Scævolas, Metellos, Marcios, Crassos, Marcellos, atque Aufidios, quorum non minor in luctu, quam in bellis, virtus fuit: et quorum orbitates in Consolationis libro Tullius explicavit, ne videar potius aliena, quam nostra quæsisse». Quibus ex verbis satis intelligi potest, idem fere fuisse Consolationis argumentum, atque ejus epistolæ, qua rescripsit ad Ser. Sulpicii consolationem, in qua ita egit: «Sed opprimor interdum, et vix resisto dolori; quod ea me solatia deficiunt, quæ ceteris, quorum mihi exempla propono, simili in fortuna non defuerunt. Nam et Q. Maximus, qui filium consularem, clarum virum amisit, et L. Paullus, qui duos septem diebus, et vester Gallus, et M. Cato, qui summo ingenio, summa virtute filium perdidit. iis temporibus fuerunt, ut eos tum ipsorum dignitas consolaretur ea, quam ex rep. consequebantur». Sig.

3. *Animorum nulla in terris origo.* Jam de immortalitate agit animorum: hæc autem posuit in prima Tusculana, his verbis: «Sin autem est quinta quædam natura ab Aristotele inducta, primum hæc et deorum est, et animorum: hanc enim nos sententiam sequuti his ipsis verbis in Consolatione hæc expressimus: Animorum nulla in terris origo, etc.» Lactantius etiam, lib. I, cap. 5, postrema hujus loci verba ex Ciceronis Consolatione profert. Sigon.

Digitized by Google

Nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur; nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat; quod et præterita teneat, et futura provideat, et complecti possit præsentia: quæ sola divina sunt; nec invenietur umquam, unde ad hominem venire possint, nisi a Deo. Singularis est igitur quædam natura, atque vis animi, sejuncta ab his usitatis notisque naturis. Ita quidquid est illud, quod sapit, quod vult, quod viget, cæleste et divinum est; ob eamque rem æternum sit, necesse est. Nec vero Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens, et movens, ipsaque prædita motu sempiterno. *Cicero*, *Tuscul.* I, 27; *Lactantius*, *Inst.* I, 5; *de Ira Dei*, *c.* 10.

Quum vero et mares[4], et feminas complures ex

4. *Quum vero et mares.* Jam de consecranda filia ad immortalitatem disserit, cujus loci sententiam Lactantio, ut alia multa, debemus, qui lib. I, cap. 15, sic agit: «M. Tullius in eo libro, quo se ipsum de morte filiæ consolatus est, non dubitavit dicere, deos, qui publice colerentur, homines fuisse: quod ipsius testimonium eo debet gravissimum judicari, quod et augurale habuit sacerdotium, et eosdem se colere venerarique testatur. Itaque intra pancos versiculos duas res nobis dedit: nam dum imaginem filiæ eodem se modo consecraturum esse profiteretur quo illi a Veteribus sunt consecrati, et illos mortuos esse docuit, et originem vanæ superstitionis ostendit. Quum vero, inquit, et mares, et feminas, etc.» Quibus verbis recitatis, subdit: «Fortasse dicat aliquis præ nimio luctu eum delirasse: atqui omnis illa oratio, et doctrina, et exemplis, et ipso loquendi genere perfecta, non ægri, sed constantis animi, ac judicii fuit: neque enim puto illum tam varie, tam copiose, tam ornate scribere potuisse, nisi luctum ejus, et ratio ipsa, et consolatio amicorum, et temporis longitudo mitigasset». De consecranda autem filia sæpe item Cicero Atticum in epistolis consuluit, ut tum quum dixit: «Insula Arpinas habere potest germanam ἀποθέωσιν»: et alibi: «Fanum fieri volo: neque hoc mihi erui potest: sepulchri similitudinem effugere non tam propter pœnam legis studeo, quam ut maxime asse-

www.libool.com.cn

Digitized by Google

hominibus in deorum numero esse videamus, et eorum in urbibus atque agris augustissima templa veneremur: assentiamur eorum sapientiæ, quorum ingeniis et inventis omnem vitam legibus et institutis excultam constitutamque habemus.... Quod si ullum umquam animal consecrandum fuit, illud profecto fuit. Si Cadmi, aut Amphitryonis[5] progenies, aut Tyndari, in cælum tollenda fama fuit: huic idem honos certe dicandus est. Quod quidem faciam, teque omnium optimam doctissimamque, approbantibus diis immortalibus ipsis, in eorum cœtu locatam, ad opinionem omnium mortalium consecrabo. *Lactantius*, I, 15.

Nec enim omnibus iidem illi sapientes arbitrati sunt eumdem cursum in cælum patere. Nam vitiis et sceleribus contaminatos deprimi in tenebras, atque in cœno jacere docuerunt; castos autem, puros, integros, incorruptos, bonis etiam studiis atque artibus expolitos, leni quodam ac facili lapsu ad deos, id est, ad naturam sui similem, pervolare. *Id.* III, 19.

Cedo, et manum tollo[6]. *Id.* III, 28.

quar ἀποθέωσιν: quod poteram, si in ipsa villa facerem: sed, ut sæpe loquuti sumus, commutationes dominorum reformido: in agro ubicumque fecero, mihi videor assequi posse, ut posteritas habeat religionem: hæ meæ ineptiæ (fatebor enim) ferendæ tibi sunt: non habeo ne me quidem ipsum, quicum tam audacter communicem, quam te: si tibi res, si locus, si institutum placet; lege, quæso, legem, mihique eam mitte». Et alibi: «Ego, quantum his temporibus tam eruditis fieri poterit, profecto illam consecrabo omni genere monumentorum ab omnium ingeniis scriptorum, et Græcorum et Latinorum». SIGON.

5. *Amphitryonis.* Alii, *Amphionis.* J. V. L.

6. *Manum tollo.* Me victum fateor.

Digitized by Google

M. T. C. LIBER DE SUIS CONSILIIS.

Citatur a Boethio liber Ciceronis de consiliis suis, cum iis verbis, quæ inter fragmenta retuli. Quem librum eumdem esse sine dubio arbitror, atque eum, quem Asconius in commentario orationis in Toga candida vocat, Expositionem suorum consiliorum : nec fortasse alius est, quam is, quem Dio appellat ἀπόῤῥητον βιβλίον, in quo rerum a se in rep. actarum rationem reddebat. Sigon.

Sed ut aliqua similitudine adductus, maximis minima conferam, ut quum vinolenti adolescentes, tibiarum etiam cantu, ut fit, instincti, mulieris pudicæ fores frangerent, admonuisse tibicinam, ut spondeum caneret [2], Pythagoras dicitur : quod quum illa fecisset, tarditate modorum, et gravitate cantus, illorum furentem petulantiam resedisse. *Boeth. de Musica*, I, 1.

2. *Spondeum caneret.* Confer in doctissimo libro, cui nomen *Anacharsis junioris Iter*, colloquium de musicæ vi ac potentia. Ed.

M. T. C. DE VIRTUTIBUS LIBER [1].

Illud neutiquam [2] probares [3]. *Charisius*, II, *p.* 186.

1. *M. Tullii Ciceronis de Virtutibus liber.* In hoc libro, mea quidem sententia, M. Cicero, quæ copiose in libro de Officiis ad filium tradiderat, breviter comprehensa literis consignavit : plane ad Aristotelis imitationem, qui post libros τῶν ἠθικῶν ad Nicomachum, etiam περὶ ἀρετῶν opusculum scripsisse dicitur. Charisius et libri meminit, et fragmentum ex eo proponit. Patr.

2. *Neutiquam.* Verbum a comicis sæpius usurpatum non semel adhibuit Cicero.

3. *Probares.* Sunt qui apud Charisium legant *probantem*.

M. T. C. CHOROGRAPHIA.

Ibi quercorum [1] rami ad terram jacent, ut sues, quasi capræ ex ramis, glande pascantur. *Priscianus*, VI, *p.* 717.

1. *Quercorum.* Apud Palladium invenitur quoque « querci, quercorum ». Ed.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS

www.libtool.com.cn

FRAGMENTA

EX LIBRIS PHILOSOPHICIS

QUI EXSTANT, SED NON INTEGRI.

EX M. T. C. AD VARRONEM ACAD. LIB. I.

Quid autem stomachetur Mnesarchus[1]? quid Antipater digladietur cum Carneade tot voluminibus? *Nonius*, I, 331.

Ex lib. II Academicorum ad Varronem.

Qui enim serius honores adhamaverunt[2], vix admittuntur[3] ad eos, nec satis commendati multitudini possunt esse. *Nonius*, II, 5.

Frangere avaritiam, scelera ponere, vitam suam exponere ad imitandum juventuti. *Id.* II, 275.

Quid? lunæ quæ lineamenta sint, potesne dicere? cur ejus nascentis alias hebetiora, alias acutiora videantur cornua? *Id.* II, 408.

Quid? mare nonne cæruleum? at ejus unda, quum est pulsa remis, purpurascit[4]: et quidem aqua tinctum quodam modo, et infectum....*Id.* II, 717.

1. *Mnesarchus*. Hunc inter principes Stoicorum numeravit in Lucullo.

2. *Adhamaverunt*. Somnium grammatici. Lege *adamaverunt*. J. V. L.

3. *Vix admittuntur*. Quum eos non suo anno obtinuerunt, raro fit ut ad eos deinceps perveniant. Inde frequens illa Ciceronis gloriatio, quod honores semper suo anno obtinuisset. PATR.

4. *Purpurascit*. Eadem ferme in Lucullo, c. 33, invenias. ED.

Digitized by Google

Quid tam planum videtur, quam mare? ex quo etiam æquor illud poetæ vocant. *Id.* I, 332.

Quibus etiam alabaster plenus unguenti putere videatur. *Nonius,* XV, 17.

Alius adultis [5], alius senibus; alius ægris, alius sanis; alius siccis, alius vinolentis. *Id.* IV, 426.

Si quando enim nos demersimus, ut qui urinantur, aut nihil superum, aut obscure admodum cernimus. *Id.* VII, 57.

Atqui, si id crederemus, non egeremus perpendiculis, non normis, non regulis. *Id.* II, 718.

Quum ovum inspexerant [6], quæ gallina peperisset, dicere solebant. *Id.* II, 372.

...Quæ quum similitudine verbi concinnare maxime sibi videretur. *Id.* I, 207.

Opera affixa. *Diomedes*, I, *p.* 373.

Ex lib. III *Academicorum ad Varronem.*

... In tanta animalium varietate homini ut soli cupiditas ingeneraretur cognitionis et scientiæ. *Nonius,* II, 417.

Aliqua potestas si sit, vindicet se in libertatem. *Id.* IV, 487.

Digladiari autem semper, depugnare cum facinorosis et audacibus, quis non quum miserrimum, tum etiam stultissimum dixerit? *Id.* I, 331.

Et, ut nos nunc [7] sedemus ad Lucrinum, pisciculosque exsultantes videmus... *Id.* I, 335.

5. *Alius adultis.* Hæc de oculorum sensu dicta videntur, et similia quædam in Lucullo occurrunt. Ed.

6. *Quum ovum inspexerant.* Totum hoc in priori Academicorum editione, II, 18, invenitur. Ed.

7. *Et, ut nos nunc.* Hæc eadem, Acad. II, 40, possunt referri: « Et, ut nos nunc sumus ad Baulos Puteolosque videmus; sic numerabiles, etc.» Errasse hoc loco videtur Gœrenz. qui « simus..... videamus» reposuit, forsan locum a Nonio recitatum ignorans. Ed.

Digitized by Google

....Qui gallinas[8] alere permultas quæstus causa solerent. *Id.* II, 372.

Quod si liceret, ut iis, quin in itinere deerravissent, sic vitam deviam sequutis, corrigere errorem pœnitendo, facilior esset emendatio temeritatis. *Lactantius*, VI, 24.

Ex lib. incerto Academicorum ad Varronem.

Mihi autem non modo ad sapientiam cæci videmur, sed ad ea ipsa, quæ aliqua ex parte cerni videantur, hebetes et obtusi. *Lactantius*, III, 15.

Latent ista omnia[9], Varro, magnis obscurata et circumfusa tenebris. *Marcianus Capella*, V, *p.* 426; *Fortunatianus*, III.

Academico sapienti ab omnibus ceterarum sectarum, qui sibi sapientes viderentur, secundæ partes dantur, quum primas sibi quemque vindicare necesse sit. Ex quo potest probabiliter confici, eum recte primum esse[10] judicio suo, qui omnium ceterorum judicio sit secundus. Fac enim, verbi causa, stoicum adesse sapientem; nam contra eos potissimum academicorum exarsit ingenium : ergo Zeno, vel Chrysippus, si interrogentur, quis sit sapiens, respondebit, eum esse, quem ipse descripserit. Contra Epicurus, vel quis alius adversariorum negabit, suumque potius peritissimum voluptatum aucupem, sapientem esse contendet. Inde ad jurgium. Clamat Zeno, et tota illa porticus tumultuatur, hominem natum ad

8. *Qui gallinas*. Sic in Lucullo, 18. Nonius habet «solerem», quæ sæpius vitia in hoc grammatico occurrunt. Ed.

9. *Latent ista omnia*. Sic in Lucullo : « Latent ista omnia, Luculle, crassis occultata et circumfusa tenebris ». Ed.

10. *Primum esse*. Sic Amazonum quoque statuam probatissimam electam fuisse in templo Dianæ Ephesiæ scribit Plinius, XXXIV, 8, ipsorum artificum qui aderant, judicio, eam scilicet quam omnes secundam a sua judicassent. Ed.

Digitized by Google

nihil aliud quam honestatem; ipsam suo splendore in se animos ducere, nullo prorsus commodo extrinsecus posito, et quasi lenocinante mercede; voluptatemque illam Epicuri solis inter se pecoribus esse communem, in quorum societatem et hominem, et sapientem trudere nefas esse. Contra ille[11], convocata de hortulis in auxilium quasi libera turba temulentorum, quærentium tantum, quem incomptis unguibus bacchantes, asperoque ore discerpant, voluptatis nomen, suavitatem, quietem teste populo exaggerans, instat acriter, ut sine ea beatus nemo esse posse videatur. In quorum rixam si academicus incurrerit, utrosque audiet trahentes se ad suas partes. Sed si in illos, aut in istos concesserit, ab eis, quos deserit, insanus, imperitus, temerariusque clamabitur. Itaque quum et huc, et illuc aurem diligenter admoverit, interrogatus, quid ei videatur, dubitare se dicet. Roga nunc stoicum, quis sit melior, Epicurusne, qui delirare illum clamat, an academicus, qui sibi adhuc de re tanta deliberandum esse pronuntiat. Nemo dubitat, academicum prælatum iri. Rursus te ad illum converte, et quære, quem magis amet, Zenonem, a quo bestia nominatur, an Arcesilam, a quo audit, Tu fortasse verum dicis, sed requiram diligentius : nonne apertum est, totam illam porticum, insanam, academicos autem præ illis modestos cautosque homines visum iri Epicuro? *Augustinus, contra Academ.* III, 7.

Talia mihi videntur omnia, quæ probabilia, vel verisimilia putavi nominanda. Quæ tu si alio nomine vis vocare, nihil repugno : satis enim mihi est, te jam bene accepisse, quid dicam; id est, quibus rebus

11. *Contra ille.* Epicurus scilicet ex voluptuariis hortulis liberam curis turbam suam excitat, illud unum quærentem ut, etc.

Digitized by Google

hæc nomina imponam. Non enim vocabulorum opificem, sed rerum inquisitorem decet esse sapientem. *Augustinus, contra Academ.* II, 11.

Mos fuit academicis occultandi sententiam suam, nec eam cuiquam, nisi qui secum ad senectutem usque vixissent, aperiendi. *Id. ibid.* III, 25.

EX LIB. DE NATURA DEORUM[1] III.

Primum igitur non est probabile, eam materiam rerum, unde orta sunt omnia, esse divina providentia effectam, sed habere et habuisse vim, et naturam suam. Ut igitur faber, quum quid ædificaturus est, non ipse facit materiam, sed ea utitur, quæ sit pa-

1. *Deorum.* Libri tres de Natura Deorum, qui, et quales sint, nemo ignorat. In medio autem tertio labes insignis facta est, paginis aliquot amissis: desideratur enim disputatio Cottæ contra ea, quibus Balbus de deorum providentia, et eos hominum consulere generi disseruerat: ex illa vero parte, qua quærit Cotta, deorumne providentia mundus administretur, credo excidisse verba, quæ citantur a Lactantio, lib. II, cap. 9, in hunc modum: « Nec audiendi sunt poetæ, qui aiunt Chaos in principio fuisse, id est, confusionem rerum atque elementorum, postea vero deum diremisse omnem illam congeriem, singulisque rebus ex confuso acervo separatis, in ordinemque descriptis instruxisse mundum pariter, et ornasse: quibus facile est respondere, potestatem dei non intelligentibus, quem credunt, nihil efficere posse, nisi ex materia subjiciente, ac parata: in quo errore etiam philosophi fuerunt. Nam Cicero, de Natura Deorum disputans, sic ait: « Primum igitur non est probabile, eam materiam rerum, unde orta, etc. » Tandem sic subdit: « O quam multa sunt vitia in his decem versibus: primum, quod is, qui in aliis disputationibus, et libris fere omnibus providentiæ fuerit assertor, et qui acerrimis argumentis impugnaverit eos, qui providentiam non esse dixerunt, idem nunc quasi proditor aliquis, aut transfuga providentiam conatus est tollere. Sed concedamus hoc mori, et instituto Academicorum ». Et post: « Verum hæc non Ciceronis est culpa, sed sectæ: quum enim suscepisset disputationem, qua deorum naturam tolleret, de qua philosophi garriebant, omnem divinitatem ignorantia veri putavit esse tollendam »; et post: « Hic ego illum teneo hærentem, quo Lucilius, qui contra disserebat, obmutuit: explicet se Cotta, si potest, ex hac voragine: proferat argumenta, quibus doceat semper fuisse materiam, quam nulla providentia effecerit ». Sic.

Digitized by Google

rata; fictor item cera : sic isti providentiæ divinæ materiam præsto esse oportuit, non quam ipsa faceret, sed quam haberet paratam. Quod si non est a Deo materia facta, ne terra quidem, et aqua, et aer, et ignis a Deo factus est. *Lactantius*, II, 9.

Non sunt ista[2] vulgo disputanda, ne susceptas publice religiones disputatio talis exstinguat. *Id.* II, 3.

2. *Non sunt ista vulgo disputanda, ne susceptas.* Brevius hoc fragmentum, si libet, retuleris ad lacunam, quæ post quinque priora tertii libri capita a quibusdam hiare creditur; fragmentum autem superius, c. 25 et 26, possit restitui. Creuzer. in ed. de Natura Deorum, Leips. 1818, pag. 797, quatuor fragmenta addit, quorum primum a Nonio, II, 215, servatum, nunc de Orat. III, 25, legitur; et cetera e Servio ad Æneid. IH, 284, 600, VI, 894, hausta non genuina ullo modo videntur. Ed.

EX LIB. I DE DIVINATIONE.

Præterea similiter cohortatione circum conciliabula antecellunt[3]. *Diomedes*, I, *p.* 371.

3. *Antecellunt.* Quas voces Ciceroni vulgo tributas potius Gracchi esse crediderim : ita ut concionis ejus titulus inscribatur « cohortatio circum conciliabula ». Diomedes illud autem unum ait « antecellant » in primo Divinationis deprehendi, quod reipsa occurrit ad cap. 41. Ed.

EX LIB. DE FATO[4].

Chrysippus æstuans, laboransque, quonam pacto explicet, et fato omnia fieri, et esse aliquid in nobis, intricatur hoc modo. *Aul. Gell.* VI, 2.

4. *De Fato.* Librum unum de Fato habemus nos quidem, sed multis in locis mutilatum, ac debilem : inter cetera autem, quæ interciderunt, sententia hæc, de qua Macrobius, lib. III refert, desideratur : verba ejus hæc sunt : « Et ne vilior sit testis poeta, accipite assertore Cicerone, in quo honore fuerit hic piscis (de acipensere loquitur) apud P. Scipionem Africanum illum, et Numantinum. Hæc sunt in dialogo de Fato verba Cic. Nam quum esset apud se ad Lavernium Scipio, etc. » Sigon.

Digitized by Google

Nam, quum esset apud se ad Lavernium Scipio, unaque Pontius; allatus est forte Scipioni acipenser[5], qui admodum raro capitur, sed est piscis, ut ferunt, in primis nobilis. Quum autem Scipio unum et alterum ex iis, qui eum salutatum venerant, invitasset, pluresque etiam invitaturus videretur; in aurem Pontius, « Scipio, inquit, vide quid agas : acipenser iste paucorum hominum est ». *Macrobius,* III, 16. (*Al.* II, 12.)

www.liptool.com.cn

5. *Acipenser.* Cf. Plin. IX, 17, et apud Recentiores Aldobrand. IV, 9, et Rond. XIV, cap. ult. ubi quis hic fuerit piscis disputatur. Ed.

EX LIB. I DE LEGIBUS.

Sicut una[1] eademque natura mundus omnibus partibus inter se congruentibus cohæret ac nititur : sic omnes homines inter se natura confusi, pravitate dissentiunt, nec se intelligunt esse consanguineos, et subjectos omnes sub unam eamdemque tutelam; quod si teneretur, deorum profecto vitam omnes viverent. *Lactantius*, V, 8.

1. *Sicut una.* Hæc verba citat Lactantius, lib. III, cap. 8, in hunc modum : « Nunc autem mali homines sunt ignorantia recti, ac boni, quod quidem Cicero vidit : disputans enim de Legibus, Sicut una, inquit, eademque natura, etc. » Quamquam autem, quo in libro hoc Cicero scripserit, non affert; tamen ex primo hæc verba videtur sumpsisse; quod cum argumento primi libri ea mire conveniant; in quo de naturali hominum inter se consensione disputatur : ex eo vero libro duobus in locis paginas aliquot excidisse satis constat. Sigon. — *Homines viverent.* Ita Davis. Thomasius, Heumannus et Bunemannus. Sed in ed. Fragm. Cicer. Wecheliana, a Sylburgio curata, edd. Verb. Ernest. Wagn. et Schütz. est *omnes viverent.* « Hunc locum, ait Wagn. viri docti ad primum librum retulerunt, argumento hoc, puto, satis idoneo adducti, quod de naturali hominum conjunctione in primo libro sermo est, neque alio in libro huic causæ tractandæ commodus locus invenitur. Probabile igitur est, particulam esse lacunæ in cap. 12 notatæ; quo etiam respicere videtur Cicero § 60 ejusdem libri : *omnesque natura conjunctos suos duxerit.* Pro *confusi* pronum esset legere *conjuncti;* sed bene se habet vocabulum significantius, quod non abhorret a consuetudine Ciceronis, ut de Officiis, lib. I, cap. 27, decorum totum est cum virtute confusum ». Ma.

Digitized by Google

Ex lib. II *de Legibus.*

Magnum[2] audaxque consilium Græcia suscepit, quod Cupidinum et Amorum simulacra in gymnasiis consecravit. *Lactantius*, I, 20.

www.libool.com.cn

Ex lib. V *de Legibus.*

Visne igitur[3], quoniam sol paullulum a meridie jam devexus videtur, neque dum satis ab his novellis arboribus omnis hic locus opacatur, descendamus ad Lirim[4], eaque, quæ restant, in illis alnorum umbraculis[5] persequamur? *Macrobius*, VI, 4.

Ex libro incerto de Legibus.

Gratulemurque nobis, quoniam mors aut meliorem[6], quam qui est in vita, aut certe non deteriorem

2. *Magnum.* Paucis lineis creduntur voces eæ antecedere hanc secundi libri sententiam, cap. 11 : « Virtutes enim, non vitia consecrare decet »; aut saltem ad caput illud pertinere, quod statim desideratur. Ed.

3. *Visne igitur.* Fragmentum hoc ad procemium quinti libri pertinere videtur. Ed.

4. *Descendamus ad Lirim.* Ed. Macrobii Lugdun. apud Gryph. 1550, et Bipontina habent *descendatur*. Sed ii, qui Ciceronis fragmm. collegerunt, omnes, ut videtur, correxerunt *descendamus*. Ma. — Hic locus in primis argumento est, plures quam tres de Legibus libros Ciceronem scripsisse, et temporis designatio commode quadrat in initium libri quinti. Wagn.

5. *Umbraculis.* Monet Macrobius fuisse qui falso verbum hoc a Virgilio compositum esse crederent. Ed.

6. *Quoniam mors aut meliorem.* Sic meus Lactantius; et item *animo vigente*, itemque *sensu carente:* non ut erat : « quoniam aut mors leviorem ... anima vigente ... sensu carenti ». Pata.—Hic locus ad lib. II, ejusque paragraphum vel 36, ubi de meliore et vivendi et moriendi ratione in mysteriis explicita dicitur, vel 68, ubi de immortalitate animorum quædam dicta videntur, quæ tamen mutila ad nos pervenerunt, referendus mihi quidem videtur. Wagn. — *Quoniam mors aut meliorem.* In edd. Lactantii Thomasiana, Heumanniana et Bunem. est « Gratulamurque... divina vita est ... sensu carente ». Pro *carente* quidam Thomasii cod. habet *pereunte*, quod est correctoris. Ad v. *carente* Heumannus adnotavit : « Subaudi *animo*. Opponitur enim anima s. animus, post mortem corporis superstes ac vigens, animo, qui una cum exstincto corpore vita sensuque caret. Male ergo quidam Thomasii cod. *pereunte* ». Nos vero cum Verb. Ern. et Sch. dedimus *carenti*, ut Ciceronis sermoni accommodatius. Ma.

Digitized by Google

est allatura statum. Nam sine corpore, animo vigente, divina est vita; sensu carenti nihil profecto est mali. *Lactantius*, III, 19.

www.libtool.com.cn

Octo pœnarum genera[7] in legibus continentur, damnum, vincula, verbera, talio, ignominia, exsilium, mors, servitus. *Augustinus*, *de Civit. Dei*, XXI, 11; *Isidorus*, *Orig.* V, 27.

7. *Octo pœnarum genera.* Apud Augustinum, ed. Basil. Froben. 1570, f. m. cum comm. J. Lud. Vivis, p. 1291, ita scriptum est: « Octo genera pœnarum in Legibus esse scribit Tullius, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exsilium, mortem, servitutem ». Ubi Vives ad v. *talio* hæc: In Legib. XII Tabularum sic habebatur: « si membrum rupit meum, e pacto talio esto » [vel potius: *Sei. membrom. rupsit. nei. cum. eo. paçit. taliod. estod.* Ex restitutione Funccii]. *Talio* vocabatur, quod, quale quis fecerat, tale passurus esset: ut, si eruisset oculum alienum, amitteret suum: si amputasset alterius nares, perderet suas. De cujus æquitate legis disputat cum Sex. Cæcilio Favorinus philosophus apud Gellium, lib. XX [c. 1]. Mr. — *Octo pœnarum genera.* Forsan hæc ad quintum librum spectant, in quo videtur auctor de tribunalibus et pœnis disseruisse. Pœnarum genera hæc explicuit Heineccius, Antiq. IV, 18, 5 sqq. Ed.

EX LIBRIS INCERTIS.[1]

An vero[2] multorum in terris prædiorum dominos, divites appellamus; omnium virtutum possessores, pauperes nominabimus? *Augustinus*, *de Vita beata*, *cap.* 22.

Nullum umquam verbum, quod revocare vellet, emisit[3]. *Id. Epist.* I.

...Non se id egisse, ut ita diceret, quo modo se

1. Fragmentum quod in edit. Grut. primum apparet et ex Lactantio, III, 16, est desumptum, « Recteque Tullius ... præfert », ad Remp. I, 2, pertinet. Sequens autem ex Augustino contra Julian. Pelag. IV, 60, « non idem ... P. Africani bonum », multo melius initio quarti libri de Rep. nunc est collocatum. Ed.

2. *An vero.* In eumdem ferme sensum de Rep. I, 17, et Parad. VI, 2. Ed.

3. *Quod revocare vellet, emisit.* Fallimur, aut hæc ad M. Catonis laudem pertinent. Ed.

Digitized by Google

quilibet posse confideret, sed quo modo nemo. *Quintilianus*, XI, 1.

www.libtool.com.cn

Cæsar quum quosdam ornare voluit, non illos honestavit, sed ornamenta ipsa turpavit[4]. *Hieronymus, super obitu Paullinæ.*

Nihil esse, quod sit manibus humanis laboratum, quod non aliquando ad interitum redigatur, vel injuria hominum, vel ipsa confectrice omnium vetustate. *Lactantius*, VII, 11.

Hoc miror enim, querorque, hominem ita pessumdare verbis alterum velle, ut etiam navem perforet, in qua ipse naviget. *Quintilianus*, VIII, 6.

...Feminas omnes ubique visu nocere[5], quæ duplices pupillas habeant. *Plinius*, VII, 2.

...In nuce inclusam Iliada, Homeri carmen, in membrana scriptum. *Id.* VII, 21.

Gladiatores invisos[6] habemus, si omni modo vitam impetrare cupiunt; favemus, si contemptum ejus præ se ferunt. *Seneca, de Tranquillitate animi, c.* 11.

O miserum, cui peccare licebat! *Augustinus, de Civit. Dei*, V, 27; *Marc. Cap. p.* 426.

4. *Ornamenta ipsa turpavit.* Sic in fragm. Sallust. Histor. I, « honorum omnium dehonestamentum ». Olim postea legebatur fragmentum a Lactantio, V, 11, « Etenim si nemo est ... corpore ». Quod Maius satis probabiliter ad quarti de Rep. libri initium retulit. Ed.

5. *Visu nocere.* Hæc in Academicis locum habere debebant, eo certius, quod paullo inferius Plinius plura ex eodem auctoris nostri opere mutuatur. Infra legebatur ex eodem Plinio, XIII, 3, XVII, 5 : « Unguenta gratiora esse, quæ terram, quam quæ crocum sapiant »; quod de Orat. III, 25, est desumptum. Ed.

6. *Gladiatores invisos habemus, si omni modo vitam*, etc. Forsan Seneca Ciceronis pro Milone, cap. 34, sententiam pressius retulit. Infra erat ex eodem Seneca, Ep. 49, « negat Cicero ... lyricos », quod Maius ad Reip. lib. IV, 9 retulit, et ex Ammiano Marcellino, XV, 5, « et quamquam ... revocatur », quæ ad primam primi libri lacunam spectare videntur; et illa Plinii sententia « in libris de Rep. Platonis se comitem profitetur; in Consolatione de morte filiæ, Crantorem, inquit, sequor, item Panætium de Officiis », quum verba Ciceronis, « Crantorem sequor », jam in fragmentis Consolationis sint recitata. Ed.

Digitized by Google

Philosophiam[7] dii paucis quibusdam veram dederunt. *Augustin. ibid.* XXII, 22.

Arcera[8]. *Nonius*, I, 270.

....Forem[9].... *Fortunatianus.*

Hippocrates, nobilissimus medicus, scriptum reliquit, quosdam fratres, quum simul ægrotare cœpissent, et eorum morbus eodem tempore ingravesceret, eodem levaretur, gemmos esse suspicatum. *August. de Civit. Dei*, V, 2.

Quum parcere, vel lædere potuissem, ignoscendi quærebam causas, non puniendi occasiones; quod judicis lenti et considerati est proprium. *Ammianus Marcellinus*, XV.

Infelices esse, qui omnia sibi licere existimarent. *Ammianus Marcellinus*, XXVI.

Erythræo[10] oppido superpositum montem Mimanta. *Id.* XXXI.

....De plebeia fæce sellulariorum[11]. *Augustinus, contra Pelag.* II, *c. ult.*

Qui fuit locus religiosissimus, is erit desertissimus; et custodia sacrorum non honoris, sed oneris existimabitur. *Charisius*, IV, *p.* 251; *Diomedes*, II, *p.* 441.

Lex Dei præclara et divina semper, quæ recta et

7. *Philosophiam dii paucis quibusdam.* Fortasse ex Hortensio desumptum. Ed.

8. *Arcera.* Plaustrum rusticum tectum. Sequebatur e Nonio sententia, « existimavi ... retulissem », quæ ad verbum de Offic. II, 1, invenitur; e Divo Augustino, « nulla sunt ... nomine », quæ in prima Verrina secundæ Action. cap. 15 legitur. Ed.

9. *Forem.* Alii *ferem*, aut *fœcem.* Sequebatur e Servio ad Æn. V, 546, phrasis a Maio ad cap. 3 libri quarti de Rep. relata; et alia ex eodem ad Æneid. VI, 877 in ejusdem fragmentis incertis reposita. Quod ad aliud ejusdem attinet ad Georg. III, 125: « de accusatore lege quinta dicta », idem est ac Philargyrii « dictatore L. Quintio dicto », et de Rep. II, 37 repositum. Ed.

10. *Erythræo oppido superpositum*, etc. In Ionia. Conf. Plin. Hist. Nat. V, 29. Ed.

11. *Sellulariorum.* Qui semper sellæ affixi laborant. Sæpius hoc verbum usurpatum invenitur de infimo opificum genere. Ed.

Digitized by Google

honesta jubet, vetat prava et turpia; cui parentem sanctissimæ ac certissimæ legi, juste ac legitime necesse est vivere. *Lactantius*, VI, 24.

Atque adeo in plerisque civitatibus intelligi potest, acuendæ virtutis gratia, aut quo libentius reipublicæ causa periculum adiret optimus quisque, virorum fortium memoriam honore deorum immortalium consecratam. *Id.* I, 15.

Ructaretur. *Festus*, *voc. ructare.*

Tesqua[12]. *Id. in voce.*

Seps[13]. *Ausonius*, *de Monosyllabis.*

Plure venit. *Charisius*, I, *p.* 84; II, *p.* 189.

Romanum fuisse civem Nævium Pollionem, pede longiorem, quam quemquam longissimum. *Columella*, III, 8.

Mausolus, rex terræ Cariæ[14]. *Aul. Gell.* X, 18.

Quoniam utraque earum sententiarum doctissimos habuit auctores, nec, quid certi sit, divinari potest[15].... *Lactantius*, VII, 8.

....P. Ventidium[16] mulionem castrensem suffarraneum fuisse. *Plinius*, VII, 43.

Formicas solipugas[17]. *Id.* XXIX, 4.

12. *Tesqua.* Loca auguriis designata. Forsan hæc ad libros de Auguriis referebantur. Ed.

13. *Seps.* Ausonius ait: « Bucolico *sepes* dixit Maro, cur Cicero *seps* ». Videtur ad Prognosticorum versum alludere « adaugescit scopulorum sepe repulsus ». Ed.

14. *Rex terræ Cariæ.* Forsan ex ipso A. Gellio veniunt. Huic fragmento præferebant duo ex Donato, quorum unum « comœdia ... veritatis », ad lib. IV, 11 de Rep. refertur; alterum, « non solum videam, sed etiam audiam, planeque sentiam », ex Catilin. I, 3 corruptum apparet. Sequebantur duo versus, qui in carminum collectaneis melius leguntur. Ed.

15. *Nec, quid certi, divinari potest.* De animi immortalitate hoc in loco agere eum testatur Lactantius, Div. Inst. Ed.

16. *P. Ventidium mulionem castrensem suffarraneum*, etc. Sic ad Plancum, ep. X, 18: « Ventidiique Mulionis castra despicio », quem locum adi. Ed.

17. *Solipugas.* Scilic. venenatas. Alii, « solipungas », alii, « solivagas ». Ed.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

Mustella catulos suos quotidie transfert, mutatque sedem. *Id. ibid.*

Animalia biuros vocari, qui vites in Campania erodant. *Id.* XXX, 15.

Cicero in admirandis[18] posuit, Reatinis tantum paludibus ungulas jumentorum indurari. *Id.* XXXI, 2.

Quædam terræ imbribus sicciores fiunt, veluti in Narniensi agro, quod admirandis suis inseruit M. Cicero; siccitate lutum fieri prodens, imbre pulverem. *Id.* XXX, 4.

Romam conditam[19] olympiadis sextæ anno tertio. *Solinus*, I, 27.

O te felicem, M. Porci, a quo rem improbam nemo petere audet! *Plinius, Præfat.*

18. *In admirandis.* Nempe iste erat liber, in quo de prodigiosis tractabat Cicero, ut Græci multa περὶ θαυμασίων inscripsere. Isidorus, XIII, 13, idem habet. Ed.

19. *Romam conditam olympiadis sextæ anno tertio.* Cicero de Republica, II, 10: « Roma condita est secundo anno olympiadis septimæ ». Quod magis cum ceteris auctoribus, ut in re obscura et addubitata, concordat. Ed.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

IV

M. T. CICERONIS

FRAGMENTA

EX POEMATIS

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

M. T. CICERONIS

www.libtool.com.cn

FRAGMENTA

EX POEMATIS.

M. T. CICERONIS EX ARATO PHÆNOMENA.

AB Jove[1] Musarum primordia. *Cic. de Legibus*, II, 3.

Cetera labuntur celeri cælestia motu,
Cum cæloque simul noctesque diesque feruntur.
De Nat. Deor. II, 41.

Extremusque[2] adeo duplici de cardine vertex
Dicitur esse polus.....
Ex his altera apud Graios Cynosura vocatur,
Altera dicitur esse Helice.....
Quas nostri septem soliti vocitare triones[3].....

1. *Ab Jove.* Exordium hoc in libro de Leg. II, 3, et de Rep. I, 36, recitat Cicero. Si cui autem libeat Germanici et Avieni versus cum hisce conferre, statim pateat quanto præstet auctor noster. Ut vero a paucis discat omnes, sic orditur Germanicus: « Ab Jove principium magno deduxit Aratus Carminis; at nobis, genitor, tu maximus auctor; Te veneror, tibi sacra fero, doctique laboris Primitias. Probat ipse deum rectorque satorque, etc. » Multo laxius Festus Avienus: « Carminis inceptor mihi Jupiter; auspice terras Linquo Jove: excelsam reserat dux Jupiter æthram; Imus in astra Jovis monitu; Jovis omine cælum Et Jovis imperio mortalibus æthera pando ». Ex quinto autem Arati versu dixit Divus Paulus ad Athenienses, Act. XVII, 28: Ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμέν· ὡς καί τινες τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι. Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Ed.

2. *Extremusque.* Ejus axis, qui unus motu caret, dum cælestia cetera motu continuo moventur, extremitates duæ, poli dicuntur. Ed.

3. *Triones.* Versum hunc addidit Cicero, quem nec in Arato, nec in posterioribus interpretatoribus invenias, quippe qui ad latinum verbum alludat. Porro triones, ait Varro, boves appellantur a bubulcis etiam nunc,

Digitized by Google

Hac fidunt duce[4] nocturna Phœnices in alto:
Sed prior illa[5] magis stellis distincta refulget,
Et late prima confestim a nocte videtur:
Hæc vero parva est; sed nautis usus in hac est.
Nam cursu interiore brevi convertitur orbe. *Ibid.*

Has inter[6], veluti rapido cum gurgite flumen,
Torvu' Draco serpit, subter superaque revolvens
Sese, conficiensque sinus e corpore flexos. *Ib.* II, 42.
Huic non una modo caput ornans stella relucet:
Verum tempora sunt duplici fulgore notata,
E trucibusque oculis duo fervida lumina flagrant,
Atque uno mentum radianti sidere lucet.
Obstipum caput[7], et tereti cervice reflexum,

maxime quum arant terram... quasi terriones, vel a detritu. De Ling. Lat. VI, 4. Ed.

4. *Hac fidunt duce.* Hæc de Cynosura dicuntur, quam post Helicem videtur Cicero descripsisse, illo quidem fortassis sensu, quem ipse significat verbis aliis l. II de Nat. Deor. « quum, inquit, paribus stellis similiter distinctis, eumdem cæli verticem lustrat parva Cynosura ». « Hac fidunt duce, etc. » Quem versum sic refert Lucullus apud eumdem, lib. II Academ. « Qua fidunt duce, etc. » Sed nimirum illo quidem in loco filum orationis sequitur. Sic enim integer locus habet: « Ego vero ipse, et magnus quidem sum opinator: non enim sum sapiens, et meas cogitationes sic dirigo, non ad illam parvulam Cynosuram, Qua fidunt duce nocturna Phœnices in alto, ut ait Aratus, eoque directius gubernant, quod eam teneant, Quæ cursu interiore brevi convertitur orbe; sed ad Helicen et clarissimos Septemtriones, id est, rationes has latiore specie non ad tenue elimatas ». Græcum Arati carmen, quod huic respondet, sic habet, Τῇ δ' ἅρα Φοίνικες πίσυνοι, περόωσι θάλασσαν. Patr.

5. *Sed prior illa.* Helicen significat. — *Hæc vero parva est.* Cynosuram intelligit. De utraque, quod quidem Cicero expresserit, sic Aratus græce: Ἀλλ' ἡ μὲν καθαρὴ καὶ ἐπιφράσσασθαι ἑτοίμη Πολλὴ φαινομένη ἑλίκη, πρώτης ἀπὸ νυκτός· Ἡ δ' ἑτέρη, ὀλίγη μὲν, ἀτὰρ ναύτῃσιν ἀρείων Μειοτέρη γὰρ πᾶσα περιστρέφεται τροφάλιγγι. Patr.

6. Citavit hoc fragmentum bis etiam Priscianus, XIV, pag. 403, sub fin. ubi de præpositionibus loquens ait: « Quædam etiam syncopam passæ sunt, ut *supra* pro *supera*, et *infra* pro *infera*, et *extra* pro *extera*. Nam antiqui trisyllaba ea proferebant, ut Cicero in Arato: *Torvu' Draco serpit subter, superaque retorquens sese* ». *Retorquens* pro vulgato *revolvens* habet Priscianus etiam in altero loco, ubi hunc versum attulit. Edd. quædam legunt *repit* pro *serpit*. Grotius maluit « sinus e corpore flexo » pro *flexos*. Wernsd.

7. *Obstipum caput... figere dicas. Obstipum caput* (λόξον κάρη) est obli-

Digitized by Google

Obtutum in cauda majoris figere dicas...
Hoc caput[8] hic paullum sese, subitoque recondit,
Ortus ubi atque obitus parte admiscentur in una....
Attingens[9] defessa velut mœrentis imago
Vertitur.....
Ἐγγόνασιν[10] vocitant, genibus quod nixa feratur....
Hic illa eximio posita est fulgore Corona[11]....
.....propter, caput Anguitenentis,
Quem claro perhibent Ὀφιοῦχον nomine Graii....

quum, in alterum humerum reclinatum, « et tereti cervice reflexum ». Horat. Serm. II, 5, 92 : « Davus sis comicus, atque Stes capite obstipo ». Persius, Sat. III, 80 : « non ego curo Esse quod Arcesilas, æruminosique Solones, Obstipo capite et figentes lumine terram ». Male vulgo interpretantur *obstipum* caput, fixum, immobile. Vid. Grot. ad h. l. pag. 72. Reposuit idem recte « In caudam ». Apud Aratum : ἄκρην εἰς Ἑλίκης οὐρήν. Edd. quædam « In cauda », male. Wernsd.

8. *Hoc caput.* Versibus his, præterquam quod mendum subesse videtur, nullus sensus inest, qui Arateos sensus exprimat. Germanicus melius : « hac radiatur Serpentis declive caput, qua proxima signa Occasus, ortusque uno signantur ab ore ». Forsan autem Ciceronem decepit Attali mathematici opinio, qui A. C. 130 Phænomena Aratea est interpretatus, eoque in loco erravit. Aj.

9. *Attingens defessa velut mœrentis imago.* Grotius exhibuit : « Quod tangens », non bene. *Attingens* positum pro *proxima* aut *vicina.* — Hoc sensu Cæsar, de Bell. Gall. I, cap. 1 : « Attingit a Sequanis et Helvetiis flumen Rhenum ». Ed. — Objecit Grotius Ciceroni, quod non recte hic expresserit Arateum μογέοντι ἀνδρὶ ἐοικὸς per « defessa velut mœrentis imago ». Arbitrabatur Davisius, Ciceronem in mente habuisse figuræ cælestis historiam secundum Panyasin in scholiis ad Aratum, in Avieni paraphrasi, Eratosthenis Catasterismis, cap. 4, et Hygini Astron. II, 6 relatam; quo tamen non opus est confugere. Multo minus emendandum cum Buhelio, « morientis imago », quæ lectio longius adhuc ab Arati verbis recederet. Expressit Cicero versum Arateum eodem modo, quo Germanicus : « Effigies inde est defecta labore »; nec causam video, cur aliquid in Ciceronis versu mutemus. Non recte videtur Grotius *mœrentis* ad μογέοντι traxisse; respondet huic potius « defessa imago ». Conf. Schaub. V. C. ad Eratosth. Cataster. pag. 76, et ibid. Ill. Heyn. pag. 18. Wernsd.

10. Ἐγγόνασιν. Sæpius sidus hoc *Geniculatum* vocant Romani, aut *Ingeniculatum* (Vitruv. IX, 4), aut etiam « nixum in genibus, innixum » (Vitruv. ibid. Germ. 68; Avien. 205). Porro Herculem esse contendit Eratosthenes, qui viginti prope annis post Aratum scripsit. Idem facit Ptolemæus. Aj.

11. *Corona.* Ariadnæa, quam recentiores Borealem vocant, ut ab Australi distinguatur, quæ ad Zodiaci pedes jacet. Priorem tantum noscebat Aratus. Aj.

Digitized by Google

Huic supera[12] duplices humeros affixa videtur
Stella micans, tali specie, talique nitore.....
Hic pressu duplici palmarum continet anguem,
Ejus et ipse manet religatus corpore toto :
Namque virum medium serpens sub pectora cingit.
Ille tamen nitens graviter vestigia ponit,
Atque oculos urget pedibus, pectusque Nepai[13]....
Arctophylax, vulgo qui dicitur esse Bootes,
Quod quasi temone adjunctam præ se quatit Arcton.
..... subter præcordia fixa tenetur
Stella micans radiis, Arcturus nomine claro.
..... sub pedibus[14] profert finita Booti,
Spicum[15] illustre tenens, splendenti corpore Virgo...

De Nat. deor. II, 42.

Malebant tenui[16] contenti vivere cultu.

Lactant. V, 5.

Ferrea tum vero proles exorta repente est,
Ausaque funestum prima est fabricarier ensem,
Et gustare manu victum domitumque juvencum.

De Nat. deor. II, 63.

Deseruit propere terras justissima Virgo,
Et Jovis in regno, cælique in parte resedit.

Lactant. V, 5.

Tertia sub caudam ad genus ipsum lumina pandit.

Priscianus, VI, *p.* 685.

12. *Huic supera.* Aliunde hæc addita, « Huic... nitore », nempe e Prisciano, XIV, p. 1901. J. V. L.

13. *Nepai.* A Nepa, quæ vox idem sonat ac *Scorpius*, et Festo videtur ab Africana lingua derivata ; quum etiam nunc in Ambaro sermone, qui Abyssinorum est, usurpetur. Az.

14. Versus hic e Prisc. VI, p. 706.

15. *Spicum.* Serv. ad G. I, 111 : « Dicimus autem *hoc spicus* et *hoc spicum* ».

16. *Malebant tenui.* Ex Lactantio desumptum, qui sic describit lib. V, cap. 4 Divin. Instit. « Saturno, inquit, regnante, nec dissensiones erant, nec inimicitiæ, neque bella : neque ulli omnino gladii, qui nudarentur, fuerunt. Quis enim præsente ac vigente justitia, aut de tutela sui, quum nemo insidiaretur, aut de pernicie alterius cogitaret, quum nemo quidquam concupisceret? Malebant tenui contenti vivere cultu, ut Cicero in suo ait Arato, etc. » Pata.

Digitized by Google

Et natos Geminos[17] invises sub caput Arcti.
Subjectus mediæ est Cancer; pedibusque tenetur
Magnu' Leo[18], tremulam quatiens e corpore flammam.

De Nat. deor. II, 43.

Hoc motu radiantis, Etesiæ[19] in vada ponti....

Cic. Orat. c. 45.

Navibus absumptis, fluitantia quærere aplustra[20]....

Priscianus, VII, *p.* 769.

Sub læva[21] Geminorum obductus parte feretur:
Adversum caput huic Helice truculenta tuetur;
At Capra lævum humerum clara obtinet.....
Verum hæc est magno atque illustri prædita signo:
Contra Hædi exiguum jaciunt mortalibus ignem.....
Corniger est valido connixus corpore Taurus[22].....

17. *Geminos.* Castorem et Pollucem, sive Dioscuros. Cf. Eratosth. cap. 10; Plin. H. N. II, 15.

18. *Magnu' Leo.* Dies caniculares vocantur, tum quum sol per signum Leonis transit, quod A. C. 150 Sirius apparuit, paullo ante Solem in Leonis signum intrantem. Qui usus invaluit, quamquam nunc Sirii matutinus ortus cum sole non congruit, et tantum circa 10 augusti diem apparet. AJ.

19. *Etesiæ.* De Etesiis Gell. lib. II, cap. 22. De iisdem autem Cicero ipse sic lib. II de Nat. Deor. «Quam tempestivos, inquit, dedit natura, et quam salutares non modo hominum, sed etiam pecudum generi, iis denique omnibus, quæ oriuntur e terra, ventos Etesias? quorum flatu nimii temperantur calores, ab iisdem etiam maritimi cursus, celeres et certi diriguntur». PATR.

20. *Aplustra.* Quid sint aplustra, sic docet Festus: «Aplustra, inquit, navium sunt ornamenta: quæ quia erant amplius quam essent necessaria usui, etiam amplustra dicebantur». Memini autem et Lucretium, præter ceteros, aplustrium sic facere mentionem lib. IV: «At maris ignaris in portu clauda videntur Navigia, aplustris tractis obnitier undis». Et Juvenal. Sat. X: «victæque triremis Aplustra, et summo tristis captivus in arcu, Humanis majora bonis creduntur». PATR.

21. *Sub læva Geminorum*, etc. De Auriga sermonem esse testantur Aratei versus et ipse Cicero in libro de Nat. Deor.

22. *Taurus.* De sideris hujus origine contendunt grammatici. Cf. Eratosth. 14; Hygin. p. 212, et schol. German. et Avien. Vocant Latini nunc Taurum, nunc Bovem. Et Ovid. Fast. IV, 717: «Vacca sit an taurus, non est cognoscere promptum; Pars prior apparet, posteriora latent. Seu tamen est taurus, sive est hoc femina signum, Junone invita, munus amoris habet». Quod ut intelligatur, necesse est meminisse posteriores pedes ac partes tauri in cælestibus globis non describi. AJ.

www.libtool.com.cn
Digitized by Google

Has Græci stellas Hyadas vocitare suerunt.....
Namque ipsum ad tergum Cynosuræ vertitur Arcti...
Obscura specie stellarum Cassiopea[23].....
Hanc autem illustri versatur corpore propter
Andromeda, aufugiens[24] adspectum mœsta parentis.
Huic Equus ille jubam quatiens fulgore micanti
Summum contingit caput alvo; stellaque jungens
Una, tenet duplices communi lumine formas,
Æternum ex astris cupiens connectere nodum.....
Exin contortis Aries cum cornibus hæret.

De Nat. deor. II, 43.

....

E quibus[25] hunc[26] subter possis cognoscere fultum.
Jam cæli mediam partem terit, ut prius illæ
Chelæ, tum[27] pectus quod cernitur Orionis.
Et prope conspicies parvum sub pectore claro
Andromedæ signum, Deltoton dicere Graii
Quod soliti, simili quia forma litera claret:
Huic spatio ductum simili latus exstat utrumque;
At non tertia pars lateris: namque est minor illis,
Sed stellis longe densis præclara relucet.
Inferior paullo est Aries, et flamen ad Austri
Inclinatior; atque etiam vehementius illo
Pisces[28], quorum alter paullo prælabitur ante,

23. *Cassiopea.* Alii, ut passim, *Cassiepea*, e græco, Κασσιέπεια.

24. Melius MSS, « Andromede fugiens ».

25. Incipit continuus textus e MSS.

26. *Hunc.* Vulg. *hinc.* Turneb. Adv. VIII, 17, emendat, « Cominus hanc ambter » J. V. L.

27. *Tum.* Vulg. *quum.* Dein pro *quod* al. malunt *quæ*, al. *quoque*.

28. *Pisces, quorum alter.* Hic versus cum sequenti etiam in lib. II de Nat. Deor. reperitur, nullo discrimine, nisi quod pro *korrisonis* ibi legitur *korriferis*. Quod quoniam sæpe evenit, ut hæc Aratea aliter hoc atque illo loco a Cicerone ipso recitentur, existimandum est (nisi alicubi filo ipsi orationis obsequitur) aut varietate lectionis proponenda laxuriare ipsum, aut vero, quod mihi quidem magis est verisimile, emendatiora a viro jam facta recitari, quæ olim minus exacte ab adolescentulo conversa fuerant. Vere enim dicitur, discipulum esse prioris posteriorem diem. Et sane cre-

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

Et magis horrisonis[29] Aquilonis tangitur alis.
Atque horum e caudis duplices velut esse catenæ
Dicuntur; sua diversæ per lumina serpunt,
Atque una tandem in stella communiter hærent,
Quam veteres soliti cælestem dicere Nodum.
Andromedæ lævo ex humero si quærere[30] perges,
Appositum poteris supra cognoscere Piscem.
E pedibus[31] natum summo Jove Persea vises,
Quos humeris retinet defixo corpore Perseus;
Quem summa ab regione Aquilonis flamina pulsant.
Hic dextram ad sedes intendit Cassiopeæ,
Diversosque pedes, vinctos talaribus aptis,
Pulverulentus[32] uti de terra lapsu' repente
In cælum victor magnum sub culmine[33] portat.

dibile est Aratea hæc sæpius Ciceronem refinxisse. Unde quoque factum, existimo, ut ab Hygino et Prisciano aliter quoque permulta recitentur, quam hic leguntur. Patr.

29. Cic. de Nat. Deor. II, 43, habet « horriferis... auris ».

30. *Si quærere perges*. Ed. Ald. et Victor. « si qua exere perges ». Hinc exculpsit Morellius lectionem : « si quæsere perges ». Est autem *quæsere* antiqua forma verbi *quærere*, sæpius apud Ennium atque etiam Apuleium obsoleta venantem obvia. Vide Grot. ad h. l. Dedit tamen archaismum Morellius sine causa; nam ex Aldina scriptura *qua exere* etiam *quærere* et facilius quidem exsculpere poteris. Prætulerunt *quærere* Lambinus et Grot.

31. *E pedibus natum summo Jove Persea vises*. Edd. Ald. Victor. Lamb. « E pedibus vatum summo Jove Perseus es », nullo sensu. Turneb. emendavit : « E pedibus varum », quod non tam legisse videatur Cicero γαμβροῦ, sed σκαμβροῦ. Nihil ad rem. Nostram lectionem restituit Grotius. Consentit cum ea lectio cod. MS a Grutero collati et Lugd. Batavi, qui posterior habet *visa est* pro *vises*. Wernsd. — Sensus est : E lævo humero Andromedæ poteris piscem cognoscere; ibi enim situs est. Ex pedibus autem ejusdem, Persea cognosces : is enim pedes Andromedæ humeris retinet. Ed.

32. *Pulverulentus uti de terra*, etc. ex emendatione Grotii, quam confirmant codd. Gruteri et Lugd. Batav. Turneb. emendaverat « Pulverulentus uti, de terra lapsu' repente In cælum victor, magno sub culmine portat ». Cf. not. ad Arat. Phæn. 253, Buhl. vol. I, pag. 406. Wernsd. — *Pulverulentus uti*, h. e. habitu cursoris qui pulverem in stadio collegerit. Sic enim effingitur Perseus. Ed.

33. *Sub culmine*. Hisce in versibus Cicero paullulum immutavit Arateam sententiam, quæ hæc est : « veluti vestigia distendit, permensus Jovem patrem, i. e. æthera ». Cicero, dum exacte minus Aratum interpretatur, illud tamen ingeniosissime assequutus est, ut omnino Persei habitum osten-

Digitized by Google

At propter lævum genus omni ex parte[34] locatas
Parvas Vergilias tenui cum luce videbis.
Hæ septem vulgo perhibentur more vetusto
Stellæ; cernuntur vero sex undique parvæ.
At non interiisse putari convenit unam;
Sed frustra temere a vulgo ratione sine ulla
Septem dicier, ut veteres statuere poetæ,
Æterno cunctas ævo qui nomine dignant[35],
Alcyone, Meropeque, Celæno, Taygeteque,
Electra, Steropeque, simul sanctissima Maia.
Hæ tenues parvo labentes lumine lucent;
At magnum nomen signi, clarumque vocatur,
Propterea quod et ætatis[36] primordia clarat,
Et post, hiberni præpandens temporis ortus,
Admonet, ut mandent mortales semina terris.
Inde Fides leviter posita et convexa[37] videtur,
Mercurius parvus manibus quam dicitur olim
Infirmis fabricatus, in alta sede locasse.
Quæ genus ad lævum[38] Nixi delapsa resedit[39],
Atque inter flexum genus, et caput Alitis hæsit.
Namque est ales avis, lato sub tegmine cæli
Quæ volat, et serpens geminis secat aera pennis.
Altera pars huic obscura est, et luminis expers;

deret, qui de terra lapsus, sive profectus ad summum cæli culmen pervenit, gallice, « vers son point de culmination au méridien ». Aj.

34. *Omni ex parte.* Legendum putat J.V.L. « una in parte » ex Arato, ὁ δ' οὐ μάλα πολλὸς ἁπάσας χῶρος ἔχει. Ed.

35. *Dignant.* Vet. cod. *signant.*

36. *Et ætatis.* Victorius maluit, « ad æstatis primordia claret ».

37. *Convexa.* Al. legunt hic, et de Nat. Deor. II, 44, *connexa.* Placebat Grotio *convecta.* Minus apta vox.

38. *Quæ genus ad lævum.* Priscian. lib. VI: « Hoc genus ». Alii legunt « Quæ genus »; alii, « Quod genus ». Ego quod propius ad lectionem Prisciani, et sententiam, accedere videbatur, id reposui. Pro *Nisi* olim legebatur *Nixi.* Appellat autem Cicero Nisum, vel Nixum, imaginem illam carentem nomine, de qua sic superius dixerat: Engonasim vocitant, genibus quia nixa feratur. Patr.

39. *Delapsa resedit.* Hisce optime Aratum est interpretatus Cicero; Germanicus et Avienus multo obscurius.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

Altera nec parvis, nec claris lucibus ardet,
Sed mediocre jacit quatiens e corpore lumen.
Hæc dextram Cephei dextro pede pellere palmam
Gestit : jam vero clinata est ungula vehemens
Fortis Equi propter pennati corporis alam.
Ipse autem labens mutis[40] Equus ille tenetur
Piscibus : huic cervix dextra mulcetur Aquari.
Serius hæc obitus terrai visit[41] Equi vis,
Quam gelidum valido de corpore frigus anhelans
Corpore semifero[42] magno Capricornus in orbe :
Quem quum perpetuo vestivit lumine Titan[43],
Brumali flectens contorquet tempore cursum[44].
Hoc cave te ponto studeas committere mense :
Nam non longinquum spatium labere diurnum;
Non hiberna cito volvetur curriculo nox;
Humida non sese vestris aurora querelis

40. *Mutis.* Sic Turnebus, probante Grotio. Vulg. *multis.* J. V. L.

41. *Serius hæc obitus terrai visit Equi vis.* Apud Aldum legitur : « Serius hæc obitus terrai jussit equinis », sine ullo sensu. Quare fuerunt, qui versum omnino delendum putarent, et versu subsequenti pro « Quam gelidum » legerent « Tum gelidum ». Sed restitui potest integritati versus. Cod. Lugd. Batav. habet « terræ pervisit ». — *Equinis* Turnebus ingeniose mutavit in « Equi vis », quod idem in mentem venit Grotio, fuse ceteroquin de mente Arati in his versibus omnino disputanti. Wernsd.

42. *Semifero.* Buhl. de Nat. Deor. II, 44 : « interpretes Ciceronis litem moverunt de lectione vulgata *semifero*, quum Capricornus non *semiferus*, sed *ferus* fuerit dicendus; et recte quidem illi. Credidi ego aliquando legendum *squamifero;* nunc legendum videtur *setifero*, quod Avieno etiam videtur lectum; dicit enim « hispida setosi marcet facies Capricorni ». Respondet Pingræus Capricornum, quum hircus superne in piscem desinat, semiferum posse vocari; et contra Bentleium concludit ex Cicerone et Manilio, V, 189, ferarum nomen ad pisces derivari posse. Ed.

43. *Titan Brumali flectens contorquet tempore currum.* Turn. Advers. XII, 17, « quum torquet »; sed recte Grotius vulgatum *contorquet* defendit. Idem quoque maluit *currum* pro *cursum*, ut vulgo. Vix dici potest « cursum contorquere ». Cod. Lugd. Batav. legit *curvum*, quod aperte vitiose exaratum est pro *currum*, et similem ortum habet mendum apud Priscianum, qui legit *corvum*. Receperunt quoque *currum* jam plures recentiores Arati Ciceroniani editores. Wernsd. — Pingr. vero *cursum*. Ed.

44. *Cursum.* Verior lectio, *currum*, de Nat. Deor. II, 44.

Digitized by Google

Ocyus ostendet, clari prænuntia solis.
At validis æquor pulsabit viribus Auster;
Tum fixum tremulo quatietur frigore corpus.
Sed tamen anni jam labuntur tempore toto[45],
Nec cui signorum cedunt, neque flamina vitant,
Nec metuunt canos minitanti murmure fluctus.....
Atque etiam supero[46], navi pelagoque vagato,
Mense, Sagittipotens solis quum sustinet orbem.....
Nam[47] jam tum nimis exiguo lux tempore præsto est.

45. *Sed...tempore toto.* Vix puto locum recte habere. Est enim sensus: Quamquam hoc tempore navigatio periculosissima sit, tamen jam usus obtinuit, ut naves vel nautæ labantur, id autem est navigent, toto anni tempore. At sic quidem, ut vulgo legitur, verbo personali, *labuntur,* nullus additus est nominativus. Hæc ita hactenus scripseram, quum deinde Aldi librum accipio, in quo ita scriptum est: « Sed tamen jam anni labuntur tempore toto ». Videndum igitur an legi possit, « Sed nautæ jam anni », vel, « Sed naves jam anni, etc. » Frustra. PATR.

46. *Atque etiam supero...quum sustinet orbem,* etc. Sunt utique hi versus depravatissimi. Sensus qualis esse debeat, constat ex Arato: Multa in priori mense mari passus, arcum quando Sol incendit et rectorem arcus, sub vesperam navem reducito, fidens non amplius nocti. Patet hinc, excidisse in Ciceronis Arato versum, quem Grotius sic explere conatus est: « Subducas fessam, veniet quum vespera, navim ». Dum autem ignoramus, quomodo ipse Cicero hæc expresserit, difficile est, etiam versus exstantes priores ad integritatem revocare, in primis quum codd. mire varient. Claud. Puteanus e Cod. Paris. legit: « supera navi pelagoque vagantur ». Sic quoque Cod. Lugd. Batav. Turnebus: « haud supera navi pelagoque vagator ». Docet autem Lambinus, *vagato* sæpius dici pro *vagator,* ut apud Lucretium. Grotius emendavit: « Atque etiam supero endo mari pelagoque vagatus Mense, Sagittipotens solis quum sustinet orbem ». Displicet mihi in hac emendatione « mare pelagusque » conjunctum, licet etiam in vulgata lectione in « navi pelagoque » hæream. Igitur quidem satius habui, vulgatum reddere, quale reperi, nisi quod altero versu cum Grotio exhibui « quum sustinet » pro « tum sustinet ». « Supero mense » dictum pro *superiori,* ut apud Arat. ἐπὶ προτέρῳ. WERNSD.

47. *Nam.....præsto est.* Vulgo: « Nam jam quum minus, etc. » Turnebus et Grotius correxerunt: « Nam jam tum minus ». Sed recepi lectionem codd. Lugd. Bat. et Paris. a Puteano excerptam atque etiam aliis viris doctis probatam. Sensus est hic: « Hoc tempore navigatur toto anno, neque solum mense, quo Sol est in Capricorno (i. e. Januario), verum etiam quum Sol est in Sagittario (Decembri). Jam tum enim dies breviores sunt. WERNSD. — Pingr. habet « Nam jam tum nimis exiguo lux tempore præsto est ». ED.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

Hoc signum veniens poterunt prænoscere nautæ:
Jam prope præcipitante licebit visere nocte,
Ut sese ostendens emergit Scorpius alte,
Posteriore trahens flexum vi corporis arcum...
Jam supra cernes Arcti caput esse minoris,
Et magis erectum ad summum versarier orbem.
Tum sese Orion toto jam corpore condit
Extrema prope nocte, et Cepheus conditur ante,
Lumborum tenus, a palma depulsus ad undas.
Hic[48] missore vacans fulgens jacet una Sagitta,
Quam propter nitens penna convolvitur Ales,
Et clinata magis paullo est Aquilonis ad auras.
At propter se Aquila ardenti cum corpore portat,
Igniferum mulcens[49] tremebundis æthera pennis,
Non nimis ingenti cum corpore[50], sed grave mœstis
Ostendit nautis perturbans æquora signum.
Tum magni curvus Capricorni corpóra[51] propter
Delphinus jacet, haud nimio lustratu' nitore,
Præter quadruplices stellas in fronte locatas,
Quas intervallum binas disterminat unum.
Cetera pars latet, ac tenui cum lumine serpit.

48. *Hic missore vacans fulgens jacet una Sagitta*, etc. Bene restituit Morellius. Edd. Ald. et aliæ: «Hic misso revocans, etc.» Avienus: «Inscia nam domini est». Approbarunt Morellii emendationem Turnebus, Lambinus et Grotius. Wrnsd.

49. *Ign. m. trem. æthera pennis.* Edd. quædam *mulgens;* ridicule, ut recte notat Grotius. Jam supra habuimus, vs. 291: «Huic cervix dextra mulcetur Aquari». Ceterum deest versus in codd. Paris. et Lugd. Bat. teste Puteano, nec respondet illi versus græcus; quare interpolationis suspicionem incurrit. Wrnsd.

50. *Non nimis ingenti cum corpore.* Ita jam dedit Morellius, etiam suffragantur codd. Puteani, Leid. et Grotius. Aratus: οὐ τόσσος μεγέθει. Male in edd. vett. «Non minus ingenti cum corpore» (quod tamen dedit Pingr. Ed.) Grotius post versum sequentem unum vel duo versus excidisse putat, aut Ciceronem non intellexisse Arateum illum: Χαλεπὸς γέ μεν ἐξ ἁλὸς ἐλθεῖν, Νυκτὸς ἀπερχομένης· καί μιν καλέουσιν Ἀητόν. Wrnsd.

51. *Corpora.* Al. *cornua.* Paullo infra Pingræus loco «Delphini fusa» correxit «jam pertractanda», nullo auctore. Ed.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

Illæ[52] quæ fulgent luces ex ore corusco,
Sunt inter partes gelidas Aquiloni' locatæ,
Atque inter spatium et læti vestigia solis.
At pars inferior Delphini fusa videtur
Inter solis iter, simul inter flamina venti,
Viribus erumpit qua summi spiritus Austri.
Exinde Orion, obliquo corpore nitens,
Inferiora tenet truculenti corpora Tauri:
Quem qui[53], suspiciens in cælum nocte serena,
Late dispersum non viderit, haud ita vero
Cetera se speret cognoscere signa potesse.
Namque pedes[54] subter rutilo cum lumine claret
Fervidus ille Canis stellarum luce refulgens.
Hunc tegit obscurus[55] subter præcordia venter;

52. *Illæ quæ...ore corusco.* Grot. ad h. l. pag. 76, ita: Non prætereundum est, quod ante nos monuit Scaliger, Aratum non intellectum a Tullio adolescente. Nam Aratus hoc loco μετάβασιν facit ἀπὸ τῶν βορείων εἰς τὰ νότια. Sed Cicero per τὰ μὲν οὖν intelligit stellas in priore Delphini parte sitas, sive, ut ipse loquitur, in fronte et in ore, quum revera in ore nullæ sint, et τὰ δὲ νείσθι interpretatur partem ejus inferiorem. Ait enim: «At pars inferior Delphini fusa videtur». Sic enim legendum; non, ut vulgo, *fusca*. Aratus: κέχυται. Firmant Grotii emendationem codd. quidam Puteani et Lugd. Batav. In aliis codd. Puteanus invenit *fulsa;* quare conjecit *fulta;* sed recepta lectio Grotiana melior. In vs. 339: «Sunt inter partes gelidas Aquilone locatæ». Grotius malebat *Aquilonis;* repugnat autem metrum. Wernsd.

53. *Quem qui...nocte serena*, etc. Ita dedi ex arbitrio Grotii, in partem præeunte vetere codice et Turnebo. Aratus: μὴ κεῖνον ὅτις καθαρῇ ἐπὶ νυκτὶ ὑψοῦ πεπτηῶτα παρέρχεται, ἀλλὰ πεποίθοι Οὐρανὸν εἰσανιδὼν προφερέστερα θηήσασθαι. Cicero legisse videtur ἀλλὰ et ὅτις interpretatus est ὅστις, ut et alibi. Πεπτηῶτα *dispensum* transtulit, non *dispersum*, quod pertinaciter referunt omnes codices. Turnebus præterea malebat «Cetera ne speret». Vulgo: «Quem qui suspiciet in cælum nocte serena Late dispersum non viderit, abdita vero, etc.» absque ullo sensu. Wernsd.

54. *Namque pedes subter*, etc. Arbitratus est Cicero, Aratum ponere Canem sub pedibus Orionis, et ita quoque Avienus: «Talis et ipse virum gemina ad vestigia custos Insequitur». Sed alia fuit Arati mens, dicentis vs. 327, ἀμφοτέροισι κύων ὑπὸ ποσσὶ βεβηκώς. Intelligit Canem suis pedibus posterioribus innitentem, non sub pedibus Orionis collocatum. Wernsd.

55. *Hunc tegit obscurus*, etc. Ita restituit hunc locum Turnebus, et probat quoque Grotius. In codd. scriptum erat *ver* pro *venter*. Hinc ortæ lectiones «Vesper, vester», ut

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

Nec toto spirans[56] rabido de corpore flammam
Æstiferos validis erumpit flatibus ignes:
Totus ab ore micans jacitur mortalibus ardor.
Hic ubi se pariter cum sole in culmina cæli[57]
Extulit, haud patitur foliorum tegmine frustra
Suspensos animos arbusta ornata tenere:
Nam quorum stirpes tellus amplexa prehendit,
Hæc augens anima, vitali flamine mulcet;
At quorum nequeunt radices findere terras,
Denudat foliis ramos, et cortice truncos....

Hunc propter, subterque pedes, quos diximus ante,
Orioni' jacet levipes Lepus. Hic fugit ictus
Horrificos metuens rostri tremebundus acuti,
Curriculum numquam[58] defesso corpore sedans.
Nam Canis infesto sequitur vestigia cursu,
Præcipitantem agitans, orientem[59] denique paullum.

in edd. vett. Sed Arat. 319: ἀλλὰ κατ' αὐτὴν Γαςέρα κυάνεος περιτέλλεται. Aldus habet *obscuris* pro *obscurus*. Grotius reponi vult *tenet* aut *gerit* pro *tegit*, in quo tamen codd. conspirant. WERNSD.

56. *Nec toto spirans*, etc. Sic utique legendum. Aratus: ἀλλ' οὐ πάντα πεφασμένος. Edd. Ald. et vett. « Ver toto », vitiose. Correxit jam Morellius. Cod. Leid. « Et vero toto ». W. — *Rapido* edidit Pingr. sed mavult *rabido*. ED.

57. *Hic ubi se pariter cum sole in culmina cæli Extulit.* Sic legunt, qui melius legunt. Olim, etiam in Aldino, « Hic ubi se pariter quum solem lumina cæli Extulit ». Quod autem mox sequitur: « haud patitur foliorum tegmine frustra Suspensos animos arbusta ornata tenere », obscurius, propter duplices accusativos dictum, hanc habent sententiam: Non patitur, ut arbusta ornata foliorum tegmine, frustra teneant suspensos hominum animos, dubitantes, quæ illorum radices egerint, quæ non egerint. Apertius in græco: οὐκ ἔτι κεῖνον ἁμ' ἠελίῳ ἀνίοντα Φυταλιαὶ ψεύδονται, ἀναλδέα φυλλιόωσαι. PATR.

58. *Curriculum numquam.* Numquam sedans curriculum, id est, numquam cursum inhibens, numquam quiescens. Id autem, ut quidem ex hoc loco manifeste apparet, de Cane dicitur (cf. not. seq.), ut ex secundo de Deorum Natura libro, de Lepore. Sic enim ibi: Post Lepus subsequitur « Curriculum numquam defesso corpore sedans ». PATR.

59. *Orientem.* Illum persequitur, et quum ab oculis recedit, et simul ac oritur. Male alii versum torquent. Post hunc plerique legunt « Curriculum numquam defesso corpore sedans », quod melius supra retulit Pingræus, auctore Cicerone de Natura Deor. II. ED.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

At Canis ad caudam serpens prolabitur[60] Argo,
Conversam[61] præ se portans cum lumine puppim:
Non aliæ naves ut in alto ponere proras
Ante solent, rostro Neptunia prata secantes;
Sed conversa[62] retro cæli se per loca portat.
Sicut quum cœptant tutos contingere[63] portus,
Obvertunt navem magno cum pondere nautæ,
Aversamque[64] trahunt optata ad litora puppim:
Sic conversa vetus super æthera vertitur[65] Argo;
Atque usque[66] a prora ad celsum sine lumine malum;
A malo ad puppim cum lumine clara videtur.
Inde gubernaclum[67], disperso lumine fulgens,
Clari posteriora Canis vestigia condit.

Exin semotam procul, in tutoque locatam
Andromedam tamen explorans fera quærere Pistrix
Pergit, et usque sitam validas Aquilonis ad auras
Cærula vestigat, finita in partibus Austri.

Hanc Aries tegit, et squamoso corpore Pisces,

60. *Prolabitur Argo.* Alii codd. et edd. « prælabitur Argo ». Occurrit hic locus usque ad vs. 383, etiam apud Hygin. fab. 14. WERNSD.

61. *Conversam præ se portans cum lumine puppim.* Aliæ edd. *convexam*, male. WERNSD.

62. *Sed conversa.....se per loca portat*, ex emendatione Turnebi a Grotio etiam recepta. Sic sup. « At propter se Aquila ardenti cum corpore portat ». Vulgo: « cæli semper loca portat ». Excidit hic versus apud Hyginum. WERNSD.

63. *Tutos contingere portus.* Ita citat hunc verum Hyginus, quocum conspirant plurimi Ciceronis codd. Aratus: κάθαπτεται ἠπείροιο. Vulgo: *constringere.* Nostrum receperunt jam Lambinus et recentiores Ciceronis editores; probavit quoque Grotius. W.

64. *Aversamque trahunt*, ex emendatione Grotii, cui omnes codd. adstipulantur. Germanicus: « Aversamque ratem votis damnatus ad oram Perligat ». Vulgo: « Adversamque trahunt ». WERNSD.

65. *Vertitur.* Hyginus habet *labitur*, quod est melius.

66. *Atque usque a prora ad celsum sine lumine malum.* Codd. Leid. « usque ad proram ad cæli summam sine lumine malum », vitiose. Desunt versus hic et sequens apud Hyginum. WERNSD.

67. *Inde gubernaclum, disperso lumine fulgens, Clari posteriora*, etc. In hac lectione omnes codd. consentiunt. Apud Hyginum versus legebatur imperfecte sic: « Inde gubernaclum, etc. » Supplerunt otiosi homines: « tendens a puppe volante ». W.

Digitized by Google

Fluminis illustris[68] tangentem corpore ripas.
Namque etiam Eridanum cernes in parte locatum
Cæli, funestum magnis cum viribus amnem,
Quem lacrymis mœstæ Phaethontis sæpe sorores
Sparserunt, lethum mœrenti voce canentes.
Hunc Orionis sub læva cernere planta
Serpentem poteris[69]; proceraque Vincla videbis,
Quæ retinent Pisces, caudarum parte locata,
Flumine mixta retro ad Pistricis terga reverti[70].
Hic una stella nectuntur, quam jacit ex se
Pistricis spinæ valida cum luce refulgens.
Exinde exiguæ tenui cum lumine multæ
Inter Pistricem fusæ sparsæque videntur,
Atque gubernaclum[71] stellæ, quas contegit omnes
Formidans acrem morsum Lepus: his neque nomen[72],
Nec formam veteres certam statuisse videntur.
Nam quæ sideribus claris natura polivit,
Et vario pinxit distinguens lumine formas,

68. *Fluminis illustris*, etc. Alii, « Fluminis illustri », minus recte. Arat. 358 : ποταμοῦ ἀστερόεντος. Patr. pro *corpore* malebat *pectore*, quod convenit Astronomorum placitis; dicebatur enim Pistrix Eridanum pectore attingere. Vid. Hygin. Astron. III, 30: « Hujus priorem partem corporis prope adluere flumen Eridanus videtur ». Wernsd.

69. *Serpentem poteris*. Cic. de Nat. Deor. l. l. citat : « serpentem adspicies » ; sed in ipso carmine continuo non ita scripserat. Wernsd.

70. *Vincla videbis...terga reverti*. Grotius ad h. l. Deceptus est Cicero eo, quod Aratus post Fluvium de Nodo tractet. Itaque τὰ λῖνα ait Flumine misceri, quod nimis absurdum est. Nam Pistrix media est inter Nodum vinculorum et Eridanum. Sed juvenile est erratum. Et tamen Avienus quoque dixit: « Fusaque quæ geminos adstringunt vincula Pisces Eridani coeunt amfractibus, etc. » W.

71. *Atque gubernaclum stellæ, quas contegit omnes*, etc. Alii « Ante gubernaclum stellæ », male. Reposuit Buhl. « stellas quas » pro vulgato : « Atque gubernaclum stellæ, quas, etc. » et quærit : « Quid est gubernaclum stellæ? Miror, neminem, ne Grotium quidem, in hoc hæsisse ». Sed aperte *stellæ* debet conjungi cum « exiguæ, multæ ». Ed.

72. *His neque nomen*. Docet Hipparchus sidera hæc ἀνώνυμα ab Eudoxio inter Gubernaculum et Amnem, non vero inter Gubernaculum et Pistricem : cui assentitur. Porro hæc sunt « cælum scalptorium » et « equuleus pictoris ». Aj.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

At Canis ad caudam serpens prolabitur[60] Argo,
Conversam[61] præ se portans cum lumine puppim:
Non aliæ naves ut in alto ponere proras
Ante solent, rostro Neptunia prata secantes;
Sed conversa[62] retro cæli se per loca portat.
Sicut quum cœptant tutos contingere[63] portus,
Obvertunt navem magno cum pondere nautæ,
Aversamque[64] trahunt optata ad litora puppim:
Sic conversa vetus super æthera vertitur[65] Argo;
Atque usque[66] a prora ad celsum sine lumine malum;
A malo ad puppim cum lumine clara videtur.
Inde gubernaclum[67], disperso lumine fulgens,
Clari posteriora Canis vestigia condit.

Exin semotam procul, in tutoque locatam
Andromedam tamen explorans fera quærere Pistrix
Pergit, et usque sitam validas Aquilonis ad auras
Cærula vestigat, finita in partibus Austri.

Hanc Aries tegit, et squamoso corpore Pisces,

60. *Prolabitur Argo.* Alii codd. et edd. « prælabitur Argo ». Occurrit hic locus usque ad vs. 383, etiam apud Hygin. fab. 14. WERNSD.

61. *Conversam præ se portans cum lumine puppim.* Aliæ edd. *convexam*, male. WERNSD.

62. *Sed conversa.....se per loca portat*, ex emendatione Turnebi a Grotio etiam recepta. Sic sup. « At propter se Aquila ardenti cum corpore portat ». Vulgo: « cæli semper loca portat ». Excidit hic versus apud Hyginum. WERNSD.

63. *Tutos contingere portus.* Ita citat hunc verum Hyginus, quocum conspirant plurimi Ciceronis codd. Aratus: κάθαπτεται ἠπείροιο. Vulgo: *constringere.* Nostrum receperunt jam Lambinus et recentiores Ciceronis editores; probavit quoque Grotius. W.

64. *Aversamque trahunt*, ex emendatione Grotii, cui omnes codd. adstipulantur. Germanicus: « Aversamque ratem votis damnatus ad oram Perligat ». Vulgo: « Adversamque trahunt ». WERNSD.

65. *Vertitur.* Hyginus habet *labitur*, quod est melius.

66. *Atque usque a prora ad celsum sine lumine malum.* Codd. Leid. « usque ad proram ad cæli summam sine lumine malum », vitiose. Desunt versus hic et sequens apud Hyginum. WERNSD.

67. *Inde gubernaclum, disperso lumine fulgens, Clari posteriora*, etc. In hac lectione omnes codd. consentiunt. Apud Hyginum versus legebatur imperfecte sic: « Inde gubernaclum, etc. » Supplerunt otiosi homines: « tendens a puppe volante ». W.

Digitized by Google

Fluminis illustris[68] tangentem corpore ripas.
Namque etiam Eridanum cernes in parte locatum
Cæli, funestum magnis cum viribus amnem,
Quem lacrymis mœstæ Phaethontis sæpe sorores
Sparserunt, lethum mœrenti voce canentes.
Hunc Orionis sub læva cernere planta
Serpentem poteris[69]; proceraque Vincla videbis,
Quæ retinent Pisces, caudarum parte locata,
Flumine mixta retro ad Pistricis terga reverti[70].
Hic una stella nectuntur, quam jacit ex se
Pistricis spinæ valida cum luce refulgens.
Exinde exiguæ tenui cum lumine multæ
Inter Pistricem fusæ sparsæque videntur,
Atque gubernaclum[71] stellæ, quas contegit omnes
Formidans acrem morsum Lepus: his neque nomen[72],
Nec formam veteres certam statuisse videntur.
Nam quæ sideribus claris natura polivit,
Et vario pinxit distinguens lumine formas,

68. *Fluminis illustris*, etc. Alii, « Fluminis illustri », minus recte. Arat. 358 : ποταμοῦ ἀστερόεντος. Patr. pro *corpore* malebat *pectore*, quod convenit Astronomorum placitis; dicebatur enim Pistrix Eridanum pectore attingere. Vid. Hygin. Astron. III, 30 : « Hujus priorem partem corporis prope adluere flumen Eridanus videtur ». Wernsd.

69. *Serpentem poteris*. Cic. de Nat. Deor. l. I. citat : « serpentem adspicies » ; sed in ipso carmine continuo non ita scripserat. Wernsd.

70. *Vincla videbis...terga reverti*. Grotius ad h. l. Deceptus est Cicero eo, quod Aratus post Fluvium de Nodo tractet. Itaque τὰ λῖνα ait Flumine misceri, quod nimis absurdum est. Nam Pistrix media est inter Nodum vinculorum et Eridanum. Sed juvenile est erratum. Et tamen Avienus quoque dixit : « Fusaque quæ geminos adstringunt vincula Pisces Eridani coeunt amfractibus, etc. » W.

71. *Atque gubernaclum stellæ, quas contegit omnes*, etc. Alii « Ante gubernaclum stellæ », male. Reposuit Buhl. « stellas quas » pro vulgato : « Atque gubernaclum stellæ, quas, etc. » et quærit : « Quid est gubernaclum stellæ? Miror, neminem, ne Grotium quidem, in hoc hæsisse ». Sed aperte *stellæ* debet conjungi cum « exiguæ, multæ ». Ed.

72. *His neque nomen*. Docet Hipparchus sidera hæc ἀνώνυμα ab Eudoxio inter Gubernaculum et Amnem, non vero inter Gubernaculum et Pistricem : cui assentitur. Porro hæc sunt « cælum scalptorium » et « equuleus pictoris ». Aj.

Digitized by Google

Hæc ille astrorum custos[73] ratione notavit,
Signaque signavit cælestia nomine vero:
Has autem, quæ sunt parvo[74] cum lumine fusæ,
Consimili specie stellas, parilique nitore,
Non potuit nobis nota clarare[75] figura.

Exinde[76], australem soliti quem dicere Piscem,
Volvitur inferior Capricorno versus ad Austrum,
Pistricem observans, procul illis Piscibus hærens.
At prope conspicies expertes nominis omnes
Inter Pistricem, et Piscem quem diximus Austri,
Stellas sub pedibus stratas radiantis Aquari.
Propter Aquarius obscurum dextra rigat amnem,
Exiguo qui stellarum candore nitescit.
E multis tamen his duo late lumina fulgent:
Unum sub magnis pedibus cernetur Aquari;
Quod superest, gelido delapsum flumine fontis,
Spiniferam subter caudam Pistricis adhæsit;
Et tenues stellæ[77] perhibentur nomine aquai.

Hic aliæ volitant parvo cum lumine claræ,
Atque priora pedum subeunt vestigia magni
Arcitenentis, et obscuræ[78] sine nomine cedunt.

73. *Ille astrorum custos.* Observator, Astronomus, græco usu. Ed.

74. *Quæ sunt parvo cum lumine fusæ*, etc. Iterum ex emendatione Grotii, quam sensus flagitabat. Vulgo: «Quæ sunt parvo sub culmine fusæ». Wernsd.

75. *Nota clarare figura.* Alii *clarere*, male. *Clarare* est activum, quod hoc loco requiritur; *clarere* neutrum. Conf. Grotium, p. 77. Wernsd.

76. *Exinde..... Piscem.* Sic bene correxit Morellius. Ald. et edd. vitiose: «Exinde australem soliti convincere Piscem». Aratus, 388: νότιον δέ ἑ κικλήσκουσι. Wernsd.

77. *Hæ tenues stellæ*, etc. Ed. Ald. corrupte «Etenus stellæ». Correxerunt alii, notante Morellio, «Ast omnes». Ipse Morellius in textu dedit «Hæ tenues», quod utique legendum esse (sive «Eæ tennes» κατὰ συνίζησιν) docuit ad h. l. Grotius. Pro *Aquai* alii habent *Aquari*. Sed nostra lectio præferenda. Arat. 399: τοὺς πάντας καλέουσιν ὕδωρ. Monet tamen Grotius, etiam *Aquarium* pro *Aqua* apud veteres Latinos dici, et sic etiam alteram lectionem sustineri posse. Wernsd.

78. *Obscuræ sine nom. cedunt*, ex emendatione Grotii. Videntur autem Cicero et Germanicus apud Aratum, vs. 401, pro δτνωτοὶ legisse ἄγνωτοι. Vulgo *condunt*, male. Wernsd.

Digitized by Google

Inde Nepæ cernes propter fulgentis acumen
Aram, quam flatu permulcet spiritus Austri;
Exiguo superum quæ lumina tempore tranat:
Nam procul Arcturo est adversa parte locata.
Arcturo magnum [79] spatio supra dedit orbem
Jupiter; huic parvum inferiore in parte locavit.
Hæc tamen æterno invisens loca curriculo nox,
Signa dedit nautis, cuncti quæ noscere possent,
Commiserans hominum metuendos undique casus.
Nam quum fulgentem cernes sine nubibus atris
Aram [80] sub media cæli regione locatam,
A summa parte obscura caligine tectam,
Tum validis fugito devitans viribus Austrum:
Quem si prospiciens vitaveris, omnia caute
Armamenta locans, tuto labere per undas.
Sin gravis inciderit vehementi flamine ventus,
Perfringit celsos defixo robore malos:
Ut res nulla feras possit mulcere procellas,
Ni parte ex Aquilonis opacam pellere nubem
Cœperit, et subitis auris [81] diduxerit Ara.
Sin humeros [82] medio in cælo Centaurus habebit,
Ipseque cærulea contectus nube feretur,
Atque Aram tenui caligans [83] vestiet umbra,

79. *Arcturo magnum*, etc. Sequutus sum Grotium. *Spatium* et *orbem* vocat arcum illum, qui ab Orientali Finitoris signo ad Occidentale per datum signum ducitur. *Metas* vocat Cæsar. Turnebus ita distinguere malebat: «Arcturo magnum spatium supera dedit orbem Jupiter, huic parvum, etc.» Edd. vett. «hunc parvum». Wernsd.

80. *Aram*. Vocat Aratus θυτήριον; Ptolemæus autem et Geminus θυμιατήριον, seu thuribulum, ut transtulere Vitruvius ac Germanicus. Eratosthenes nunc θυτήριον, nunc νέκταρ; denique Germanici vetus scholiastes sacrarium et pharum appellat. Aj.

81. *Et subitis auris*, etc. Grotius conjiciebat: «et subitas auras diduxerit aura». Minime adsentior. W.

82. *Sin humeros*, etc. Grotius ad h. l. «Nimirum punctum medium intelligit arcus illius, qui inter duo Finitoris puncta ducitur, ubi videlicet ipse arcus a Meridiano intersecatur. Hæc est, quam mediam cæli viam dicunt. Nam Centaurus omnino illis non potuit μεσουρανεῖν.» Wernsd.

83. *Caligans*. Grotius, *caligo*.

Digitized by Google

Ad signorum obitum vis est metuenda Favoni[84].
Ille autem Centaurus in alta sede locatus,
Qua sese clarum collucens Scorpius infert,
Hæc[85] subter partem præportans ipse virilem
Cepit, equi partes properans conjungere[86] Chelis.
Hic dextram porgens[87], quadrupes qua vasta tenetur,
Quam nemo[88] certo donavit nomine Graium,
Tendit, et illustrem truculentus cedit ad Aram.
Hic sese infernis de partibus[89] erigit Hydra
Præcipiti lapsu, flexo cum corpore serpens.
Hæc caput atque oculos torquens ad terga Nepai[90],
Convexoque sinu subiens inferna Leonis,
Centaurum leni contingit lubrica cauda:
In medioque simul[91] fulgens Cratera relucet.

84. *Vis est metuenda Favoni.* Expendendus hic est locus. Nam et Græcus, et Latini Germanicus atque Avienus, Eurum, non Favonium, metuendum tunc esse dicunt. PATR.

85. *Hæc subter.* Patricius dat « Hac subter ». J. V. L.

86. Cicero ipse, de Nat. Deor. II, 44, « submergere », unde Grotius, « subjungere ».

87. *Hic dextram porgens. Porgens* dici pro *porrigens*, ut *surgens* pro *surrigens*, vix est quod moneam. Aldus habet *pergens;* quod non improbavit Grotius; regitur tum *dextram* ab antecedenti *cedit*, vel a sequenti *tendit*. Possit etiam legi *cædit*, ut ad Feram referatur, quæ Hostia dicitur Hygino. Nil tamen equidem in vulgato textu mutavi. — *Porgens.* Pingebatur enim Centaurus habitu porrigentis, sive extendentis dextram, et ea tenentis bestiam, quadrupedem vastam ac protensam; euntisque versus Aram sidus quatuor stellis *illustre*, quasi illam victimam ad aram immolaturus. Mavult Patricius *illustrem* referri ad quadrupedem, ut quæ stellas habeat decem, quum Ara tantum constet quatuor. Nihil in græco est, quo lis possit dirimi. ED.

88. *Quam nemo.* Postea vocata est Lupus. ED.

89. *Inf. de partibus.* Sic Cic. vertit Arat. 443, περαιόθεν. Avien. *Desuper.* Theon περαίαν dici ait τὴν ἀνατολήν, asseverat autem ibidem, vocem etiam de *occasu* sumi. Ita eadem vox contrarias habet significationes. Grotius mavult vertere *ulterius.* Cod. Leid. « infernis e partibus ». Alii codd. « infernis a partibus ». WERNSD.

90. *Ad terga Nepai.* Intelligitur a Cicerone sub Nepa Cancer; vide supra et infra. ED.

91. *In medioque simul.* Quatuor versus sese consequentes etiam reperiuntur in eodem illo secundo de Natura Deorum libro, nihilo immutato, nisi quod in proximo versu, pro *extrema*, quod olim legebatur, *extremam* reperimus, repertumque

www.hoboot.com.cn

Digitized by Google

Extremum nitens plumato corpore Corvus
Rostro tundit; et hic Geminis est ille sub ipsis
Ante-Canem, graio Procyon qui nomine fertur.
Hæc sunt, quæ visens nocturno tempore signa,
Æternumque volens[92] mundi pernoscere motum,
Legitimo cernes cælum lustrantia cursu.
Nam quæ per bis sex signorum labier[93] orbem
Quinque solent stellæ[94], simili ratione notari
Non possunt; quia quæ faciunt vestigia cursu,
Non eodem semper spatio portata teruntur:
Sic malunt errare vagæ per nubila cæli,
Atque suos vario motu metirier orbes.
Hæc faciunt magnos longinqui temporis annos,
Quum redeunt ad idem cæli sub tegmine signum.

ita reposuimus, ut sit sensus: Extremam Hydram tundi Corvino rostro. Sunt qui legi posse putent *extremum*, ut referatur ad sinum Hydræ. Quæ quidem lectio, etsi alio quoque sensu ferri possit, si *extremum* substantive positum dicas pro extremam partem: tamen quum verbum *extremam* optimum sensum habeat, et in libris quidem de Deorum Natura reperiatur, illud conservare maluimus. *Extrema* quidem certe pessime legebatur, sive sensum quis spectet, sive versum. Ac post hos quidem quatuor versus, plures deinceps ex Arateis in illo secundo de Deorum Natura libro non reperiuntur. Quo quidem in loco non aliud propositum Balbus habuit, quam nomina stellarum inerrantium carminibus latinis Ciceronis recensere. Quum autem Aratus, post Procyonem, nullum amplius sidus, nullamque stellam fixam ac inerrantem describat, sed se totum, obiter ad planetarum, id autem est stellarum vagarum, fusius autem ad circulorum primum, deinde ad ortuum occasuumque descriptionem, ad extremum autem ad prognosticorum ex his tractationem conferat, non necesse fuit ulterius Lucilio præter propositum egredi. Deest autem quoque ea pars tota in Arato Germanici, jam inde prorsus ab eo loco usque ad extremum Prognosticorum. PATR.

92. *Æternumque volens*, etc. Deest hic versus in pluribus edd. ut et in Morelliana, W. — Pingr. habet *pernoscere*. ED.

93. *Sex signorum labier orbem*, ex emendatione Turnebi et Grotii. Intelligitur Zodiacus. Vulgo *orbes*, male. WERNSD.

94. *Quinque solent stellæ*. Saturnus, Jupiter, Mars, Mercurius et Venus. Nam Solem et Lunam in his non numerat. Sic idem, Tusc. I, 55: « Tum in eodem orbe, inquit, in XII partes distributo, quinque stellas ferri, eosdem cursus constantissime servantes disparibus inter se motibus ». Quum videlicet antea jam Solem et Lunam nominasset. PATR.

Digitized by Google

Quarum ego[95] nunc nequeo totos evolvere cursus;
Verum hæc, quæ semper certo volvuntur in orbe
Fixa, simul magnos edicam[96] gentibus orbes.

www.hbtoo.com.cn

Quatuor, æterno lustrantes lumine mundum,
Orbes stelligeri portantes signa feruntur,
Amplexi terras[97], cæli sub tegmine fulti:
E quibus annorum volitantia limina nosces,
Quæ densis distincta licebit cernere signis.
Tum multos orbes magno cum lumine latos,
Vinctos inter se, et nodis cælestibus aptos,
Atque pari spatio duo cernes esse duobus.
Nam si nocturno[98] cognoscens tempore cælum,
Quum neque caligans detersit sidera nubes,
Nec pleno stellas superavit lumine Luna,
Vidisti magnum candentem serpere circum:
Lacteus hic nimio[99] fulgens candore notatur.
Hic[100] non perpetuum detexens conficit orbem.

95. *Quarum ego.* Iterum spectat ad stellas. Male vulgo: « Quorum ego ». Edit. Ald. « Quare ego ». Ingeniose hanc lectionem explicat Grotius. Scriptum erat in codice: « Quar. ego » pro « Quarum ego ». W. — *Tot. ev. cursus.* Meminit Grotius conjecturæ patris: « tortos evolvere cursus », quæ etiam mihi haud displicet.

96. *Edicam.* Diversa atque inconstans est apud plerosque loci hujus lectio. Olim hiulce omnino, « Fixa, simul magnos edam gentibus orbes ». Ald. « simul magno sedem gentibus ». Alii, « magnos similes vertentibus orbes ». Turneb. correxit « magnos ediceam ». Grotius, « edemus ». Ed.

97. *Ampl. terram*, ex emendatione Grotii. Vulgo *terra*. Ed.

98. *Nam si nocturno*, etc. Vetustissimi codd. « Nec si », male. Alius cod. penes Grot. « Et si ». Excudebat hinc Grotius lectionem « En, si ». Malui cum Morell. et aliis legere « Nam si ». Pingr. « Nam sic ». Ed. — Pro *cognoscens* Grotius etiam reponere voluit *convisens*, quoniam *visere* et *convisere* sunt verba poetica Ciceronis hac de re. Verum utitur Cicero quoque verbo *cognoscere*, quare mutatio non est necessaria. W.

99. *Hic nimio..... notatur.* In edit. Ald. « in nimio ». Conjicit propterea Grotius legendum « is nimio ». Pro *notatur* alii habent *vocatur*; melius forsitan. Quod Grotio placuit, *rotatur*, equidem non probaverim; vult enim Cicero hoc ipsum, Circum *vocari* Lacteum. Ceterum « nimio candore » dictum pro « magno candore ». Sic sup. « haud nimio lustratus nitore... haud nimis ingenti cum corpore », id est, valde ingenti. Wernsd.

100. *Hic*, etc. Ed. Ald. *His*. Forsi-

Digitized by Google

Quatuor huic simili nitentes mole feruntur;
Sed spatio multum superis [1] præstare duobus
Dicitur, et late cæli lustrare cavernas.
Quorum alter [2] tangens Aquilonis vertitur auras,
Ora petens Geminorum illustria. Tum genus ardens
In sese retinens Aurigæ [3] portat utrumque.
Hunc sura [4] læva Perseus, humeroque sinistro
Tangit: ad Andromedam [5] hic dextra de parte tenetur,
Imponitque pedes duplices Equus; et simul ales
Ponit Avis caput, et clinato corpore tergum.
Anguitenens humeris connititur: illa recedens
Austrum consequitur devitans corpore Virgo.
At vero totum spatium convestit [6] et orbis
Magnu' Leo, et claro collucens lumine Cancer,
In quo consistens convertit curriculum sol
Æstivus, medio [7] distinguens corpore cursus.
Hic totus [8] medius circo disjungitur: iste

tan itaque legendum *Is*. Grotius putat, Ciceronem apud Aratum aliter quam Buhl. legisse, vs. 476, γάλα μιν καλέουσιν Τοῦ δή τοι Χροιὴ μὲν ἀλίγκιον οὐδ' ἔτι κύκλον Διτεῖται. Wernsd.

1. *Superis*. Pingr. *superest*, et ita Grot. male. « Superis duobus » intellige circulos Tropicos, Æquatore et Zodiaco minores. Ed.

2. *Quorum alter*. Tropicus Cancri: et hic est primus ex quatuor propositis orbibus. Patr.

3. *In sese r. Aurigæ*. Lego cum aliis, « Aurigæ », et propter sensum, et propter numerum, quum antea « Auriga » legeretur. Patr.

4. *Hunc sura*. Olim « Hunc supera ». H. Stephanus legendum putat « Hinc sura læva »; alii, « Hunc sura », quos videlicet nos imitati sumus. In græco est λαιὴ κνήμη. Hunc autem intelligo, circulum Tropicum. Patr.

6. Grotius feliciter, « convestiet orbis ». Buhl. recepit.

7. *Medio*, etc. Non respondet his versus Arateus. Vult Cicero, solem solstitii æstivi tempore medium esse inter Arcticum et Eclipticam. Conf. Germanicus et Avienus. Wernsd.

8. *Hic totus... orbem*. Sic præclare hunc locum restituit Grotius in notis. Legebatur vulgo: « disjungitur ipso, etc. » quare plerique, etiam, quum textum operis traderet, ipse Grotius, versus esse mutilos, vel excidisse quosdam, suspicati sunt. Quod si autem lectionem nostram sequaris, sensus et nexus satis fit perspicuus. *Hic* (scilicet Cancer), a circulo æstivo distinguitur; *Ille* (scil. Leo), orbem possidet στίθεσι καὶ γαστέρι. Conf. Arat. 492 seq. Quæ poeta græcus de oculis Cancri dixit, a Cicerone et a Germanico non sunt reddita, sive quod ea

Digitized by Google

Pectoribus validis, atque alvo possidet orbem.
Hunc octo in partes divisum noscere circum
Si potes, invenies supero convertier orbe
Quinque, pari spatio partes tres esse relictas,
Tempore nocturno quas vis inferna frequentet.
Ille quidem a Boreæ Cancro connectitur *auris;*
Alter ab infernis[9] *contra connititur* austris:
Distribuens medium[10] subter secat hic Capicornum,
Atque pedes gelidum rivum fundentis Aquari
Cæruleæque[11] feram caudam Pistricis, et illum
Fulgentem Leporem; inde pedes Canis, et simul amplam
Argolicam[12] retinet crebro cum lumine Navem;
Tergaque Centauri, atque Nepai portat acumen;
Inde Sagittari defixum possidet arcum.
Hunc, a clarisonis auris Aquilonis ad Austrum
Cedens[13], postremum tangit rota fervida solis;
Exinde in superas brumali tempore flexu
Se recipit sedes: huic orbi quinque tributæ
Nocturnæ partes, supera tres[14] luce dicantur.
Hosce[15] inter mediam partem[16] retinere videtur

non legerent in codd. suis, sive quod superflua putarent. W. — *Istæ.* Vulg. *ipso.* Lectionem Grotii admisimus, qua lacuna omnis expletur. J. V. L.

9. *Alter ab infernis*, etc. Excidisse versum patet; etiam ex Arateis: Ἀλλ' ὁ μὲν ἐν Βορέῳ περὶ Κερκίνον ἐστήριχται, Ἄλλος δ' ἀντιόωντι νότῳ. Substitit Buhl. in textu vulgato. Aldus habet: « Alter ab infernis Austri convertitur auris ». W. — Grotius quidem ita restituit, ut dedimus, et ita Pingr.

10. *Distr. medium.* Alii, ut lacunam explerent, legerunt: « Ast alter medium »; sed tum non quadrat, quod sequitur, « subtersecat hic Capricornum ». Wernsd.

11. *Cæruleæque*, etc. Grotius maluit: « Cæruleamque feræ caudam Pistricis ». Wernsd.

12. Grotius conjec. « Argoam... claro ».

13. *Cedens.* Sic utique legendum cum Grotio. Aratus, παφερχόμενος. Vulgo, *Condens.* Wernsd.

14. *Supera tres*, etc. Dictum est pro « superæ (orbi) tres luce dicantur », per ἀντίπτωσιν ablativi pro dativo. Wernsd.

15. *Hosce*, etc. Vulgo, « Hasce inter », male; μεσσόθι τοῦ θερινοῦ καὶ χειμερινοῦ Theon. Deinde vitiose habent edd. vett. « mediam in partem ». Wernsd.

16. *Mediam partem*, etc. Omnes libri, et olim meus, « Mediam in

Digitized by Google

Tantus quantus erit collucens Lacteus orbis;
In quo autumnali, atque iterum sol lumine verno
Exæquat spatium lucis cum tempore noctis.
Hunc retinens Aries sublucet corpore totus,
Atque genu flexo [17] Taurus connititur ingens;
Orion claro contingens corpore fertur;
Hydra tenet flexu; Cratera, et Corvus adhæret [18];
Et paucæ [19] e Chelis stellæ; simul Anguitenentis
Sunt genua, et summi Jovis Ales nuntius instat;
Propter Equus capite et cervicum lumine tangit.
Hosce æquo spatio devinctos sustinet axis,
Per medios summo cæli de vertice tranans.
Ille autem claro quartus cum lumine circus [20],
Partibus extremis extremos continet orbes,
Et simul a medio media de parte secatur,
Atque obliquus in his nitens cum lumine fertur:
Ut nemo, cui sancta manu doctissima Pallas
Solertem ipsa dedit fabricæ rationibus artem,
Tam tornare cate contortos possiet orbes,
Quam sunt in cælo divino numine flexi,
Terram cingentes, ornantes lumine mundum,
Culmine transverso retinentes sidera fulta.
Quatuor hi [21] motu cuncti volvuntur eodem.

partem». Quod quid sit, non intelligo. Lego igitur, « Mediam partem retinere videtur ». Sensus : Inter duos Tropicos in medio est Æquator constitutus, orbis quidem tantus, quantus est, qui hunc secat per medium, orbis Lacteus. PATR.

17. *Genu flexo Taurus.* Sic Taurus in astrothesia pingitur. Vide Epigr. de signis cælestibus, vs. 2 : « Inflexoque genu projectus corpore Taurus ».

18. *Hydra.....adhæret*, etc. Ita emendavit Turneb. approbante etiam Grotio. Hydra tenet circulum flexu. Est καμπὴ Arati. Vulgo : « Hydra tenet flexu Crateram, Corvus adhæret ». WERNSD.

19. *Et paucæ*, etc. Vulgo : « Et paucæ Chelis stellæ », perperam. W.

20. *Quartus cum l. circus.* Hic est Zodiacus, ultimus ex propositis orbibus quatuor. PATR.

21. *Quatuor hi motu*, etc. Aldus : « Quatuor in motus ». Suspicatur propterea Grotius legendum : « Quatuor in motus cuncti volvuntur eosdem ».

Digitized by Google

Sed tantum supra terras semper tenet ille
Curriculum, oblique implexus[22] tribus orbibus unus,
Quanto est divisus Cancer spatio a Capricorno,
Ac subter terras[23] spatium par esse necesse est:
Et quantos radios jacimus de lumine nostro,
Queis hunc convexum[24] cæli contingimus orbem,
Sex tantæ poterunt[25] sub eum succedere partes,
Bina pari spatio cælestia signa tenentes.
Zodiacum hunc Græci vocitant, nostrique Latini
Orbem signiferum perhibebunt nomine vero:
Nam gerit hic volvens bis sex ardentia signa.
Æstifer est pandens ferventia sidera Cancer.
Hunc subter fulgens cedit vis torva Leonis,
Quem rutilo sequitur collucens corpore Virgo.
Exin projectæ claro cum lumine Chelæ,
Ipsaque consequitur lucens vis magna Nepai.
Inde Sagittipotens dextra flexum tenet arcum;
Post hunc ore fero Capricornus vadere pergit;
Humidus inde loci collucet Aquarius orbi.
Exin squammiferi[26] serpentes ludere Pisces;
Queis comes est Aries obscuro lumine labens,
Inflexoque genu projecto corpore Taurus,
Et Gemini clarum jactantes lucibus ignem.

Utrum malis, sensus eodem redit. Revera in codd. scriptum fuisse arbitratur Grotius: « Quatuor ii motu ».

22. *Implexus.* Vulgo, *inflexus.*

23. *Ac subter terras.* Codd. MSS, « At subter terras ». Wernsd.

24. *Queis hunc convexum*, etc. ex emendatione Grotii. Vulgo: « Queis lunæ convexum cæli tangimus orbem ». Sed verissima est Grotii lectio.

25. *Tantæ poterunt sub eum*, etc. Confer Buhlii not. ad Aratum, vers. 542. Wernsd.

26. *Exin squammiferi*, etc. Nescio an hic versus adeo sit depravatus, ut Grotius sibi persuasit. Legendum censet: « Exin squammifero serpentes sudere Pisces »; ita ut *sudere* ἀρχαϊκῶς dictum sit pro *sidere*. Vix tamen credo, Ciceronem epitheton *squammiferum* ad ipsum sidus, non ad figuram sideris (Pisces), retulisse. Monet interea Grotius, *squammiferi* in vulgata lectione posse retineri, sed *ludere* (Pisces), esse intolerabile; quod mihi quidem secus videtur. Codd. et edd. in nostra lectione omnes conspirant. Wernsd.

Digitized by Google

Hæc sol æterno convestit lumine lustrans,
Annua conficiens[27] vertentia tempora cursus.
Hic quantus terris convexus pellitur orbis,
Tantumdem ille patens supra mortalibus exit[28].
Sex omni semper cedunt labentia nocte;
Tot cælum rursus[29] fugientia signa revisunt.
Hoc spatium tranans cæcis nox conficit umbris,
Quod[30] supra terras prima de nocte relictum est
Signifero ex orbe, et signorum ex ordine fultum.
Quod si solis aves certos cognoscere cursus,
Ortus signorum nocturno tempore vises:
Nam semper signum exoriens Titan trahit unum.
Sin autem officiens signis mons obstruet altus,
Aut adiment lucem cæca caligine nubes;
Certas ipse notas cæli de tegmine sumens,
Ortus atque obitus omnes cognoscere possis[31].
Quæ simul exsistant, cernes; quæ tempore eodem
Præcipitent obitum nocturno tempore, nosces.
Jam simul[32] ut supra se toto lumine Cancer
Extulit, extemplo cedit delapsa Corona,
Et loca convisit cauda tenus infera Piscis.
Dimidiam retinens[33] stellis distincta Corona
Partem etiam supra, atque alia de parte repulsa est:
Quam tamen[34] insequitur Piscis, nec totus ad umbras

27. *Annua conficiens*, etc. Edit. Ald. « vertentia tempora cursus ». Al. « vertentia tempora cursu ». Grotius proposuit : « vertentis tempora cursus », sive quam nos dedimus lectionem. Aratus : Πάντ' ἐνιαυτὸν ἄγων. W.

28. Vulg. *edit.* Al. malunt *exstat.*

29. *Tot cælum rursus*, etc. ex emendatione Grotii. Vulgo *jussus*, quod alii mutarunt in *jussu*, medelam afferentes nullam. Turnebus emendabat : « Tot cælum juxta ». W. — *Fulgentia*, Buhl. habet *fugientia*, perperam. Ed.

30. *Quod*, etc. Ita restituit Grotius. Vulgo : « Quod... relictum est Signifer (Ald. *Signifero*) ex orbe et signorum ordine fultum ». Wernsd.

31. *Omnes c. possis.* Legendum fortassis, « Omnes quo noscere possis ».

32. Grotius conj. « Nam simul ut supero se totum ».

33. Rectius forte, *retinet.*

34. *Quam tamen.* Al. dant, « Quum tamen ». Ed.

Digitized by Google

Tractus, sed supero contectus corpore cedit.
Atque humeros usque a genibus, clarumque[35] recondit
Anguitenens validis magnum a cervicibus anguem.
Jam vero Arctophylax non æqua parte secatur:
Nam brevior clara cæli de parte videtur;
Amplior infernas depulsus possidet umbras.
Quatuor hic obiens secum deducere signa
Signifero solet ex orbi: tum serius ille,
Quum supera sese satiavit luce, recedit,
Post mediam labens claro cum corpore noctem.
Hæc obscura tenens convestit sidera tellus:
At parte ex alia claris cum lucibus errat
Orion, humeris et lato pectore fulgens,
Et dextra retinens non cassum luminis ensem.
Sed quum de terris vis est patefacta Leonis,
Omnia, quæ Cancer præclaro detulit ortu,
Cedunt obscurata; simul vis magna Aquilai[36]
Pellitur, ac flexo considens[37] corpore Nixus
Jam supero ferme depulsus lumine cedit:
Sed lævum genus atque illustrem linquit in altum
Plantam. Tum contra exoritur clarum caput Hydræ,
Et Lepus, et Procyon, qui sese fervidus infert
Ante Canem; inde Canis vestigia prima videntur.
Non pauca e cælo depellens signa repente
Exoritur candens illustri lumine[38] Virgo.

35. *Clarumque.* Vett. edd. *Cancrumque.* Dubia lectio, ut hic sæpius.

36. *Simul vis magna Aquilai.* Restituit Turnebus, Advers. XII, 17, et approbavit ejus emendationem Grotius. Inepte vulgo legebatur: « simul vis major Aquari ». Apud Aratum est ὁ Αἰετός. Reposuerunt propterea alii, ut Morellius, « vis major Aeti ». Est autem non probabile, Ciceronem voce græca h. l. usum esse; deinde sonat vox græce ἀετὸς, non ἀητός· denique intelligi nequit, quid sit vis *major* Aquilæ? Itaque haud cunctanter Turnebi emendationem in textum recepi. Wernsd.

37. *Flexo c. c. Nixus.* Rescripsit Turnebus *considens.* Alii male *confidens.* W.

38. *Illustri lumine Virgo*, ex emendatione Grotii. Vulgo: « illustria lumina Virgo ». Wernsd.

Digitized by Google

Cedit clara Fides Cyllenia, mergitur unda
Delphinus, simul obtegitur depulsa Sagitta,
Atque Avis ad summam caudam, primasque recedit
Pinnas, et magnus pariter delabitur Amnis.
Hic Equus a capite et longa cervice latescit.
Longius exoritur jam claro corpore serpens,
Crateraque tenus lucet mortalibus Hydra.
Inde[39] pedes Canis ostendit jam posteriores,
Et post ipse trahit claro cum lumine puppim:
Insequitur labens per cæli limina Navis,
Et jamjam[40] toto processit corpore Virgo:
Hæc medium ostendit radiato stipite malum.
At quum procedunt obscuro corpore Chelæ,
Exsistit pariter[41] larga cum luce Bootes,
Cujus in adversum[42] est Arcturus corpore fixus;
Totaque jam supra fulgens prolabitur Argo:
Hydraque quod late cælo dispersa tenetur,
Nondum tota patet[43]; nam caudam contegit umbra.
Jam dextrum genus[44], et decoratam lumine suram
Erigit ille vacans[45] vulgato nomine Nixus,

39. *Inde*. Hæc particula hic expletiva est, et ad transitionem scripta, ut de quibusdam monuit Grotius. Neque enim intellexit Cicero posteriores pedes Canis post Hydram surgere, quum Arati omnino contraria sit sententia. Ed.

40. *Et jamjam*, etc. Alii hunc versum priori anteponentes legunt: « Et quum jam tota, etc. » quam lectionem veram pronuntiat Grotius, in quo tamen ei non assentior. Convenit etiam ordo versuum noster cum Arato. W.

41. *Exsistit pariter*, i. e. oritur. Sic supra vs. 598: « Quæ simul exsistant cernes ». Wakefield.

42. *In adversum est*. Heur. Stephanus legit « adverso ». Aliud exemplar retinet lectionem « adversum ». Græce est βεβολημένος. Pate.

43. Sic felicissime Turnebus pro vulgatis olim mendis, « Nondum tota latet; non c. »

44. *Dextrum genus, et decoratam*, etc. Alias, « dextrum genu ». Sed *genus* pro *genu* versus ipsius ratio extorsit. Pate.

45. *Vacans*, etc. Reposui pro « vagans ». Nixum profecto appellat Cicero idolum illud, de quo dixerat superius Aratus: Εἴδωλον τὸ μὲν οὔτις ἐπίσταται ἄμφαδον εἰπεῖν. Et de quo Cicero ipse: « Engonasin vocitant, genibus quia nixa feratur ». Quod igitur nomen certum non habeat, dicit nunc « vacans » vulgato nomine: quod

Digitized by Google

Qui Fidis Arcadiæ semper confinia tangit:
Quem nocte exstinctum, atque exortum vidimus una
Persæpe, ut parvum tranans geminaverit orbem.
Hic genus et suram cum Chelis erigit alte;
Ipse autem præceps obscura nocte tenetur,
Dum Nepa et Arcitenens invisant lumina cæli:
Nam secum medium pandet Nepa; tollere vero
In cælum totum exoriens conabitur Arcus.
Hic tribus elatum cum signis corpore toto
Lucet; at exoritur media de parte Corona,
Caudaque Centauri extremo candore refulget.
Hic se jam totum cæcas Equus abdit in umbras,
Quem rutila fulgens pluma prætervolat Ales.
Occidit Andromedæ clarum caput, et fera Pistrix
Labitur, horribiles epulas funesta requirens.
Hanc contra Cepheus non cessat tendere palmas.
Illa usque ad spinam mergens se cærula condit:
At Cepheus caput atque humeros, palmasque reclinat.
Quum vero vis est vehemens exorta Nepai,
Late fusa volat[46].....
.....hæc per terras fama vagatur.
Ut quondam Orion manibus violasse Dianam
Dicitur, excelsis errans in collibus amens,
Quos tenet Ægæo defixa in gurgite Chius
Bacchica[47], quam viridi convestit tegmine vitis.

autem genibus nitatur, Nixum hic et ubique vocatur. Pata.

46. *Late fusa volat*, etc. Desiderantur posterius hujus versus hemistichium et sequentes quatuor versus in plerisque codd. Sunt autem, judice etiam Grotio, vere Ciceroniani, ex Arato expressi, et ad sensum necessarii. Versus supra exscriptus, quemadmodum nunc legitur, nec cum antecedenti cohæret, nec Arateis respondet. Quare Grotius emendavit: « Late fusa volans per terras labitur unda »; et in sequenti versu pro « ut quondam Orion » legere jubet: « Vi quondam Orion ». Buhlius, quum ipsius Ciceronis verba restituere non posset, vulgatam lectionem retinuit; nos Pingræum sequimur. Ed.

47. *Chius Bacchica*. Olim legebatur « Chius Brachia quam viridi ». Correxerat Grotius, « Brachia qua vi-

Digitized by Google

Ille feras vecors amenti corde necabat,
OEnopionis avens epulas ornare nitentes[48].
At vero pedibus subito perculsa Dianæ
Insula discessit, disjectaque saxa revellens
Perculit, et cæcas lustravit luce lacunas;
E quibus ingenti exsistit cum corpore præ se
Scorpius infestus præportans flebile acumen.
Hic valido cupide venantem perculit ictu,
Mortiferum in venas figens per vulnera virus:
Ille gravi moriens constravit corpore terram.
Quare quum magnis sese Nepa lucibus effert,
Orion fugiens commendat corpora terris.
Tum vero fugit Andromeda, et Neptunia Pistrix
Tota latet; cedit converso corpore Cepheus,
Extremas medio contingens corpore terras.
Hic caput, et superas potis est demergere partes;
Infera lumborum numquam convestiet umbra:
Nam retinent Arcti lustrantes lumine suras.
Labitur illa simul gnatam lacrymosa requirens
Cassiopea, neque ex cælo depulsa decore
Fertur: nam verso contingens vertice primum
Terras, post humeris[49], eversa sede, refertur.
Hanc illi tribuunt pœnam Nereides almæ;
Cum quibus (ut perhibent) ausa est contendere forma.
Hæc obit inclinata: at pars exorta Coronæ est
Altera, cum caudaque omnis jam panditur Hydra.
At caput, et totum sese Centaurus opacis
Eripit e tenebris, linquens vestigia parva

ridi ». Alii, « Brachia cui viridi », ita ut brachia de vitibus, aut ipsis lucorum ramis essent intelligenda. Felicissime correxit Pingr. « Chius Bacchica, quam, etc. » Ed.

48. *Epulas ornare nitentes.* Ita recte scripsit Grotius. Vulgo: « epulas cœnare nitentes ». Wernsd.

49. *Post humeris*, etc. Alii, « post humeros », minus bene. — *Sede.* Cassiopea enim sedens in Astrothesia pingitur. Vid. Pingr. t. II, p. 289. Ed.

Digitized by Google

Antepedum contecta[50]; simul tum lumina pandit:
Ipse feram dextra retinet. Prolabitur inde
Anguitenens capite et manibus; profert simul anguis
Jam caput, et summum flexo de corpore lumen.
Hic ille exoritur converso corpore Nixus,
Alvum, crura, humeros, simul et præcordia lustrans[51],
Et dextra radios læto cum lumine jactans.

Inde Sagittipotens superas convisere luces
Instat, et emergit[52] Nixi caput, et simul effert
Sese clara Fides, et prodit pectore Cepheus.
Fervidus ille Canis toto cum corpore cedit,
Abditur Orion, obit et Lepus[53] abditus umbra,
Inferiora cadunt Aurigæ lumina lapsu.

Inde obiens Capricornus ab alto, lumine pellit
Aurigam, instantemque Capram, parvos simul Hædos,
Et magnam antiquo depellit nomine Navem[54].

50. *Antepedum contecta.* Ciceronis *Antepedes* sunt Arato προτεράποδες. Sic Προκύων Ciceroni dicebatur *Antecanis.* In sequentibus : « quum lumina pandit», Grotius mavult *tum*, quod habet Pingr. Alii, « cum lumine pandit », perperam. Wernsd.

51. *Præcordia lustrans.* Alii dant, *gestans.*

52. *Emergit*, etc. Alii : « Institit et mergit Nisi caput ». W. — Sed hoc falsum est et contra mentem Arati. Grotium sequimur. Turnebus dedit : «Instat et emergit », melius quidem ob sequentia « effert, prodit, etc. » His variantibus addi potest ea versus utriusque lectio, quam a nonnullis admissam testatur Patricius : « Inde sagittipotens superas quum visere luces Institit ». Hanc lectionem Pingr. probat. Ed.

53. *Obit et Lepus.* Male al. « obiit simul ».

54. *Depellit nomine Navem.* Ordinem horum versuum restituit Grotius. « Nam Perseus, inquit, et puppis Argus ex Arati mente Sagittario oriente occidunt. Aratus omnia quæ ad Aurigam pertinent suo more conjungens dixit, τὰ νέατα ejus sub Sagittario occidere, sed non manum dextram et Capram et Hædos, quæ Capricorno demum oriente occidunt. Cicero contra ea distinguenda putavit, et quæ sub Sagittario, ab iis, quæ sub Capricorno occidant, censuit separanda. Idem et Cicero, et alii interpretes fecerunt in sua translatione, præsertim in tertia hac Phænomenorum parte, quæ περὶ συναναπολῶν καὶ συνδυσμῶν tractat, quod videre ex diligenti collatione perfacile est. Sed critici quidam fidentiores dum Ciceronem in Aratum ordinem redigunt, non considerarunt, se et contra Arati, et contra Ciceronis mentem vadere, dum Perseum et pup-

www.libtool.com.cn
Digitized by Google

Obruitur Procyon; emergunt alite lapsu
E terris Volucres [55]; exsistit clara Sagitta;
Crus, dextrumque pedem linquens obit infera Perseus
In loca; tum cedens a puppi linquitur Argo.....

pim Navis iis adnumerant, quæ Capricorno oriente occidunt ». W.

55. *E terris Volucres.* Alias : « Et volucris terris ». Sed ne sic quidem locus est prorsus emaculatus. Atque hactenus quidem de ortu sex signorum a Cancro ad Capricornum. Reliqua desunt, quæ aut profecto intelligi possunt ex oppositorum ratione, aut vero etiam ex græco peti, quæ Aratus quadraginta fere versibus persequitur, usque ad initium Prognosticorum, de quibus nos alio loco agemus. Ita in his Ciceronis Arateis, quod quidem videtur, damni pauxillum est factum. Nam quod signorum descriptionem attinet, ea australia quidem exstant omnia integra, Borealia autem partim exstant quoque ipsa integra, partim ex lib. de Natura Deorum secundo peti possunt : in quem locum, totum ejus partis succum Cicero ipse contulit. Quod autem orbium descriptionem attinet, ea, nisi quod fere corrupta est, integra est. Ceterum quod restabat de ortu signorum et occasu, id quidem etiam integrum, quod quidem Zodiaci dimidium attinet, retinemus : reliqua, ut dixi, supputatione ad rationem oppositorum instituta, deprehendi possunt. Patr.

PROGNOSTICA.

Ut quum luna means [1] Hyperionis officit orbi,
Stinguuntur radii cæca caligine tecti...
Priscianus, X, *p.* 882.

Est autem tenui [2] quæ candet lumine Phatne.
Id. XVI, *p.* 1034; XVIII, *p.* 1170.

1. *Ut quum luna means.* Ex Prisciano, lib. X, qui hunc locum ad demonstrandum passivum verbi *stinguo*, recitat. Nisi quod alicubi pro, *officit orbi*, legitur *effugit orbem*, perperam, ut videtur. Sed mirum est quosdam exstitisse, qui *Ut quum* finem fecerint unius hexametri : *luna means*, principium alterius : legibus hexametri prorsus reclamantibus. Exprimitur autem his græcum illud : Οἷον ἀμαλδύνονται, ὅτε σκιάῃσι κατ' ἰθὺ, ἰσταμένη γαίης τε καὶ ἠελίοιο σελήνη. Eos autem et superiores duos versus Avienus convertit sic : « sed quum radiis marcentibus ardor Languet, et in tenui tenduntur acumine frustra Phœbei crines, nimbos aget atra procella. Talis et obducti cernetur forma diei, Qualem fraternos subtexens luna jugales Lucem hebetat, subit hæc superi sacra lumina solis Inferior, mediæque inter stans lampadis orbe Arcet flammigeræ radium facis ». Patr.

2. *Est autem tenui.* Et hoc ex Prisciano, lib. XVI, in fine, et lib. XVIII.

Digitized by Google

Atque etiam ventos[3] præmonstrat sæpe futuros
Inflatum mare, quum subito penitusque tumescit,
Saxaque cana salis niveo spumata liquore,
Tristificas certant Neptuno reddere voces;
Aut densus stridor quum celso e vertice montis
Ortus, adaugescit scopulorum sepe repulsus[4].
Cana fulix[5] itidem fugiens e gurgite ponti,
Nuntiat horribiles clamans instare procellas,
Haud modicos tremulo fundens e gutture cantus.....

Quum olim autem legeretur, « quæ candent lumine Phatnæ », lego « quæ candet lumine Phatne ». Phatne enim præsepe Latinis significat. De quo, quod quidem hunc locum attinet, Aratus ita : Σκέπτεο καὶ φάτνην, ἣ μέν τ' ὀλίγῃ ἐοικυῖα Ἀχλύϊ, βορῥαίῃ ὑπὸ καρκίνῳ ἠγλαΐζει. Rem ipsam quod attinet, Plinius, lib. XVIII, cap. ult. sic habet : « Sunt in signo Cancri duæ stellæ parvæ, Aselli appellatæ, exiguum inter illas obtinente nubecula, quam Præsepia appellant. Hæc quum cælo sereno apparere desierit, atrox hiems sequitur, etc. » Pata.

3. *Atque etiam ventos.* Ex lib. I de Divinatione. Quo quidem in loco Q. frater, quum genera divinandi, in illud quod artis, et in id quod naturæ est, divisisset, eorumque omnium eventa magis quam causas quæri oportere dixisset, medicorumque observationes ad id comprobandum attulisset; « Age ea, inquit, quæ quamquam ex alio genere sunt, tamen divinationi sunt similiora, videamus. Atque etiam ventos, etc. » et addit : « Atque his, inquit, rerum præsensionibus Prognostica tua referta sunt ». Hæc ibi. Arat. in græco sic : Σῆμα δέ τοι ἀνέμοιο καὶ οἰδαίνουσα θάλασσα Γιγνέσθω, καὶ μακρὸν ἐπ' αἰγιαλοὶ βοόωντες Ἀκταί τ' εἰνάλιοι ὀπότ' εὔδιοι ἠχήσασαι Γίγνωνται, κορυφαί τε βοώμεναι οὔρεος ἄκραι. Quam sententiam etiam Virg. Georg. I ita est æmulatus : « Continuo ventis surgentibus, aut freta ponti Incipiunt agitata tumescere, et aridus altis Montibus audiri fragor, aut resonantia longe Litora misceri, et nemorum increbescere murmur ». Et Plinius, lib. illo XVIII, cap. ultim. « Mare si in tranquillo portu a cursu stabit, et murmuraverit intra se, ventum prædicit. Si identidem, et hiemem et imbrem. Litoris ripæque si resonabunt tranquilla, asperam tempestatem. Item maris ipsius tranquillus sonitus spumæve dispersæ, aut aquæ bullantes. Pulmones marini in pelago, plurium dierum hiemem portendunt. Sæpe et silentio intumescit, flatuque altius solito jam intra se esse ventos fatetur. Equidem et montium sonitus, nemorumque mugitus prædicunt ». Pata.

4. *Sepe repulsus.* Omnes fere « sæpe repulsu ». J. V. L. ex plerisque MSS veterem lectionem restituit, ita ut ad Lucretii formam « saxea septa », IV, 701, et Ovidii « nondum portarum sepe receptum », Trist. IV, 1, 81, respondeat.

5. *Cana fulix.* Multi habent, *Rava fulix.* J. V. L.

Digitized by Google

Vos quoque signa[6] videtis, aquai dulcis alumnæ,
Quum clamore paratis inanes fundere voces,
Absurdoque sono fontes et stagna cietis.....
Sæpe etiam pertriste canit de pectore carmen,
Et matutinis acredula vocibus instat,
Vocibus instat, et assiduas jacit ore querelas,
Quum primum gelidos rores aurora remittit.
Fuscaque nonnumquam cursans per litora cornix,
Demersit caput, et fluctum cervice recepit;
Mollipedesque boves[7], spectantes lumina cæli,
Naribus humiferum duxere ex aere succum.....
Jam vero semper viridis[8], semperque gravata
Lentiscus, triplici solita grandescere fœtu,
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.

Cicero, de Divinat. I, 7-9.

6. *Vos quoque signa.* Plinius loco illo eodem: « Ranæ quoque ultra solitum vocales tempestatis, ait, signa sunt ». Virgilius: « Et veterem in limo ranæ cecinere querelam ». Ad hunc autem locum respexit procul dubio ipse Cicero quum ita scribit Attico, Ep. lib. XV: « Equidem etiam pluvias metuo, si prognostica nostra vera sunt: ranæ enim ῥητορεύουσιν ». Arati græcos versus jam habuimus, latinos Ciceronis recitat Q. frater, libro, ut diximus, primo de Divinatione. Versibus autem ipsis recitatis ita addit: « Quis est, inquit, qui ranunculos hoc videre suspicari possit? Sed inest nimirum et ranunculis quædam natura significans aliquid, etc. » Sic nos enim legendum esse existimamus præter et vulgarium, et veterum librorum lectionem, et Victorii hominis eruditi castigationem. PATR.

7. *Mollipedesque boves.* Aratus: Καὶ βόες ἤδη τοι πάρος ὕδατος ἐνδίοιο, Οὐρανὸν εἰσανιδόντες, ἀπ' αἰθέρος ὡς φήσαντο. Virgilius: « aut illum surgentem vallibus imis Aeriæ fugere grues, aut bucula cælum Suspiciens patulis captavit naribus auras ». Boves, inquit etiam Plinius loco citato, cælum olfactantes, seque lambentes contra pilum, eamdem significationem habent.

8. *Jam vero semper viridis.* De hoc loco, quem ex libro de Divinatione priore, quemadmodum et proximum superiorem, et reliquos, protulimus, ita Plinius, lib. XVIII, cap. 25. Est et alia, inquit, manifestior ratio mirabiliore naturæ providentia, in qua Ciceronis sententiam ipsius verbis significabimus. « Jam vero semper, etc. » Ex libro autem Plinii correxi in Ciceronè id, quod ratio etiam ipsa pedum et numerorum requirere videbatur. Nam quum in Cicerone legeretur, « Lentiscus triplici solita grandescere fœtu », reposui ex Plinio, *solita est.* PATR.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

Caprigeni pecoris[9] custos de gurgite vasto...

Priscianus, VI, *p.* 677.

...Quem neque tempestas perimet, neque longa vetustas
Interimet, stinguens præclara insignia cæli.

Id. X, *p.* 882.

9. *Caprigeni pecoris custos de gurgite vasto.* Ex Prisciano, lib. VI, sub ipsum initium. Exprimit autem illud Arati : χαίρει δέ που αἰπόλος ἀνὴρ Αὐταῖς ὀρνίθεσσιν ἐπὴν κατὰ μέτρον ἴωσιν. Aut, quod item mox ibi sequitur : Ἄρνασι μὲν χειμῶνας ἐτεκμήραντο νομῆες, Ἐς νομὸν ὁππότε μᾶλλον ἐπιγόμενοι τροχόωσιν. Sed prius potius. Id enim plane Caprarii meminit, quem hic Cicero periphrasticῶς custodem pecoris caprigeni vocat. Præterea autem quod dicit, «de gurgite vasto», hoc, post Ciceronem quidem, ita extulit Avienus Festus: «Contemplator item, si longe plurima ponto Agmina festinant volucrum, solidamque frequentes Succedunt terram, sterilis desæviet æstus Ac sitient agri». Et deinde : «Sed si tum modicæ producunt agmina ab undis, Nec trepido passim versant convexa volatu, Lætitia est duris pastoribus, affore parcos Præsumunt imbres». Pata.

M. T. CICERO EX HOMERI ODYSSEA.

Tales sunt[1] hominum mentes, quali pater ipse
Jupiter auctiferas lustravit lumine terras.

Augustinus, de Civ. Dei, V, 8.

1. *Tales sunt.* Sic Homerus, Odyss. XXIII, 135 : Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων, Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Arbitrantur Ciceronem hos versus in latinum sermonem vertisse in Academicis, quum quid de animo sentiret Aristoteles retulit. Ed.

M. T. CICERONIS ALCYONES.

..... genuit claris delapsus ab astris
Prævius auroræ[1], solis noctisque satelles.

Nonius, I, 330.

1. *Prævius auroræ, solis noctisque satelles.* Videtur poeta hoc in loco agere de Ceicis parente lucifero. Ovidius autem (Metam. lib. XI, vers. 455) Alcyonis maritum, sidereum conjugem ait. Itaque veteres editores erraverunt, quum legendum esse contenderent, «Alcyonem genuit»; et e recentioribus quidam non debuisset idem peccatum admittere. Ed.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS LIMON.

Tu quoque[1], qui solus lecto sermone, Terenti,
Conversum expressumque latina voce Menandrum
In medio populi sedatis vocibus effers,
Quidquid come loquens, atque omnia dulcia liquens[1].

Donatus, vel Suetonius, in Vita Terentii.

1. *Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti.* Ausonius hunc versum imitatus est, Protrept. ad Nepot. v. 58. Videtur autem Cæsar eum irrisisse his notissimis versibus a Donato servatis, qui sic incipiunt : «Tu quoque tu in summis, o dimidiate Menander». Ed.

2. *Liquens.* Burmannus legendum censet «atque omnia dulcia promens»: alii reponunt *dicens* : sed nemini placere potest vetus lectio *liquens*. Ed.

M. T. CICERONIS MARIUS.

Nuntia fulva Jovis, miranda visa figura.....

Cic. de Legib. I, 1.

Hic Jovis altisoni subito pinnata satelles,
Arboris e trunco serpentis saucia morsu,
Ipsa feris subigit transfigens unguibus anguem
Semianimum, et varia graviter cervice micantem.
Quem se intorquentem lanians, rostroque cruentans,
Jam satiata animum, jam duros ulta dolores,
Abjicit efflantem, et laceratum affligit in unda,
Seque obitu a solis nitidos convertit ad ortus.
Hanc ubi præpetibus pinnis lapsuque volantem
Conspexit Marius, divini numinis augur,
Faustaque signa suæ laudis, reditusque notavit;
Partibus intonuit cæli pater ipse sinistris:
Sic aquilæ clarum firmavit Jupiter omen.

Id. de Divinat. I, 47.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

www.libtool.com.cn

IN LIBROS DE SUO CONSULATU.

Librorum de Consulatu invenio tria genera Ciceronem confecisse. Primo orationem, de qua jam dixi, quum orationes explicarem, in illa quidem oratione, quæ contra concionem Q. Metelli inscripta fuit : et si quid est, quod dicendum adhuc sit, inferius dicetur. Secundum genus librorum de Consulatu, fuit græcus commentarius, de quo lib. I ad Att. «Commentarium Consulatus mei græce compositum misi ad te». Et epistola item sequente: «De meis scriptis misi ad te græce perfectum Consulatum meum: eum librum L. Cossinio dedi : puto te latinis meis delectari, huic autem græco Græcum invidere : alii si scripserint, mittemus ad te, sed mihi crede, simulatque hoc nostrum legerunt, nescio quo pacto retardantur». Et epistola prima lib. II ad eumdem Att. « kal. jun. eunti mihi Antium, et gladiatores M. Metelli cupide relinquenti, venit obviam tuus puer : is mihi literas abs te, et commentarium Consulatus mei græce scriptum reddidit : in quo lætatus sum, me aliquanto ante de iisdem rebus græce item scriptum librum L. Cossinio ad te perferendum dedisse : nam si ego tuum ante legissem, furatum me abs te diceres : quamquam illa tua (legi enim libenter) horridula mihi atque incompta visa sunt : sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta neglexerant : et, ut mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur. Meus autem liber totum Isocratis μυροθήκιον, atque omnes ejus discipulorum arculas, et nonnihil etiam Aristotelica pigmenta consumpsit : quem tu Corcyræ, ut mihi aliis literis significas, strictim attigisti; post autem, ut arbitror, a Cossinio accepisti : quem tibi ego non essem ausus mittere, nisi eum lente ac fastidiose probavissem : quamquam ad me scripsit jam Rhodo Possidonius, se, nostrum illud ὑπόμνημα quum legeret, quod ego ad eum, ut ornatius de iisdem rebus scriberet, miseram, non modo non excitatum esse ad scribendum, sed etiam plane perterritum. Quid quæris? conturbavi græcam nationem. Ita vulgo, qui instabant, ut darem sibi quod ornarent, jam exhibere mihi molestiam destiterunt : tu, si tibi placuerit liber,

Digitized by Google

curabis ut et Athenis sit, et in ceteris oppidis Græciæ: videtur enim posse aliquid nostris rebus lucis afferre». Tertium genus fuerunt libri tres versibus conscripti latinis, in quorum altero Urania loquebatur, in tertio Calliope: nam de primo nihil constat: de his libris sic idem ipse Cicero eodem libro, ex lib. I Epist. ad Atticum, loco adnotato: «Latinum si perfecero, ad te mittam. Tertium poema exspectato, ne quod genus a me ipso laudis meæ prætermittatur». Quem locum ego quidem, contra aliorum opinionem, sic intelligo: Misi ad te græcum, mittam et latinum, si perfecero. Statim autem significat, quid ad perfectionem desideretur. Tertium videlicet poema exspectato: id autem est, ut ego intelligo, tertium librum versibus conscriptum, qui solus ad latinum perficiendum desideratur, quum duos jam confectos habeam. Quod autem mox inquit, «Ne quod genus laudis, etc.» sic simpliciter accipio, quod quum duobus jam superioribus libris, quos se confectos habere innuit, multa laudum suarum genera fuerit versibus persequutus, nunc, ne quid sit, quod in hoc genere prætermisisse videatur, tertium se additurum librum pollicetur. Tertium igitur genus librorum de Consulatu fuit hoc istud poema, quod præ manibus est, tribus libris, ut dixi, constans. Quartum genus, si cui addendum videbitur, illud forte addendum esse videri poterit, de quo sic ad Lucceium ipse Cicero, lib. V ad Fam. Quum enim satis illum adhortatus fuisset ad Consulatum suum scriptis illustrandum, subjungit: «Si suscipis causam, inquit, conficiam commentarios rerum omnium». Quos sane illum etiam confecisse, indicio potest esse locus quidam ex lib. IV ad Att. ubi Cicero sic scribit: «Tu Lucceio, inquit, nostro librum dabis». Valde enim proclive est de illis commentariis intelligere, quos se Lucceio confecturum pollicebatur per epistolam: præsertim quum ejus etiam epistolæ paullo ante, scribens ad eumdem Atticum, meminerit: «Epistolam, inquit, Lucceio quam misi, qua, res meas ut scribat, rogo, fac ut ab eo sumas, valde bella est, eumque ut approperet adhorteris, et quod mihi ita se facturum rescripsit, agas gratias». Equidem poemati de Consulatu, Afranio et Metello coss. suprema videtur manus fuisse imposita: nam in ea epistola, quæ est tertia, lib. II ad Att. perscripta illis coss. versus jam tum ex libro III ejus poematis ita recitantur, ac si non modo jam per-

Digitized by Google

fecti, sed etiam Attico essent notissimi. Hunc autem istum commentarium, quem in quarto genere librorum de Consulatu constituo, Marcellino et Philippo demum coss. scribere est aggressus: sicut non difficulter posset demonstrari, si quis modo tempus datæ illius ad Lucceium epistolæ consideraverit. Omnino in hunc istum commentarium ea videntur fuisse conjecta, quæ Lucceius ipse deinde in historia exprimere et imitari debuerat. Consulatum enim Ciceronis a multis fuisse celebratum magnopere constat, sicut de Attico, ex epist. 1 lib. II Epistolarum ad ipsum, et ex Cornelio Nepote in ipsius vita: de Archia, ex oratione pro ipso: de Sallustio, ex ipsius historia: de plerisque etiam aliis, aliunde. Nec mirum id sane videri debet. Erat enim consulatus Ciceronis vere, ut Curio dicere erat solitus, ἀποθέωσις quædam: cujus rebus gestis Cicero memoriam sui nominis ad immortalitatis et sanctitatis opinionem consecrarat, ut mirum videri non debeat, si Plinius in laudes Ciceronis erupturus, e tota vita ejus, consulatus tantum opera selegerit, de quo loco Plinii diximus in scholiis in orationem pro Roscio Othone. Eum consulatum Terentiæ uxori divinis etiam prodigiis præmonstratum fuisse, constat ex Servio, qui, dum illud Virg. Eclog. VIII interpretatur: « Aspice, corripuit tremulis altaria flammis Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse »; ait poetam ad illud respexisse, quod de se ipso in poemate Cicero testatus fuerat, Terentiæ, dum post peractum sacrificium libare vellet, visam flammam in cinere, quæ res maritum ipsius eo anno futurum consulem designabat. Quod eo etiam admonui libentius, ut primi etiam libri fragmentum aliquod, vel certe fragmenti loco aliquid habere possimus: nam ego id sane, quod narrat Servius, ad primum librum existimo pertinere: quamquam Plutarchus de hoc isto aliter disserat. Prætermissum autem fuisse in iis libris, quemadmodum Cæsar, objectu togæ Curionis, servatus esset ab impressione eorum, qui Ciceronem domum e senatu, post latam sententiam in conjuratos, deducebant, ostendit Plut. in vita Cæsaris. Patr.

www.libook.com.cn

Digitized by Google

M. T. CIC. DE SUO CONSULATU, LIB. II.

www.libtool.com.cn

Principio ætherio[1] flammatus Jupiter igni
Vertitur, et totum collustrat lumine mundum,
Menteque divina cælum terrasque petessit;
Quæ penitus sensus hominum, vitasque retentat,
Ætheris æterni septa, atque inclusa cavernis.
Et, si stellarum motus, cursusque vagantes
Nosse velis, qua sint signorum in sede locatæ,
Quæ verbo et falsis Graiorum vocibus errant,
Re vera certo lapsu spatioque feruntur:
Omnia jam cernes divina mente notata.
Nam primum astrorum volucres, te consule, motus,
Concursusque graves stellarum ardore micantes,
Tu quoque[2], quum tumulos Albano in monte nivales
Lustrasti, et læto mactasti lacte[3] Latinas,
Vidisti, et claro tremulos ardore cometas,

1. *Principio ætherio flammatus Jupiter igni Vertitur*, etc. Desumptum ex lib. I de Divin. ubi sic Quint. frat. «Quid de fulgurum vi, inquit, dubitare num possumus? nonne quum multa alia mirabilia, tunc illud in primis? quum Summanus in fastigio Jovis Opt. Maximi, qui tum erat fictilis, cælo ictus esset, nec usquam ejus simulacri caput inveniretur, haruspices in Tiberim id depulsum esse dixerunt, idque inventum est eo loco, qui est ab haruspicibus demonstratus. Sed quo potius utar aut auctore, aut teste, quam te? cujus edidici etiam versus, et libenter quidem, quos in secundo consulatu Urania musa 'pronuntiat :' *Principio ætherio*, etc. » Sunt autem versus, in quibus Cicero, vel potius Urania Ciceroni, ea prodigia enumerare videtur, quæ, Catilina petente consulatum, ipso cos. Cicerone, dii immittere videbantur, de quibus Plutarchus in vita Cic. et ipse Cicero, Catil. Orat. III : « Nam ut illa omittam, inquit, visas nocturno tempore ab occidente faces, ardoremque cæli, ut fulminum jactus, ut terræ motus, ceteraque, quæ tam multa nobis coss. facta sunt, ut hæc, quæ nunc fiunt, canere dii immortales viderentur, etc. » PATRIC.

2. *Tu quoque, quum tumulos Albano in monte*. Albanorum tumulorum meminit etiam in ea, quæ est pro Milone, prope finem. PATR.

3. *Mactasti lacte Latinas*. Solebant enim populi, qui Latinas ferias erant celebraturi, lac, et alia secum in Albanum montem adferre, inde autem carnes petere : ut nos alio quodam loco ostendimus copiose. PATR.

Digitized by Google

Multaque misceri nocturna strage putasti;
Quod ferme dirum in tempus cecidere Latinæ,
Quum claram speciem concreto lumine luna
Abdidit, et subito stellanti nocte perempta est.
Quid vero Phœbi fax, tristis nuntia belli,
Quæ magnum ad culmen flammato ardore volabat,
Præcipites cæli partes, obitusque petisset?
Aut quum terribili perculsus fulmine civis,
Luce serenanti, vitalia lumina liquit?
Aut quum se gravido tremefecit corpore tellus?
Jam vero variæ nocturno tempore visæ
Terribiles formæ, bellum motusque monebant;
Multaque per terras vates oracla furenti
Pectore fundebant, tristes minitantia casus,
Atque ea, quæ lapsu tandem cecidere vetusto,
Hæc fore, perpetuis signis clarisque frequentans
Ipse deum genitor cælo terrisque canebat.
Nunc ea, Torquato quæ quondam, et consule Cotta
Lydius ediderat Tyrrhenæ gentis aruspex,
Omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
Nam pater altitonans[4], stellanti nixus Olympo,

4. *Nam pater altitonans.* Hos versus tres sequentes repetit etiam Lactantius, lib. III, cap. 18, sed medio nonnihil commutato : sic enim habet: « Ipse suas arces atque inclyta templa petivit » : putat autem iis versibus Ciceronem alludere ad illud Lucretii, quum dicit de deo : « tum fulmina mittat, et ædes Ipse suas disturbet ». Loquuntur enim versus Ciceronis de icto fulmine Capitolio, qua de re tota, præter Dionem, lib. XXXVII, et reliquos historicos, est etiam illud in eadem illa oratione III in Catilinam : « Memoria, inquit, tenetis, Cotta et Torquato coss. complures in Capitolio turres de cælo esse percussas, quum et simulacra deorum immortalium depulsa sunt, et statuæ vetcrum hominum dejectæ, et legum æra liquefacta. Tactus est etiam ille, qui hanc urbem condidit, Romulus, quem insuratum in Capitolio parvum, atque lactentem uberibus lupinis inhiantem fuisse meministis : quo quidem tempore, quum haruspices ex tota Etruria convenissent, cædes atque incendia, et legum interitum, et bellum civile ac domesticum, et tótius urbis ac imperii occasum appropinquare dixerunt, nisi dii immortales, omni ratione placati, suo numine prope fata ipsa flexissent.

Digitized by Google

Ipse suos quondam tumulos ac templa petivit,
Et Capitolinis injecit sedibus ignes.
Tum species ex ære vetus, generataque Nattæ,
Concidit, elapsæque vetusto[5] numine leges;
Et divum simulacra peremit fulminis ardor.
Hic silvestris erat romani nominis altrix,
Martia, quæ parvos Mavortis semine natos
Uberibus gravidis vitali rore rigabat:
Quæ tum cum pueris flammato fulminis ictu
Concidit, atque avulsa pedum vestigia liquit.
Tum quis non, artis scripta ac monumenta volutans,
Voces tristificas chartis promebat Etruscis?
Omnes civili generosa[6] stirpe profectam
Vitare ingentem cladem, pestemque monebant;
Vel legum exitium constanti voce ferebant,
Templa deumque adeo flammis, urbesque jubebant
Eripere, et stragem horribilem, cædemque vereri.
Atque hæc fixa gravi fato ac fundata teneri,

Itaque illorum responsis tunc et ludi decem per dies facti sunt, neque res ulla, quæ ad placandum deos pertineret, prætermissa est, iidemque jusserunt simulacrum Jovis facere majus et in excelso collocare, et contra atque ante fuerat, ad orientem convertere, ac se sperare dixerunt, si illud signum, quod videtis, solis ortum, et forum, curiamque conspiceret, fore, ut ea consilia, quæ clam essent inita contra salutem urbis atque imperii, illustrarentur, ut a senatu populoque romano perspici possent: atque illud ita collocandum consules illi statuerunt, sed tanta fuit operis tarditas, ut neque a superioribus consulibus, neque a nobis ante hodiernum diem collocaretur». Hæc Cicero. Vigebat autem tum quoque iis coss. conjuratio, in qua Catilina quoque fuit, ut scribit Sallustius in Catil. Conflagrationis istius Capitolii meminit præterea Cicero, Verr. VI: «Divinitus, inquit, exstitit illa flamma, non quæ deleret Jovis Opt. Max. templum, sed quæ præclarius magnificentiusque deposceret». Patr.

5. *Elapsæque vetusto.* Ondinus legendum arbitratur «erasæque vetusto æramine leges». Hoc quoque mente agitaverat Joannes Gulielmius, qui legebat *ærumine;* sed voces illæ non ita genuinæ sunt; quas Bubierus vituperat, et legendum putat «erasæque vetustæ numine leges». Ed.

6. *Omnes civili generosa stirpe*, etc. Lego, *Omnes ..... generosam*, quamquam præterea de mendo videndum. Patr.

Digitized by Google

Ni post, excelsum ad columen formata decore,
Sancta Jovis species claros spectaret in ortus.
Tum fore, ut occultos populus, sanctusque senatus
Cernere conatus posset, si solis ad ortum
Conversa, inde patrum sedes, populique videret.
Hæc tardata diu species, multumque morata,
Consule te tandem celsa est in sede locata.
Atque una fixi ac signati temporis hora
Jupiter excelsa clarabat sceptra columna;
At clades patriæ flamma ferroque parata
Vocibus Allobrogum patribus, populoque patebat.
Rite igitur veteres, quorum monumenta tenetis,
Qui populos urbesque modo ac virtute regebant;
Rite etiam vestri, quorum pietasque fidesque
Præstitit, ac longe vicit sapientia cunctos,
Præcipue coluere vigenti numine divos.
Hæc adeo penitus cura videre sagaci,
Otia qui studiis lætî tenuere decoris,
Inque Academia umbrifera, nitidoque Lyceo
Fuderunt claras fœcundi pectoris artes.
E quibus ereptum primo jam a flore juventæ,
Te patria in media virtutum mole locavit:
Tu tamen anxiferas curas requiete relaxas,
Quod patriæ vocis studiis nobisque sacrasti.

Cic. de Divinat. I, 11-13.

Atque animo pendens[7] noctis eventa timebat.

Nonius, III, 85.

7. *Atque animo pendens.* Nonius Marcellus verbi *eventus* diversa genera declarans, hunc etiam versum adfert, ex secundo, ut ipse citat, libro Consulatus. Pertinere videtur, aut ad illam sollicitudinem, quum vereretur Cicero, ne a C. Cornelio et Cethego occideretur domi, simulantibus salutationem: aut quum, detecta jam per Allobroges conjuratione, et conjuratis plerisque comprehensis, secum agitaret, quid iis facturus esset. PATR.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

M. T. C. de suo Consulatu lib. III.

www.libtool.com.cn

Interea cursus[8], quos prima a parte juventæ,
Quosque adeo consul virtute, animoque petisti,
Hos retine, atque auge famam, laudesque bonorum.
Cic. ad Attic. II, 3.

8. *Interea cursus, quos prima a parte juventæ,* etc. Ex Cicerone, ad Attic. lib. II, desumptum. Sic scribit Cicero. « Hic sunt hæc : Conjunctio mihi summa cum Pompeio, si placet, etiam cum Cæsare, reditus in gratiam cum inimicis, pax cum multitudine, senectutis otium : sed me κατάκριτός mea illa commovet, quæ est in lib. III : *Interea cursus*, etc. » Et mox : « Hæc mihi quum in eo libro, in quo multa sunt scripta, Calliope ipsa præscripserit, non opinor esse dubitandum, quin semper nobis videatur. Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης». Hæc de iis versibus. Si quis est autem, qui ad eos quoque de Consulatu libros, fragmentum, quod superius in orat. de suo consulatu retulimus, existimet pertinere, cum hoc non vehementer pugnabimus, illud unum admonebimus, quod ne ipsum quidem valde necesse est, vitiata esse fragmenti verba, quum sic, ut sunt, sub leges hexametri cadere non possint. Quamquam etiam, si ad orationem referas, vix integrum locum esse, et a labe immunem, posses obtinere : sic enim habet, « Quorum luxuries fortunata censa peperit ». Pata.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

www.libtool.com.cn

IN LIBRUM DE TEMPORIBUS SUIS.

De hoc libro sic scribit ipse ad P. Lentulum, Ciliciæ proconsulem: « Scripsi etiam versibus tres libros de Temporibus meis: quos jam pridem ad te misissem, si esse edendos putassem: sunt enim testes, et erunt sempiterni meritorum tuorum erga me, meæque in te pietatis ». Quid autem complexus eo fuerit, inscriptio ipsa indicat, ut in re nota disertum velle videri minime necesse sit. Sed quemadmodum quidem in libro de consiliis suis fecimus, ut hunc istum de suis Temporibus librum, ab illo differre ostenderemus, apertis ipsis signis atque indiciis, ita hic quoque discrimen aliquod demonstremus, inter hoc istud et illud de suo Consulatu, quod proxime præcessit, opus, quod sane huic et genere scribendi, et materia, et librorum numero, et plerisque aliis rebus persimile videri potest. Sit igitur positum, quod confirmatum jam fuit, libros de Consulatu Afranio et Metello coss. perfectos fuisse. Inde enim constabit planissime, libros de suis Temporibus diversos ab illis exstitisse. Sic enim scribit de iis Cicero ad Lentulum: « Quod rogas, ut mea tibi scripta mittam, quæ post discessum tui (discessum autem in provinciam significat) scripserim, sunt orationes quædam, quas Menocrito dabo, etc. Scripsi etiam Aristotelico more tres libros in disputatione ac dialogo de Oratore, etc. Scripsi etiam versibus tres libros de Temporibus meis, etc. » Atqui Lentulus, ad quem epistola illa scribitur, post Afranii et Metelli consulatum anno demum quarto in Ciliciam procos. profectus fuit. Constat igitur, quod volumus, libros de Consulatu, quum multo ante perfecti fuerint, quam libri de Temporibus inchoati, manifestissime ab iis diversos esse atque differentes. Illud magis est observatione dignum, quod etsi, Vallam sequuti, fragmenta quædam in hunc librum contulerimus, tamen fit nescio quo modo, ut dubitare videamur ad huncne librum revera pertineant. Quum enim alterius ejus fragmenti in oratione in Pisonem fiat mentio, quam esse Cn. Pompeio Magno II, M. Crasso II coss. ha-

Digitized by Google

bitam vult Pedianus, hos autem libros Cicero in epistola ad Lentulum, quæ sequenti anno, etiam sub extremum L. Domitii et Appii Claudii consulatus, scripta fuit, editos nondum fuisse testatur, fit, ut alterum horum necessario suspicer, aut Asconium in tempore orationi Pisonianæ designando aberrasse, Fenestellamque potius audiendum esse, qui eam anno posteriori ultimam habitam esse scribit: aut vero Vallam ipsum falsum esse, qui hæc ista fragmenta, de quibus loquimur, ex iis libris desumpta fuisse profitetur. De quo alias considerabimus. In iis iisdem profecto libris exstitisse scribit idem Valla, illud, quod sine libri nomine Ciceroni tribuit Quintilianus, lib. XI, cap. 1, et quod reprehensum fuisse et derisum scribit a nonnullis, a Jove se in concilium deorum advocatum, a Minerva omnes artes edoctum fuisse, quæ sibi, ut inquit idem Quintilianus, Cicero, sequutus quædam Græcorum exempla, permiserat. De qua re etiam video fieri mentionem in ea, quæ Sallustio in Ciceronem tribuitur oratio. Hocque est illud adeo quod lib. II ad Q. fratrem scribit ad hunc modum: « Placiturum tibi esse librum in eum suspicabar: tam valde placuisse quam scribis, valde gaudeo. Quod me admones de non curantia, suadesque ut meminerim Jovis orationem, quæ est in extremo illo libro: Ego vero memini, et illa omnia mihi magis scripsi quam ceteris ». Quibus quidem ex verbis illud etiam intelligitur hos libros ante ad Q. fratrem missos quam editos in vulgus fuisse. Est enim hæc epistola Pompeio scripta et Crasso II coss. ipse autem ad Lentulum anno post scribens dicit libros hos editos non esse. PATR.

M. T. CICERO DE TEMPORIBUS SUIS.

Cedant arma togæ [1]; concedat laurea laudi.

Cic. de Offic. I, 22.

1. *Cedant arma togæ.* Ejus versus mentio est, ut jam dixi, in ea in Pisonem, ubi multis verbis respondet ad ejus versus invidiam: habet autem ibi pro *linguæ, laudi:* « concedat laurea laudi ». Respondet item pro eodem versu in Philipp. II, sed ejus initium tantum recitat. Libro certe primo de Offic. ita scribit ad filium: « Illud autem optimum est, in quo me invadi solere ab invidis et improbis audio. Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ: ut enim alios omittam, nobis remp. gubernantibus nonne togæ

O fortunatam[2] natam me consule Romam!

Quintilian. IX, 4; XI, 1.

www.libtool.com.cn

arma cessere?» Sallustius, si modo est Sallustius, in Ciceronem sic: «Etiamne aures nostras onerabis tuo odio? etiamne molestissimis verbis insectabere? *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.* Quasi vero togatus, et non armatus ea quæ gloriaris confeceris». Cui Tullius ipse, si modo etiam est Tullius: «An ego tunc falso scripsi, *Cedant arma togæ*, qui togatus armatos, et pace bellum oppressi?» Vide etiam Quintilian. lib. XI, cap. 1, et Servium in Æneid. I. Eodem autem respexisse etiam videtur Plin. lib. VII, cap. 30, dum ita affatur Ciceronem: «Salve primus omnium parens patriæ appellate, primus in toga triumphum, linguæque lauream merite, et facundiæ latiarumque literarum parens, etc.» et Cassius ad ipsum Ciceronem, Famil. lib. XII: «Est enim tua toga omnium armis felicior». Hæc de sententia versus. Ceterum unde ipse desumptus sit, tantum habeo dicere, quæ de Valla superius adnotavi. Patr.

2. *O fortun. natam me consule Romam!* Citat hunc versum Diomedes, lib. II, sed suppresso Ciceronis nomine. Meminit et idem ille, quisquis est, qui se Sallustium profitetur, in ea declamatione in Ciceronem. «Atque is, inquit, quum ejusmodi sit, tamen audet dicere: O fortunatam natam me cos. Romam! Te cos. fortunatam Cicero! immo vero infelicem et miseram, quæ crudelissimam, etc.» Meminit et Quintilianus, lib. eodem XI, c. 1, et supra lib. IX, c. 4. De hoc Juven. ad hunc modum. Sat. X, vs. 119: «Ingenio manus est et cervix cæsa, nec umquam Sanguine causidici maduerunt rostra pusilli. O fortunatam natam me consule Romam, Antoni gladios potuit contemnere, si sic Omnia dixisset. Ridenda poemata malo Quam te conspicuæ divina Philippica famæ, Volveris a prima quæ proxima, etc.» Ergo Ciceronis esse versum dubitari non potest: quo autem ex libro ita in ora hominum venerit, quidquid habuimus, quod dici possit, exposuimus. Quod autem hunc versum Juvenal. inter ridicula poemata commemorat, arbitror ad eumdem Senecam quoque respexisse, qui lib. III, de Ira sic scribit: «Non æquis quemdam oculis vidisti, quia de ingenio tuo male loquutus est. Recipis hanc legem? Ergo te Ennius, quo non delectaris, odisset, et Hortensius simultates tibi indiceret, et Cicero, si derideres carmina ejus, inimicus esset». Omnino enim idem scribit, Declamat. lib. III: «Ciceronem, inquit, eloquentia sua in carminibus destituit». Ex quo illud etiam Taciti in dialogo de Oratoribus, emanasse existimo: «Fecerunt, inquit, Brutus et Cæsar carmina non melius quam Cicero, sed felicius: quia illos fecisse pauciores sciunt». Patr.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS ELEGIA TAMELASTIS[1].

www.libtool.com.cn

Jam mare Tyrrhenum longe penitusque palumbes
Relliquit. *Servius ad Virg. Eclog.* I, 58.

1. *Tamelastis.* Et titulus et fragmentum hujus elegiæ ex Servio desumptum est, qui scribens in illud Virgilii Ecloga I, *Raucæ tua cura palumbes*, citat manifeste Ciceronem, in hac elegia : verbaque affert, quæ nos inter fragmenta reposuimus. Notandum tamen varie elegiæ nomen scribi a descriptoribus Servii. Quidam enim *Tamelastin* scribunt, uti a nobis quidem descripta est. Quidam *Thamelastin*, quidam etiam *Telemastin*, nonnulli vero denique *Talemgain*. Ridicule nimis et barbare.

M. T. CICERONIS JOCULARIS LIBELLUS[1].

Vigilantem habemus consulem Caninium[2] :
In consulatu somnum non vidit suo. *Epigr. vet.*

Fundum Varro[3] vocat, quem possim mittere funda,
Ni tamen exciderit qua cava funda patet.

1. *Jocularis libellus.* Præter eos libros, quos superius poeticos Ciceronis nominavimus, videtur etiam scripsisse libellum nescio quem jocularem, de quo tantum habeo dicere, quantum infra in ipsius fragmenti patebit explicatione. Certe huc Lactantium allusisse arbitror, quum lib. III, cap. 14, sic scribit ad Ciceronem sermone converso : « Idem, inquit, in Consolatione, id est, in opere non joculari, hanc de philosophia sententiam tulisti, etc. » Equidem, versibusne hic liber conscriptus totus fuerit, vix habeo ut affirmem. PATR.

2. *Caninium.* Multi Caninium irrisere quem Cæsar consulem elegerat ad dimidiam tantum unius diei partem. ED.

3. *Fundum Varro.* De hoc sic Quintilianus, lib. VIII, cap. ultim. quum hyperboles eam partem, quæ ad augendam orationem pertinet, exposuisset. « Nec pauciora sunt, inquit, genera minuendi : *vix ossibus hærent.* Et quod Cicero in quodam joculari libello : *Fundum Varro vocat, quem possim mittere funda, Ni tamen exciderit qua cava funda patet* ». Sensus est : quamquam modicus etiam locus fundus dici potest, quum fundum non magnitudo ipsa faciat, sed domini affectio, et designatio, tamen Varronis cujusdam designatio ridicula potest videri, qui tam exiguis finibus fundum definivit ac designavit, ut totus quantus est, funda mitti possit, immo ut propter parvitatem vix in cavi-

Digitized by Google

Extractam puteo situlam quum ponit in horto,
Ulterius standi non habet ille locum.
Quintilian. VIII, 6; *Charisius*, IV; *Diomedes*, II.

www.libtool.com.cn

tate fundæ hærere possit. Quod dixi de fundorum designatione, repetitum est de Ulpiano l. locus, ff. verborum significationibus : alibi tamen legitur, *Quo possim mittere funda :* et item, *Ni lapis exciderit.* Hæc de libello joculari : videtur etiam scripsisse epigrammata quædam : certe Plin. Epist. lib. VII, meminit epigrammatis cujusdam in Tironem, cujus sententiam quoque ibidem versibus suis recitat ejusmodi, de Cicer. loquens : « Nam queritur, quod fraude mala frustratus amantem, Paucula cœnato sibi debita suavia Tyro Tempore nocturno subtraxerit ». PATA.

EX M. T. C. POEMATE INCERTO.

Tunc se fluctigero [1] tradit mandatque patroni.
Isidorus, XIX, 1.
Parunculis ad litus ludit celeribus [2]. *Isidor. ibid.*

1. *Tunc se fluctigero tradit mandatque patroni.* Olivetus arbitratur hunc versum ad poema de Mario scriptum pertinere. ED.

2. *Celeribus.* Iambum hunc in directæ orationis reliquiis latentem, justo loco reposuimus, quem satis per se poetica vis et forma vindicabat. ED.

Digitized by Google

Q. T. CICERONIS POEMATA[1].

www.libtool.com.cn

DE XII SIGNIS.

...Flumina verna cient obscuro lumine Pisces;
Curriculumque Aries æquat noctisque diique:
Cornua quem comunt florum prænuntia Tauri.
Aridaque æstatis Gemini primordia pandunt;
Longaque jam minuit præclarus lumina Cancer,
Languificosque Leo proflat ferus ore calores.
Post modicum quatiens Virgo fugat orta vaporem.
Autumni reserat portas, æquatque diurna
Tempora nocturnis dispenso sidere Libra;
Et fœtos ramos denudat flamma Nepai.
Pigra Sagittipotens jaculatur frigora terris;
Bruma gelu glacians jubare spirat Capricorni.
Quam sequitur nebulas rorans liquor altus Aquari,
Tanta supra circaque vigent ubi flumina. Mundi

1. *Poemata.* In vetere manuscripto, ex quo versus illos hausimus, hæc verba leguntur inscripta: « Q. Ciceronis hi versus eo pertinent, ut quod signum quo tempore illustre sit, noverimus, quod superius quoque nostris versibus expeditur ». Scaliger (Astronomic. veterum scriptor. pag. 163) hunc titulum eis tribuit: DE XII SIGNIS. Quæ verba servavimus. Versus autem illi scribarum ignorantia omnino sæpe commutati fuere. Ad tertium Scaliger proponebat *condunt*, loco *comunt*. Ad quintum, Nic. Heinsius anteponeret *prælatus* aut *prævarus*. Septimum nemo potest intelligere: hunc emendat Vinetus quum legit aut *modium*, aut *spicum quatiens*, ex ipsis Ciceronis verbis qui in Arati translatione ait: « spicum illustre tenens ». In decimo facile est legere, sicuti Tullius, « effœtos ramos ». Sed fatendum est extremos versus obscuros admodum ac mancos videri: legendum esse censerem ex manuscripto de quo agit Heinsius: « Hunc inter fulgentes arcera septem Magna quatit stellas ». Vox illa *arcera*, quam Nonius, I, 270, a Cicerone desumptam profert, quamque inter ignotorum operum fragmenta reposuimus, optime huic loco adscriberetur. Præterea Nonius ipse, quod conjecimus, confirmat, quum arceram plaustrum rusticum ait; namque hoc nomine sæpe Arcturum dicimus: « Flexerat obliquo plaustrum temone Bootes ». Ceterum pereat opera, sensui eliciendo. ED.

Digitized by Google

At dextra lævaque ciet rota fulgida Solis
Mobile curriculum, et Lunæ simulacra feruntur.
Squama sub æterno conspectu tota Draconis
Eminet: hunc inter fulgentem sidera septem
Magna quatit stellans; quam servans serus in alta
Conditur Oceani ripa cum luce Bootes.....

EPIGRAMMATA.

Crede ratem ventis, animum ne crede puellis;
Namque est feminea tutior unda fide.

Femina nulla bona est[2]; vel, si bona contigit ulla,
Nescio quo fato res mala facta bona est.

2. *Femina nulla bona est.* Burmannus aliique complures versus illos cum iis quæ superius expressimus in unum conjungunt; attamen ita inter se discrepant, ut mirum sit eos tamdiu in unum fuisse copulatos. Ed.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Q. CICERO

DE

PETITIONE CONSULATUS

AD M. TULLIUM FRATREM

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

ARGUMENTUM

E SCHUTZII EDITIONE DESUMPTUM.

www.libtool.com.cn

Quum tempus instaret, quo M. Tullius Cicero consulatum ex lege annali petere posset, scripsit ad eum Quintus frater hunc libellum, sive epistolam, ut eum doceret, quomodo et quibus artibus consulatum, quem mox petiturus erat, certo consequi posset. Et quoniam novus homo erat Cicero, id est, is, cujus majores non essent honores in republica adepti, hanc novitatem dicit fratrem dicendi gloria maxime, deinde etiam amicitiis et hominum nobilium voluntate sublevaturum, cap. 1; præcipue quum competitores ejusmodi nobiles habeat, quorum nemo audeat dicere plus sibi nobilitatem quam fratri virtutem prodesse oportere, cap. 2, 3. His igitur novitatis subsidiis expositis, accedit ad magnitudinem petitionis declarandam, cap. 4. Ubi docet petitionem magistratuum divisam esse in duarum rationum diligentiam; quarum altera in amicorum studiis, altera in populari voluntate ponenda sit. Primum igitur agit de amicorum studiis conciliandis, cap. 5-10; in quibus partim iis amicis quos jam devinctos habeat, inserviendum esse exponit, c. 5, 6; partim in ipsa petitione novas permultas ac perutiles amicitias comparari posse ostendit, cap. 7-10. Deinde accedit ad alteram partem petitionis, quæ in populari ratione versetur, c. 11 sqq. ubi ostendit quid ad obtinendum consulatum profici possit, 1° ex nomenclatione, 2° ex blanditia, 3° ex assiduitate, c. 11; 4° ex benignitate, cap. 12; 5° ex rumore, 6° ex bona spe reipublicæ et honesta opinione, cap. 13.

Fratrem cogitare jubet Romam esse, ubi consulatum petat, civitatem ex nationum conventu constitutam, in qua multæ insidiæ, multa in omni genere vitia versentur, et magni consilii sit magnæque artis offensionem, fabulam, insidias vitare, et ad tantam morum ac sermonum ac voluntatum varietatem se accommodare, cap. 14.

In fine hujus commentarioli rogat fratrem, ut si quid in eo mutandum, aut addendum putet, hoc sibi dicat, quoniam eum haberi velit omni ratione perfectum.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

Q. CICERO

www.libtool.com.cn

DE

PETITIONE CONSULATUS,

AD M. TULLIUM FRATREM.

I. Etsi tibi omnia suppetunt, quæ consequi ingenio, aut usu homines [1], aut diligentia possunt; tamen amore nostro non sum arbitratus alienum, ad te perscribere ea, quæ mihi veniebant in mentem, dies ac noctes de petitione tua [2] cogitanti; non ut aliquid ex iis novi adjicerem, sed ut ea, quæ in re dispersa atque infinita viderentur esse, ratione et distributione sub uno adspectu ponerentur. Quamquam [3] plurimum natura valet, tamen videtur in paucorum mensium negotio posse simulatio [4] naturam vincere.

Civitas [5] quæ sit, cogita, quid petas, qui sis. Prope quotidie ad forum tibi descendenti meditatum hoc sit, « Novus [6] sum; consulatum peto; Roma est ».

I. 1. Frustra Muretus deleri volebat *homines*.

2. *De p. tua.* Petebat consulatum, quem obtinuit et gessit una cum C. Antonio anno Urb. cond. 690, quum ipse annum ageret XLIV. Facc.

3. *Quamquam*, etc. Putean. verba, «Quamquam... vincere», quæ in veteri quodam libro MS non invenit, hic aliena esse arbitratur, et transferre jubet in cap. 11, post « facere videare ». Falsa, ut mihi videtur, species et virum doctum fefellit, et post eum plurimos. Ernest. nihil de hac conjectura. J. V. L.

4. *Simulatio.* Candidati, si forte essent natura duriores, quo tempore petebant, mores alios simulare debebant ad conciliandum sibi populi studium. Facc.

5. *Civitas.* Tria summa capita hujus commentarioli, « quis, quid, ubi ».

6. *Novus.* Novæ nobilitatis homo dicebatur, qui primus ex sua familia

Digitized by Google

Nominis novitatem dicendi gloria maxime sublevabis. Semper ea res plurimum dignitatis habuit. Non potest, qui dignus habetur patronus consularium, indignus consulatu putari. Quamobrem, quoniam ab hac laude proficisceris, et, quidquid es, ex hoc es: ita paratus ad dicendum venito, quasi in singulis causis judicium de omni ingenio futurum sit. Ejus facultatis adjumenta, quæ tibi scio esse sepositа, ut parata ac prompta sint, cura; et sæpe, quæ de Demosthenis studio et exercitatione scripsit Demetrius [7], recordare. Deinde et amicorum [8] multitudo et genera appareant. Habes enim ea, quæ novi habuerunt [9]: omnes publicanos [10], totum fere equestrem ordinem, multa præterea municipia, multos abs te defensos cujusque ordinis, aliquot collegia [11]; præterea studio dicendi conciliatos plurimos adolescentulos, quotidianam amicorum assiduitatem et frequentiam. Hæc cura ut teneas

magistratum gereret curulem. Huic ex una parte respondebat *nobilis*, id est, is, cujus majores magistratus curules gesserant; quod significabatur per imagines in atrio domestico collocatas: ex altera respondebat *ignobilis*, qui nec ipse jus imaginis habebat, nec imagines majorum ostendere poterat. Marcus igitur Cicero, qui genere ignobilis erat, *novus* dici cœpit, quum ædilis est creatus; quia tum primum jus imaginis acquisivit. Facc.

7. *Demetrius*. Demetrius Phalereus. Ipse quoque Marcus de hac Demosthenis cura scribit in lib. I de Orat. cap. 61, et in lib. V de Fin. cap. 1.

8. *Amicorum*. Hoc est, alterum, quod sublevare novitatem potest; si appareat, te et multos, et ex omni civitatis ordine amicos habere. Fortasse vox *genera* non tam ad varietatem, quam ad dignitatem refertur.

9. Lambinus legebat, «quæ novi non habuerunt»; Sch. «quæ novi non omnes habuerunt». Sic certe promptior sententia. Ernest. nihil mutat. J. V. L. — Facc. «nulli habuerunt», quod vix intelligas, nisi *novi* subaudias. Muret. et Lall. suppressa voce *habuerunt*, servant «quæ novi», i. e. scio. Gallicus interpres Lambinum sequitur. Non male. Ed.

10. *Omnes publicanos*. In orat. pro Planc. cap. 9, flos equitum rom. ornamentum civitatis, firmamentum reip. publicanorum ordine contineri dicitur. Quantopere autem ordo hic M. Ciceroni faveret, apparet ex orat. pro Domo sua, ad Pont. c. 8. Facc.

11. *Antiqua collegia*. Opificum societates, quarum vis quanta esset in civitate, habes ex Sigonio, de Antiquitate jur. civ. Roman. lib. II, cap. 12. Id.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

commendando, et rogando, et omni ratione efficiendo, ut intelligant, et qui debent[12] tua causa, referendæ gratiæ; et qui volunt, obligandi tui tempus sibi aliud nullum fore. Etiam hoc multum videtur adjuvare posse novum hominem, hominum nobilium voluntas, et maxime consularium. Prodest, quorum in locum ac numerum pervenire velis, ab his ipsis illo loco ac numero dignum putari. Hi rogandi omnes sunt diligenter, et ad eos allegandum[13]; persuadendumque est iis, nos semper cum optimatibus[14] de republica sensisse, minime populares fuisse; si quid loquuti populariter, id nos eo consilio fecisse, ut nobis Cn. Pompeium[15] adjungeremus, et eum, qui plurimum posset, aut amicum in nostra petitione haberemus, aut certe non adversarium. Præterea adolescentes nobiles, elabora, ut habeas, vel ut teneas, studiosos tui quos habes: multum dignitatis afferent. Plurimos habes: perfice, ut sciant, quantum in his putes esse. Quod si adduxeris, ut ii, qui non nolunt, cupiant, plurimum proderunt[16].

II. Ac multum[1] etiam novitatem tuam adjuvat, quod ejusmodi nobiles tecum petunt, ut nemo sit, qui audeat dicere, plus illis nobilitatem, quam tibi virtutem prodesse oportere. Jam P. Galbam[2], et

12. *Qui debent.* Qui debent, et qui volunt facere aliquid tibi gratum.

13. *Allegandum.* Mittendi amici, qui rogent.

14. *Cum optimatibus.* Locum hunc illustrabunt ipsius Marci verba in orat. pro Sext. cap. 45. Facc.

15. *Pompeium*, etc. His temporibus Pompeius popularis videri volebat, quamvis postea, causa nobilitatis suscepta, Cæsarem revera popularem oppugnarit. Faverant autem Ciceroni Pompeio, ut apparet ex oratione pro lege Manilia. Idem.

16. *Proderunt.* Fortasse Quintus scripsit *proderit*, id est, hoc tibi plurimum proderit, si adduxeris cives ἀδιαφόρους, ut te potissimum consulem cupiant, tibique faveant. Facc.

II. 1. *Ac multum.* Tertia ratio, quæ adjuvat novitatem tuam, est, quod habes competitores contemnendos. Fuere autem sex, P. Sulpicius Galba, L. Sergius Catilina, C. Antonius, L. Cassius Longinus, Q. Cornificius, et C. Licinius Sacerdos.

2. *Jam P. Galbam.* Muretus et Lambinus legere malunt *num*. Placeret e

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

L. Cassium, summo loco natos, quis est, qui petere consulatum putet? Vides igitur, amplissimis ex familiis homines, quod sine nervis sint, tibi pares non esse. At Antonius et Catilina[3] molesti sunt. Immo homini novo[4], industrio, innocenti, diserto, gratioso apud eos, qui res judicant[5], optandi competitores : ambo a pueritia sicarii, ambo libidinosi, ambo egentes. Eorum alterius bona proscripta[6] vidimus, vocem denique audivimus jurantis[7], se Romæ judicio æquo cum homine græco certare non posse : et ex senatu ejectum[8] scimus. Optima vero censorum existimatione in prætura competitorem habuimus, amico Sabidio[9] et Panthera, quum, ad tabulam[10] quos poneret, non habebat. Quo tamen in magistratu amicam, quam palàm domi haberet, de machinis emit[11]. In petitione autem consulatus caupones[12] omnes compilare[13] per turpissimam

nobis, sed *jam* eodem fere sensu locum habere potest.

3. *Ant. et Catilina.* Uterque nobilis propter majorum imagines, Catilina vero etiam patricius. Facc.

4. Claud. Puteanus maluit *navo.* Probabiliter.

5. *Apud eos, qui res judicant.* Ita loquuntur Latini, quoties non singulos judices, sed totum ordinem significant. Facc.

6. *Bona proscripta.* Antonii bona publice vendita, ut satisfieret creditoribus. Id.

7. *Jurantis.* Antonius accusatus a Græcis, quos in Achaia spoliaverat, et damnatus judicio repetundarum, tribunos appellavit, juratus ex formula, se æquo jure uti non posse, sibi vim fieri opibus adversariorum. De re hac, et de bonis Antonii proscriptis, vide fragmenta orationis in C. Antonium et L. Catilinam apud Asconium. Id.

8. *Ejectum.* A censoribus, quod socios diripuisset, et judicium recusasset. Id.

9. *Amico Sabidio.* Usus est amicis vilissimis, qui suo nomine suffragiorum custodes essent, rogatores, diribitores. Fere autem munia hæc viri nobilissimi obibant pro merito et dignitate ejus, de cujus re agebatur. M. Cicero post Redit. in Sen. c. 11: « Quando tantam frequentiam in campo, tantum splendorem Italiæ totius ordinumque omnium; quando illa dignitate rogatores, diribitores, custodesque vidistis? » Id.

10. *Ad tabulam.* In qua suffragiorum numerus et ratio inibatur. Id.

11. *De machinis emit.* De catasta, ubi servi vendebantur. Machinæ istiusmodi mentio est ap. Persium, Sat. VI; apud Tibull. lib. II, Eleg. 3; apud Martialem pluribus locis. Id.

12. Al. *cauponas.*

13. *Caupones omnes compilare.*

Digitized by Google

legationem maluit, quam adesse, et populo romano supplicare. Alter vero[14], dii boni! quo splendore est? primum nobilitate eadem: num majore[15]? non; sed virtute[16]: quamobrem, quod inanius, umbram[17] suam metuit: hic ne leges quidem, natus in patris egestate, educatus in sororis stupris, corroboratus in cæde civium; cujus primus ad rempublicam aditus in equitibus romanis occidendis fuit. Nam illis, quos meminimus[18], Gallis[19], qui tum Titiniorum, ac Nanniorum, ac Tanusiorum[20] capita demebant, Sulla unum Catilinam præfecerat; in quibus ille hominem optimum Q. Cæcilium, sororis suæ virum, equitem romanum, nullarum partium[21], quum semper natura, tum etiam ætate jam quietum, suis manibus occidit.

III. Quid ego nunc dicam, petere eum consulatum, qui hominem carissimum[1] populo romano, M. Marium[2], inspectante populo romano, vitibus[3] per totam urbem ceciderit? ad bustum[4] egerit? ibi omni

Antonius petitionis tempore legationem liberam obibat, compilando cauponas, a quibus omnia sibi tamquam legato pop. rom. suppeditari jubebat. Facc.

14. *Alter vero.* Catilina.

15. Mendosus locus.

16. *Virtute.* Totum hunc locum Puteanus ita legendum putabat: « Alter vero, dii boni, quo splendore est? Primum nobilitate eadem. Num majore virtute? Non; sed audacia. Quamobrem? quod Antonius umbram suam metuit; hic ne leges quidem, natus in patris egestate, educatus in sororis stupris, etc. »

17. *Umbram suam.* Proverbium ad nimium timorem significandum.

18. *Meminimus.* Acciderat enim ante annos fere viginti.

19. *Gallis.* Sulla usus est militibus gallis ad obtruncandos cives.

20. Puteanus et Palermus conj. « Tantasiorum ». Sane Asconius inter eos, qui a Catilina occisi sunt « L. Tantasium » ponit. Pro « Nanniorum » Manutius malebat « Nanneiorum ».

21. *Nullarum partium.* Non Marianarum, quibus parci nolebat Sulla. Itaque privato odio et crudelitate Cæcilium occidit.

III. 1. *Hom. carissimum.* Nemo fuit carior multitudini, ut est de Offic. lib. III, cap. 20. Ad locum hunc totum illustrandum mirifice valet, quod scribit Seneca, lib. III de Ira, c. 18.

2. Al. *Gratidianum.*

3. Minus bene olim edd. nonnullæ « virgis ».

4. *Ad bustum.* Val. Max. IX, 2.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

cruciatu vivum lacerarit? stanti collum[5] gladio sua dextera secuerit, quum sinistra capillum ejus a vertice teneret? caput sua manu tulerit, quum inter digitos ejus rivi sanguinis fluerent? qui postea cum histrionibus et cum gladiatoribus ita vixit[6], ut alteros libidinis, alteros facinoris adjutores haberet? qui nullum in locum tam sanctum ac tam religiosum accessit, in quo non, etsi in aliis culpa non esset, tamen ex sua nequitia dedecoris suspicionem[7] relinqueret? qui ex curia Curios, et Annios[8], ab atriis Sapalas, et Carvilios[9], ex equestri ordine Pompilios, et Vettios sibi amicissimos comparavit? qui tantum habet audaciæ, tantum nequitiæ, tantum denique in libidine artis et efficacitatis, ut prope in parentum gremiis prætextatos[10] liberos constuprarit? Quid ego nunc tibi de[11] Africa, quid de testium dictis[12] scribam? nota sunt: et ea tu sæpius legito. Sed tamen hoc mihi non prætermittendum videtur, quod primum ex eo judicio tam[13] egens discessit, quam quidam judices ejus ante illud judicium fuerunt; deinde tam invidiosus, ut aliud[14] in eum judicium quotidie flagitetur. Hic se sic habet, ut

5. Gronovio placebat: « omni cruciatu lacerarit, vivo etiam collum, etc. »

6. Ernestus malebat « vixerit », et postea « accesserit... habeat... compararit ».

7. *Ded. suspicionem.* Fabia virgo Vestalis ob nequitiam Catilinæ in incesti suspicionem inciderat. Causam dixit, et absoluta est. Facc.

8. *Curios, et Annios.* Senatores probrosos, qui postea cum Catilina conjurarunt, ut est in Sallustii Catilinaria. Curium autem censores probri causa moverant, ut et ibid. c. 24. Id.

9. *Sapalas, et Carvilios.* Præcones amicos sibi sumpserat ab atriis auctionariis, et quidem egentes ac vitiosos; cujusmodi erant fere omnes, qui præconium exercebant. Id.

10. *Prætextatos.* Impuberes, qui nondum sumpserant togam puram. Id.

11. *De Africa.* Africam quum prætor Catilina avare crudeliterque administrasset, repetundarum est accusatus, et corruptis judicibus absolutus.

12. *Testium dictis.* Quæ dicta quum exstarent, poterant a Marco legi; ut intelligeret quinam esset Catilina, quamvis fuisset absolutus. Id.

13. *Tam egens.* Quia excussus et exhaustus ab judicibus, quos corruperat. Id.

14. *Aliud.* Desiderabant homines, ut accusaretur corrupti judicii. Id.

Digitized by Google

magis timeat, etiam si quierit, quam ut contemnat[15], si quid commoverit. Quanto melior tibi fortuna petitionis data est, quam nuper homini novo C. Cœlio? Ille cum duobus hominibus ita nobilissimis[16] petebat, ut tamen in iis omnia pluris essent, quam ipsa nobilitas : summa ingenia, summus pudor, plurima beneficia, summa ratio ac diligentia petendi. Tamen eorum alterum Cœlius, etiam quum multo esset inferior genere, superior[17] nulla re pæne, superavit. Quare si facies ea, quæ tibi natura, et studia, quibus semper usus es, largiuntur, quæ temporis tui ratio desiderat, quæ potes, quæ debes; non erit difficile certamen cum iis competitoribus, qui nequaquam sunt tam genere insignes, quam vitiis nobiles. Quis enim reperiri potest tam improbus civis, qui velit uno suffragio[18] duas in rempublicam sicas destringere?

IV. Quoniam, quæ subsidia novitatis haberes, et habere posses, exposui : nunc de magnitudine petitionis dicendum videtur. Consulatum petis : quo honore, nemo est, quin te dignum arbitretur; sed multi, qui invideant. Petis enim homo ex equestri loco summum locum civitatis; atque ita summum[1], ut forti viro, diserto, innocenti, multo ille idem honos plus amplitudinis, quam ceteris afferat. Noli putare, eos, qui sunt eo honore usi, non videre, tu quum idem sis adeptus, quid dignitatis habiturus sis. Eos vero, qui

15. *Ut contemnat.* Contemnat periculum, si aut largitionibus, aut aliis artibus quippiam commoverit. Facc.

16. *Ita nobilissimis.* Particula *ita* hoc loco valet *eatenus*, quemadmodum est in cap. seq. « ita summum ».

17. Alii, « superior nulla re, pæne superavit ».

18. *Uno suffragio.* Malim legere « suo suffragio »; vel « uno tempore suffragio suo ». Ita in fragmentis orationis in Tog. cand. « Duas uno tempore conantur in remp. sicas distringere ». Recte « uno tempore » dici potest; « uno suffragio » non potest. Attamen nihil ex contextu mutare ausus sum. Facc.

IV. 1. *Ita summum.* Eatenus summum, ut tamen pro dignitate hominis possit amplior videri. In.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

consularibus familiis nati locum majorum consequuti non sunt, suspicor, tibi, nisi qui admodum te amant, invidere. Etiam novos homines prætorios existimo, nisi qui tuo beneficio vincti sunt, nolle abs te se honore superari. Jam in populo quam multi invidi sint, quam multi consuetudine horum annorum[2] ab hominibus novis alienati, venire tibi in mentem certo scio. Esse etiam nonnullos tibi iratos ex iis causis, quas egisti, necesse est. Jam illud tute circumspicito, quod ad Cn. Pompeii gloriam augendam tanto studio te dedisti, num quos tibi putes ob eam causam esse amicos. Quamobrem quum et summum locum civitatis petas, et videas esse studia, quæ tibi adversentur: adhibeas necesse est omnem rationem, et curam, et laborem, et diligentiam.

V. Et petitio magistratuum divisa est in duarum rationum diligentiam : quarum altera in amicorum studiis, altera in populari voluntate ponenda est. Amicorum studia beneficiis, et officiis, et vetustate[1], et facilitate, ac jucunditate naturæ parta esse oportet. Sed hoc nomen amicorum in petitione latius patet, quam in cetera vita. Quisquis est enim, qui ostendat aliquid in te voluntatis, qui colat, qui domum ventitet, is in amicorum numero est habendus. Sed tamen, qui sunt amici ex causa honestiore, cognationis, aut affinitatis, aut sodalitatis, aut alicujus necessitudinis, his carum et jucundum esse, maxime prodest. Deinde ut quisque est intimus, et maxime domesticus, ut is amet, et quam amplissimum esse te cupiat, valde elaborandum est : tum ut tribules, ut vicini,

2. *Quam multi consuetudine horum annorum.* Quibus annis nobilitatis partes, duce Sulla, prævalebant adversus Marium, hominem novum, et totam illam Marianam factionem. Facc.

V. 1. *Vetustate.* Longo et familiari usu. Id.

Digitized by Google

ut clientes, ut denique liberti, postremo etiam[2] servi tui; nam fere omnis sermo ad forensem famam a domesticis emanat auctoribus. Denique instituendi sunt cujusque generis amici : ad speciem, homines illustres honore ac nomine; qui etiam si suffragandi studia non navant[3], tamen afferunt petitori aliquid dignitatis : ad jus obtinendum[4], magistratus; ex quibus maxime consules, deinde tribuni plebis : ad conficiendas centurias[5], homines excellenti gratia. Qui abs te tribum[6], aut centuriam, aut aliquod beneficium, aut habeant, aut, ut habeant, sperent; eos prorsus magnopere et compara, et confirma. Nam per hos annos homines ambitiosi vehementer omni studio atque opere laborarunt, ut possent a tribulibus suis ea, quæ peterent, impetrare. Hos tu homines, quibuscumque rationibus, ut ex animo atque ex illa summa voluntate tui studiosi sint, elaborato. Quod si satis grati homines essent, hæc omnia tibi parata esse debebant, sicut parata esse confido : nam hoc biennio quatuor sodalitates civium ad ambitionem gratiosissimorum tibi obligasti, M. Fundanii, Q. Gallii, C. Cornelii, C. Orcinini[7].

2. *Etiam servi.* Hoc non pertinet ad suffragandi studium, sed ad famam nominis. Facc.

3. *Non navant.* Dedignantur ea facere, quæ suffragatores faciunt. Id.

4. *Ad jus obtinendum.* Amicitia magistratuum juvat, ne quid fraudis fiat : qua in re primum valent consules, qui præsunt comitiis, deinde tribuni pl. qui possunt intercedere. Id.

5. *Ad confic. centurias.* « Conficere centurias » est centuriarum favorem et suffragia conciliare : quem modum dicendi adhibuit Marcus quoque in lib. II ad Fam. epist. 16. Id.

6. *Qui tribuent centuriam.* Totum hunc locum valde contaminatum et obscurum alii aliter legunt. Egó in primo membro retinui quod est apud Manutium et in aliis vulgatis editionibus. Tribuent autem Marco centuriam homines gratiosi ad ambitionem, qui plurimum possunt apud suos tribules. Id.

7. *C. Orcinini.* Nihil superest de oratione qua C. Orcininum defendit Cicero, qui eo collega in prætura usus fuerat. Quamvis voces aliquot servaverint Boethius, Priscianus et Servius, non liquet omnino de qua re hac in causa ageretur. Cains autem Cornelius accusatus erat quod in tribunatu, jus intercessionis fregerat.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

Horum in causis ad te deferundis quidnam eorum sodales tibi receperint et confirmarint, scio : nam interfui. Quare hoc tibi faciendum est, ut hoc tempore ab iis, quod debent, exigas, sæpe commonendo, rogando, confirmando, curando, ut intelligant, nullum se umquam aliud tempus habituros referendæ gratiæ. Profecto homines et spe reliquorum tuorum officiorum, etiam recentibus beneficiis, ad studium navandum excitabuntur. Et omnino quoniam eo genere amicitiarum petitio tua maxime munita est, quod causarum defensionibus adeptus es : fac ut plane iis omnibus, quos devinctos tenes, descriptum ac dispositum suum cuique munus sit. Et quemadmodum nemini illorum molestus nulla in re umquam fuisti : sic cura, ut intelligant, omnia te, quæ ab illis tibi deberi putaris, ad hoc tempus reservasse.

VI. Sed quoniam tribus rebus homines maxime ad benivolentiam, atque ad hæc suffragandi studia ducuntur, beneficio, spe, adjunctione animi, vel voluntate: animadvertendum est, quemadmodum cuique horum generi sit inserviendum. Minimis beneficiis homines adducuntur, ut satis causæ putent esse ad studium suffragationis : nedum ii, quibus saluti fuisti, quos tu habes plurimos, non intelligant, si hoc tuo tempore tibi non satisfecerint, se probatos nemini umquam fore. Quod quum ita sit, tamen rogandi sunt, atque etiam in hanc opinionem adducendi, ut qui nobis adhuc obligati fuerint, iis vicissim nos obligari

Quamvis multi eum urguerint, Cicerone causam agente absolutus est. Orationes geminæ, quas hac in occasione habuit, vulgo pro operibus perfectissimis habebantur. Q. Gallius ambitus accusabatur, et qui eum impugnabat Callidius, contendebat se ab eo veneno pæne oppressum fuisse. Paucissima autem orationum Ciceronis fragmenta supersunt; scimus autem Gallium omni culpa liberatum fuisse. Ed.

Digitized by Google

posse videamur. Qui autem spe[1] tenentur, quod genus hominum multo etiam est diligentius atque officiosius, iis fac ut propositum ac paratum auxilium tuum esse videatur; denique ut spectatorem te suorum officiorum esse intelligant diligentem; ut videre te plane atque animadvertere, quantum a quoque proficiscatur, appareat. Tertium illud genus est studiorum voluntarium[2], quod agendis gratiis, accommodandis[3] sermonibus ad eas rationes, propter quas quisque studiosus esse tui videbitur, significanda erga illos pari voluntate, adducenda amicitia in spem familiaritatis et consuetudinis confirmari oportebit. Atque in iis omnibus generibus judicato et perpendito, quantum quisque possit; ut scias, et quemadmodum cuique inservias, et quid a quoque exspectes, et postules. Sunt enim quidam homines in suis vicinitatibus[4] et municipiis gratiosi; sunt diligentes et copiosi; qui etiam si antea non studuerunt huic gratiæ, tamen ex tempore elaborare ejus causa, cui debent aut volunt, facile possunt. His hominum generibus sic inserviendum est, ut ipsi intelligant, te videre, quid a quoque exspectes; sentire, quid accipias; meminisse, quid acceperis. Sunt autem alii, qui aut nihil possunt, aut etiam odio sunt

VI. 1. *Qui autem spe.* Examinatò *beneficio;* ad *spem* descendit; quod secundo loco proposuit. Facc. — *Propositum.* Ernesto in mentem venerat legere *promptum;* sed ipse post damnavit emendationem suam.

2. *Voluntarium.* Eorum qui nihil acceperunt, nihilque exspectant, ideoque nec beneficio, nec spe moventur. Facc.

3. *Accommodandis sermonibus.* Quibus quisque delectatur et capitur, quibus quisque movetur ad suffragandum. Id.

4. *In suis civitatibus.* Qui conati sunt reponere *vicinitatibus* pro *civitatibus*, inanem laborem susceperunt. Ita loquutus est Marcus quoque in orat. pro Mur. cap. 23: « Homines in suis civitatibus et municipiis gratiosi ». Quo in loco Manutius *civitates* dici putat colonias et præfecturas. Revera *civitates* dicuntur cœtus quilibet jure sociati, ut est in Somnio Scipionis, cap. 3. Hac significatione Cæsar, Bell. Gall. lib. I, cap. 12: « Omnis civitas Helvetiæ in quatuor pagos divisa est ». Id.

Digitized by Google

tribulibus suis; nec habent tantum animi, aut facultatis, ut enitantur ex tempore[5]. Hos internoscas videto; ne, spe in aliquo majore posita, præsidii parum comparetur.

VII. Et quamquam partis et fundatis amicitiis fretum ac munitum esse oportet, tamen in ipsa petitione amicitiæ permultæ ac perutiles comparantur. Nam in ceteris molestiis habet hoc tamen petitio commodi, ut possis honeste, quod in cetera vita non queas, quoscumque velis, adjungere ad amicitiam; quibuscum si alio tempore agas, ut te utantur, absurde facere videare: in petitione autem nisi id agas, et cum multis, et diligenter, nullus petitor esse videare. Ego autem tibi hoc confirmo, esse neminem (nisi aliqua necessitudine competitorum alicui tuorum sit adjunctus), a quo non facile, si contenderis, impetrare possis, ut suo beneficio promereatur, se ut ames, et sibi ut debeas: modo ut intelligat, te magni æstimare, ex animo agere, bene se ponere[1], fore ex eo non brevem et suffragatoriam, sed firmam et perpetuam amicitiam. Nemo erit, mihi crede, in quo modo aliquid virtutis sit, qui hoc tempus sibi oblatum amicitiæ tecum constituendæ prætermittat: præsertim quum tibi hoc casus afferat, ut ii tecum petant, quorum amicitia aut contemnenda, aut fugienda sit; et qui hoc, quòd ego te hortor, non modo [non] assequi, sed ne incipere quidem possint. Nam quid incipiat Antonius homines adjungere, atque invitare ad amicitiam, quos per se suo nomine[2] appellare non possit?

5. *Aut facultatis, ut enitantur ex tempore.* Ex tempore fiant gratiosi. Facc.

VII. 1. *Bene se ponere.* Bene se collocare beneficium suum. Id.

2. *Per se suo nomine.* Quum cives non nosset, non poterat ipse per se sine opera nomenclatoris prensare. Idcirco petitionis tempore liberam legationem obiit, ut est in cap. 11.

Digitized by Google

Mihi quidem stultius nihil videtur, quam existimare eum studiosum tui, quem non noris. Eximiam quamdam gloriam, et dignitatem, ac rerum gestarum magnitudinem esse oportet in eo, quem homines ignoti, nullis suffragantibus [meritis], honore afficiant. Ut quidem homo iners, sine officio, sine ingenio, cum infamia, nullis amicis[3] septus, hominem plurimorum studio, atque omnium bona existimatione munitum præcurrat, sine magna culpa negligentiæ fieri non potest.

VIII. Quamobrem, omnes centurias multis et variis amicitiis, cura, ut confirmatas habeas; et primum, id, quod antè oculos est, senatores, equitesque romanos, ceterorum ordinum navos homines et gratiosos complectere. Multi homines urbani[1] industrii, multi libertini[2] in foro gratiosi navique versantur, quos per te, quos per communes amicos poteris[3] sumere. Cura, ut tui cupidi sint; elaborato, appetito[4], allegato[5], summo beneficio te affici ostendito. Deinde habeto rationem urbis totius, collegiorum omnium, pagorum[6], vicinitatum. Ex iis principes ad amicitiam

3. *Nullis amicis.* Vulgo additur *septus.* Sed vox hæc addita fortasse est ab aliquo interprete; quemadmodum et vox *meritis* post *suffragantibus.* Utraque abest a MSS. Facc.

VIII. 1. *Urbani.* Ex tribubus urbanis. His tribuit industriam, non opes et gratiam. Nam Q. Fabius censor, ut scribit Livius, lib. IX, c. 46: « simul concordiæ causa, simul ne humillimorum in manu essent comitia, omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus conjecit, urbanasque eas appellavit ». Id.

2. *Libertini.* Libertini omnes hoc tempore in tribubus urbanis censebantur: quamvis sæpe de iis movendis, et in rusticas quoque distribuendis actum esset. Id.

3. *Poteris sumere.* Cn. Pal. et edit. Victor. « poteris summa »; unde Grut. legendum conjiciebat: « poteris. Summa; cura ut tui ». Gronov. « poteris summe curare ». Neutrum vulgato præferendum.

4. *Appetito.* Ipse per te roga.

5. *Allegato.* Submitte alios ad rogandum. Facc.

6. *Pagorum, vicinitatum.* Significat vicos ceterasque domorum vicinitates, quæ circa urbem erant, et in tribubus urbanis numerabantur. Id.

Digitized by Google

tuam si adjunxeris, per eos reliquam multitudinem facile tenebis. Postea totam Italiam fac ut in animo ac memoria tributim descriptam comprehensamque habeas: ne quod municipium, coloniam, præfecturam, locum denique Italiæ ne quem esse patiare, in quo non habeas firmamenti, quod satis esse possit. Perquiras etiam et investiges homines ex omni regione, eosque cognoscas, appetas, confirmes; cures, ut suis vicinitatibus tibi petant, et tua causa quasi candidati sint[7]. Volent te amicum, si suam a te amicitiam expeti videbunt. Id ut intelligant, oratione, quæ ad[8] eam rationem pertinet, abunde consequere. Homines municipales, ac rusticani, si nomine nobis noti sunt, in amicitia se esse arbitrantur. Si vero etiam præsidii se aliquid sibi constituere putant, non amittunt occasionem promerendi. Hos ceteri, et maxime tui competitores ne norunt quidem : tu et nosti, et facile cognosces; sine quo amicitia esse non potest. Neque id tamen satis est, tametsi magnum est, si non consequatur spes utilitatis atque amicitiæ, ne nomenclator solum, sed amicus etiam bonus esse videare. Ita quum et hos ipsos, propter suam ambitionem, qui apud tribules suos plurimum gratia possunt, tui studiosos in centuriis habebis, et ceteros, qui apud aliquam partem tribulium propter municipii, aut civitatis, aut collegii rationem valent, cupidos tui constitueris, in optima spe esse debebis. Jam equitum centuriæ[9] multo facilius mihi diligentia posse teneri videntur. Primum cognoscendi sunt equites; pauci enim sunt : deinde

7. *Candidati sint.* Tuo nomine petant. Nam petentes magistratum, candida toga utebantur. Facc.

8. *Quæ ad eam rationem*, etc. Quæ ostendat, te eorum amicitiam expetere. Id.

9. *Equitum centuriæ.* Erant decem et octo, quæ in prima classe censebantur. In classe hac erant præterea centuriæ LXXX eorum, qui centum millia æris haberent; et duæ fabrum, si Livio credimus. Id.

Digitized by Google

adipiscendi; multo enim facilius illa adolescentulorum[10] ætas ad amicitiam adjungitur. Deinde habebis tecum ex juventute optimum quemque, et studiosissimum humanitatis. Tum autem quod equester ordo tuus est, sequentur illi auctoritatem ordinis, si abs te adhibebitur ea diligentia, ut non ordinis solum voluntate, sed etiam singulorum amicitiis eas centurias confirmatas habeas. Jam studia adolescentulorum in suffragando[11], in obeundo, in nuntiando, in assectando mirifice et magna, et honesta sunt.

IX. Et quoniam assectationis mentio facta est, id quoque curandum est, ut quotidiana cujusque generis, et ordinis, et ætatis utare frequentia. Nam ex ea ipsa copia conjectura fieri poterit, quantum sis in ipso campo virium ac facultatis habiturus. Hujus autem rei tres partes sunt : una salutatorum[1], quum domum veniunt; altera deductorum[2]; tertia assectatorum[3]. In salutatoribus, qui magis vulgares sunt, et hac consuetudine, quæ nunc est, plures veniunt, hoc efficiendum est, ut hoc ipsum minimum officium eorum tibi gratissimum esse videatur. Qui domum tuam venient, iis significato, te animadvertere[4], et eorum amicis, qui illis renuntient, ostendito, sæpe ipsis di-

10. *Facilius illa adolescentulorum.* Adipiscendi equites, atque inter hos primum adolescentes, quia facilius amant. Facc.

11. *In suffragando.* Id est, rogando tempore petitionis, adeundo et nuntiando quæ velis. Id.

IX. 1. *Salutatorum.* Qui mane salutatum veniunt. Martialis, lib. IV, epigr. 7 : « Prima salutantes atque altera continet hora ». Id.

2. *Deductorum.* Qui ad forum comitantes deducunt, et domum reducunt. Id.

3. *Assectatorum.* Qui perpetuo sectantur, nec unquam ab officio discedunt. Hoc nomine appellantur qui medicos, qui oratores, aliosve artifices, non officii modo, sed etiam doctrinæ causa totos dies frequentant et comitantur. Plinius, lib. II, ep. 14 : « Assectabar Domitium Afrum, quum, etc. » Id.

4. *Te animadvertere.* Interdum enim turba hæc solum nomenclatorem salutabat; interdum etiam prorsus excludebatur, quod tardior fuisset ad officia. Id.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

cito. Sic homines sæpe, quum obeunt plures competitores, et vident unum esse aliquem, qui hæc officia maxime animadvertat, ei se dedunt, deserunt ceteros, minutatim ex communibus proprii, ex fucosis firmi suffragatores evadunt. Jam illud teneto diligenter, si eum, qui tibi promiserit, fucum (ut dicitur) facere[5] audieris, aut senseris; ut te id audisse, aut scire dissimules: si quis tibi se purgare volet, quod suspectum esse arbitretur, affirmes te de illius voluntate numquam dubitasse, nec debere dubitare. Is enim, qui se non putat satisfacere, amicus esse nullo modo potest. Scire autem oportet, quo quisque animo sit, ut et quantum cuique confidas, constituere possis. Jam deductorum officium, quo majus est, quam salutatorum, hoc gratius tibi esse significato atque ostendito, et, quoad ejus fieri poterit, certis temporibus descendito[6]. Magnam affert opinionem, magnam dignitatem, quotidiana in deducendo frequentia. Tertia est ex hoc genere assidua assectatorum copia. In ea quos voluntarios habebis, cura, ut intelligant, te sibi in perpetuum summo beneficio obligari. Qui autem tibi debent, ab iis plane hoc munus exige, qui per ætatem ac negotium poterunt, ipsi tecum ut assidui sint: qui ipsi sectari non poterunt, necessarios suos in hoc munere constituant. Valde ego te volo, et ad rem pertinere arbitror semper cum multitudine esse. Præterea magnam affert laudem, et summam dignitatem, si ii tecum erunt, qui a te defensi, et qui per te servati, ac judiciis liberati sunt. Hæc tu plane ab iis postulato, ut quoniam nulla[7] impensa

5. *Facere audieris*, etc. Olim editi libri interponunt *velle*, sed contra optimos MSS.

6. *Descendito*. Ad forum.

7. *Nulla impensa*. Apparet in hoc loco, Ciceronem causas civium suorum gratis egisse. Ita in qualibet rep. qui honores spectat, non solet operam

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

per te alii rem, alii honestatem, alii salutem ac fortunas omnes obtinuerunt, nec aliud ullum tempus futurum sit, ubi tibi referre gratiam possint, hoc te officio remunerent.

X. Et quoniam in amicorum studiis hæc omnis ratio versatur : qui locus in hoc genere cavendus sit, prætermittendum non videtur. Fraudis atque insidiarum, et perfidiæ plena sunt omnia. Non est hujus temporis[1] perpetua illa de hoc genere disputatio, quibus rebus benivolus et simulator dijudicari possit : tantum est hujus temporis admonere. Summa tua virtus eosdem homines et simulare tibi se esse amicos, et invidere coegit. Quamobrem Ἐπιχαρμεῖον[2] illud teneto, « nervos atque artus esse sapientiæ, non temere credere ». Et quum tuorum amicorum studia constitueris, tum etiam obtrectatorum atque adversariorum rationes et genera cognoscito. Hæc tria sunt: unum ex iis, quos læsisti; alterum, qui sine causa non amant; tertium, qui competitorum valde amici sunt. Quos læsisti, quum contra eos pro amico diceres, his te plane purgato; necessitudines[3] commemorato; in spem adducito, te in eorum rebus, si se in amicitiam contulerint, pari studio atque officio futurum; spondeto[4]. Qui sine causa non amant, eos aut beneficio, aut spe[5], aut significando tua erga illos studia futura, delinito, dans operam, ut de illa animi pravitate deducas. Quorum voluntas erit abs te propter compe-

suam illis vendere, quorum suffragiis aliquando uti velit. Facc.

X. 1. *Hujus temporis.* Grutero suspectum.

2. Ἐπιχαρμεῖον. Sententia hæc Epicharmi comici refertur etiam a Marco fratre, lib. I ad Att. epist. 19. Facc.

3. *Necessitudines.* Quibus coactus fuisti pro amico dicere contra eos. Hinc enim idonea purgatio est. Id.

4. *Spondeto* melius forte abest a libris Puteani, Turnebi, et Palatino. Schütz. tamen nimis leviter delet.

5. *Aut beneficio, aut spe.* Aut statim beneficium confer, aut in spem beneficii adducito. Facc.

www.jbtool.com.cn

Digitized by Google

titorum amicitias alienior, his quoque eadem inservi oratione, qua superioribus; et, si probare poteris, te in eos ipsos competitores tuos benivolo esse animo ostendito.

XI. Quoniam de amicitiis constituendis satis dictum est, dicendum de illa altera parte petitionis, quæ in populari ratione versatur. Ea desiderat nomenclationem, blanditiam, assiduitatem, benignitatem, rumorem, spem in republica[1]. Primum id, quod facis, ut homines noris, significa[2], ut appareat; et auge, ut quotidie melius fiat. Nihil mihi tam populare, neque tam gratum videtur. Deinde id, quod natura non habes, induc in animum, ita simulandum esse, ut natura facere videare[3]. Nam comitas[4] tibi non deest ea, quæ bono ac suavi homine digna est. Sed opus est magnopere blanditia; quæ etiam si vitiosa est et turpis in cetera vita, tamen in petitione est necessaria. Tunc enim quum deteriorem aliquem assentando facit, improba est; quum amiciorem, non tam vituperanda. Petitori vero necessaria est, cujus et frons, et vultus, et sermo ad eorum, quoscumque convenerit, sensum et voluntatem commutandus est[5]. Jam assiduitatis nullum est præceptum; verbumque ipsum docet, quæ res sit. Prodest quidem vehementer, nusquam deesse[6]: sed

XI. 1. *Spem in rep.* Ut sit spes de te in republica. Hanc spem ut excitarent, aliquando in concione ad populum, vel in senatu, se aliquid pro rep. facturos, profitebantur candidati. In.

2. *Significa.* Hanc in rem scribit Donatus ad Terentii Adelphos act. V, sc. 6, moris esse inferiores proprio nomine appellare, si blandiri velis.

3. Hic videntur interponenda esse ea, quæ supra, cap. 1, alieno loco leguntur: «Quamquam plurimum natura valet, tamen videtur in pancorum mensium negotio posse simulatio naturam vincere». Et sic jam Putean visum. Sch.

4. *Comitas tibi non deest.* Comitas virtutis administra est, blanditia vitii. Comitate amicus, blanditia adulator cernitur.

5. Duo MSS addunt «et accommodandus». Forsan recte, Gruteri quidem sententia.

6. *Deesse.* Iidem codd. *discedere.*

Digitized by Google

tamen hic fructus est assiduitatis, non solum esse Romæ atque in foro, sed assidue petere, sæpe eosdem appellare; non[7] committere, ut quisquam possit dicere, quod ejus sit, consequi possis, si abs te non sit rogatum, et valde ac diligenter rogatum. Benignitas autem late patet : et est in re familiari; quæ quamquam ad multitudinem pervenire non potest, tamen ab amicis laudatur, et multitudini grata est. Est in conviviis; quæ facito et abs te, et ab amicis tuis concelebrentur, et passim, et tributim[8]. Est etiam in opera; quam pervulga et communica : curaque, ut aditus ad te diurni nocturnique pateant, neque foribus solum ædium tuarum, sed etiam vultu ac fronte, quæ est animi janua. Quæ si significant, voluntatem abditam esse ac retrusam, parvi refert patere ostium. Homines enim non modo promitti sibi, præsertim quæ a candidato petant, sed etiam large atque honorifice promitti volunt. Quare hoc quidem facile præceptum est, ut, quod acturus sis, id significes te studiose ac libenter esse facturum. Illud difficilius, et magis ad tempus, quam ad naturam accommodatum tuam : quod facere non possis[9], ut id haud injucunde neges. Quorum alterum est boni viri, alterum boni petitoris.

XII. Nam quum id petitur, quod honeste, aut sine detrimento nostro promittere non possumus (quo modo, si qui roget, ut contra amicum aliquem causam recipiamus), belle negandum est, ut ostendas necessitudinem, demonstres quam moleste feras, aliis te id rebus exsarturum[1] esse persuadeas. Audivi hoc

7. *Non.* Male Ern. auctore Palermo, delevit *non*. Mendosus tamen locus.

8. *Tributim*. Per tribus, ut ex singulis tribubus aliqui capiantur, et benignitatis fama late vagetur.

9. Sic Lallem. quæ lectio minus intricata videtur, quam fere omnes vulgatæ. Ernest. nimis obsequitur audaciæ Lambini legentis, «ut id aut jucunde promittas, aut ingenue neges». J. V. L.

XII. 1. *Exsarturum*. Id est, com-

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

dicere quemdam de quibusdam oratoribus, ad quos causam suam detulisset, gratiorem sibi orationem fuisse ejus, qui negasset, quam illius, qui recepisset. Sic homines fronte et oratione magis, quam ipso beneficio reque capiuntur. Verum hoc probabile est: illud alterum subdurum tibi homini Platonico[2] suadere; sed tamen tempori tuo consulam. Quibus enim te propter aliquod officium necessitudinis affuturum negaris, tamen ii possunt abs te placati, æquique discedere: quibus autem idcirco negaris, quod te impeditum[3] esse dixeris aut amicorum negotiis, aut gravioribus causis, ante susceptis; inimici discedunt: omnesque hoc animo sunt, ut sibi te mentiri malint, quam negare. C. Cotta, in ambitione artifex, dicere solebat, se operam suam, quoad non contra officium rogaretur, polliceri solere omnibus; impertire iis, apud quos optime poni arbitraretur: ideo se nemini negare, quod sæpe accideret, ut is, cui pollicitus esset, non uteretur; sæpe, ut ipse magis esset vacuus, quam putasset; neque posse domum[4] ejus compleri, qui tantummodo reciperet, quantum videret se obire posse; casu fieri, ut agantur ea, quæ non putaris; illa, quæ credideris in manibus esse, ut aliqua de causa non agantur: deinde esse extremum, ut irascatur is, cui mendacium dixeris. Id, si promittas, et incertum est, et in diem, et in paucioribus. Sin autem id[5] neges, et certe[6] abalienes, et statim, et plures: plures enim multo sunt, qui rogant, ut uti liceat opera

pensaturum. Vulgo legitur *exacturum*, quod vix sustineri potest.

2. *Platonico*. Est ab editione Victorii. Sic et multi MSS. Al. male, « plane perito ».

3. *Te impeditum*. Hoc vero dicere non debes, sed large polliceri: quamvis tibi homini Platonico non probetur.

4. *Domum compleri*. Multitudine eorum, qui egent oratoris opera.

5. *Id*. Puteanus delet *id*. Recte, ut videtur.

6. Schütz. rescripsit *certo*. Quod probarem, si liber esset M. Tullii.

Digitized by Google

alterius, quam qui utantur. Quare satius est, ex iis aliquos aliquando tibi in foro irasci, quam omnes continuo domi: præsertim quum multo magis irascantur ei, qui neget, quam ei, quem videant justa causa impeditum; ut facere, quod promisit, cupiat, si ullo modo possit. Ac ne videar aberrasse a distributione mea, qui hæc in hac populari parte petitionis disputem: hoc sequor; hæc omnia non tam ad amicorum studia, quam ad popularem famam pertinere. Etsi enim inest aliquid ductum ex illo genere, benigne respondere, studiose inservire negotiis ac periculis amicorum: tamen hoc loco ea dico, quibus multitudinem capere possis; ut de nocte domus compleatur, ut multi spe tui præsidii teneantur, ut amiciores abs te discedant, quam accesserint; ut quam plurimorum aures optimo sermone compleantur.

XIII. Sequitur, ut de rumore dicendum sit; cui maxime serviendum est. Sed quæ dicta sunt omni superiori oratione, eadem ad celebrandum rumorem valent, dicendi laus, studia publicanorum et equestris ordinis, hominum nobilium voluntas, adolescentulorum frequentia; eorum, qui abs te defensi sunt, assiduitas; ex municipiis multitudo eorum, quos tua causa venisse appareat: bene ut homines nosse, comiter appellare, assidue ac diligenter petere, benignum ac liberalem esse, loquantur et existiment; domus ut multa nocte compleatur, omnium generum frequentia adsit, satisfiat oratione omnibus, re operaque multis; perficiatur id, quod fieri potest labore, et arte, ac diligentia, non ut ad populum ab iis om-

XIII. 1. *Bene ut homines nosse.* Facciolatus legit « bene omnes loqui et existimare », et his verbis suam confirmat opinionem : Alii aliter verba hæc mutare conati sunt. Ego addidi vocem *omnes*. Nam bene omnes loqui et existimare pertinet ad illum, quem dixerat « optimum sermonem ». Nisi forte omnia prorsus tollenda sunt.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

nibus fama perveniat, sed ut in his studiis populus ipse versetur. Jam urbanam[2] illam multitudinem, et eorum studia, qui conciones tenent[3], quæ adeptus es[4] in Pompeio ornando, Manilii causa recipienda, Cornelio defendendo, excitanda[5] nobis sunt; quæ adhuc habuit nemo, quin idem splendorem[6] omnium, voluntatesque haberet. Efficiendum etiam illud, ut sciant omnes, Cn. Pompeii summam erga te esse voluntatem, et vehementer ad illius rationes, te id assequi, quod petis, pertinere. Postremo tota petitio, cura, ut pompæ plena sit, ut illustris, ut splendida, ut popularis, ut habeat summam speciem, ac dignitatem; ut etiam, si quid possit, in competitoribus[7] tuis existat aut sceleris, aut libidinis, aut largitionis accommodata ad eorum mores infamia. Atque etiam in hac petitione maxime videndum est, ut spes reipublicæ[8] bona de te sit, et honesta opinio. Nec tamen in petendo respublica capessenda[9] est, neque in senatu, neque in concione: sed hæc tibi sunt retinenda; ut senatus te existimet ex eo, quod ita vixeris, defensorem auctoritatis suæ fore; equites romani, et viri boni, et locupletes, ex vita acta te studiosum otii ac rerum tranquillarum; multitudo, ex eo dumtaxat, quod ora-

2. *Urbanam.* Plebis urbanæ studia commemorat, ne ullam civitatis partem omittat.

3. *Qui conciones tenent.* Qui in concionibus sunt assidui.

4. *Quæ adeptus est.* Aiunt critici deesse *quæ* in manuscriptis. Quod si ita est, verbum *adeptus* regit « urbanam multitudinem ».

5. *Excitanda nobis sunt.* Si retinere placet in superiore membro « quæ adeptus, etc. » hæc sit constructio: « urbanam illam multitudinem, et studia excitanda sunt ». Antiptosis est non temere imitanda. Facc.

6. Ern. conj. *favorem.*

7. Recte sic Palermus. Vulgo, « ut etiam si quid possit nec competitoribus ». Gulielmius conjiciebat « si cui possit e competitoribus ».

8. *Spes reip.* Postremum quod proposuit, illud est, ut resp. de te bene sibi polliceatur. Ob hanc unam spem, quæ de Ciceronis virtute erat in republica, consulatum obtinuit, ut scribit Plutarchus in ejus vita.

9. *Resp. capessenda.* Non est commovenda respublica, propositis rebus novis ad conciliandam sibi plebem, vel nobilitatem.

Digitized by Google

tione in concione ac judicio popularis fuisti, te a suis commodis alienum non futurum.

XIV. Hæc mihi veniebant in mentem de duabus illis commonitionibus matutinis, quas tibi[1] quotidie ad forum descendenti meditandum esse dixeramus: Novus sum; consulatum peto.

Tertium restat; Roma est; civitas ex nationum conventu constituta; in qua multæ insidiæ, multa fallacia, multa in omni genere vitia versantur; multorum arrogantia, multorum contumacia, multorum malivolentia, multorum superbia, multorum odium ac molestia perferenda est. Video esse magni consilii atque artis, in tot hominum cujusque modi vitiis tantisque versantem vitare offensionem, vitare[2] fabulam, vitare insidias; esse unum hominem accommodatum ad tantam morum, ac sermonum, ac voluntatum varietatem. Quare etiam atque etiam perge tenere istam viam, quam instituisti[3]. Excelle dicendo. Hoc et tenentur Romæ homines, et alliciuntur, et ab impediendo ac lædendo repelluntur. Et quoniam in hoc vel maxime vitiosa est civitas, quod, largitione interposita, virtutis ac dignitatis oblivisci solet; in hoc, fac, ut te bene noris, id est, ut intelligas, eum esse te, qui judicii[4] ac periculi metum maximum competitoribus afferre possis. Fac, ut se abs te custodiri atque observari sciant: quum diligentiam tuam, quum auctoritatem, vimque dicendi, tum profecto equestris

XIV. 1. *Quas tibi quotidie.* Id est, quas meditandum. Librarii quidam non intelligentes hunc construendi modum, tametsi latinum et regularem, mutarunt *quas* in *quod*, al. in *quo*. F.

2. *Vitare fabulam.* Ne in fabulam venias. Ovidius, Amor. lib. III, el. 1: «Fabula, nec sentis, tota jactaris in urbe».

3. Forsan non deterius foret *institisti*. Hæc Gruterus. Ernest. admisit. Frustra; nam *tenere* hic quoque intelligendum.

4. *Judicii ac periculi metum maximum*, etc. Nam poterat Marcus Cicero competitores suos de ambitu accusare, si per eorum largitiones repulsam tulisset.

Digitized by Google

ordinis erga te studium[5] pertimescant. Atque hæc ita te volo illis proponere, non, ut videare jam accusationem meditari, sed[6] ut hoc terrore facilius hoc ipsum, quod agis, consequare. Et plane sic contende omnibus nervis ac facultatibus, ut adipiscamur, quod petimus. Video, nulla esse comitia tam inquinata largitione, quibus non gratis aliquæ centuriæ renuntient suos, maxime necessarios[7]. Quare si advigilamus pro rei dignitate; et si nostros ad summum studium benivolos excitamus; et si hominibus gratiosis studiosisque[8] nostri suum cuique munus describimus[9]; et si competitoribus judicia proponimus; sequestribus[10] metum injicimus; divisores ratione aliqua coercemus: perfici potest, ut largitio aut nulla fiat, aut nihil valeat.

Hæc sunt, quæ putavi non melius scire me, quam te, sed facilius his tuis occupationibus colligere unum in locum posse, et ad te perscripta mittere. Quæ tamen etsi ita scripta sunt, ut non ad omnes, qui honores petent, sed ad te proprie, et ad hanc tuam petitionem valeant: tamen tu, si quid mutandum esse videbitur, aut omnino tollendum, aut si quid erit præteritum; velim hoc mihi dicas. Volo enim hoc[11] commentariolum petitionis haberi omni ratione perfectum.

5. *Studium*. Recte Palermus exponit «diligentiam» in observando, «auctoritatem vim dicendi» in accusando, «studium equestris ordinis» in judicando.

6. *Opportune* laudat Palermus locum ex orat. pro Murena, cap. 21, «simulatque candidatus accusationem meditari visus est, honorem videtur desperasse».

7. Palermus e MSS affert lectionem «suos sibi maxime necessarios».

8. Sic verba ordinanda esse recte monuit Palermus. Olim perverso ordine «studiosis gratiosisque nostri».

9. Cod. Pal. *distribuimus*.

10. *Sequestribus*. *Sequestres* appellabantur ii, apud quos pecunia largiendo destinata deponebatur; *divisores*, qui eam dividebant.

11. Codd. nonnulli, Palermo teste, addunt *mihi*.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

C. SALLUSTII CRISPI
IN M. T. CICERONEM
DECLAMATIO

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

NOVI EDITORIS PRÆMONITIO.

www.libtool.com.cn

Numquam hæc Declamatio in Ciceronem potuisset Sallustio probabiliter adscribi, nisi legerentur hæc verba in Quintiliani Institut. Orat. lib. IV, 1, § 68 : « non Sallustius directo ad Ciceronem, in quem ipsum dicebat, usus est principio, et quidem protinus ; *graviter et iniquo animo maledicta tua paterer, Marce Tulli?* » et deinde lib. IX, 3, § 89 : « o Romule Arpinas ! » hisce fragmentis a Quintiliano servatis abusus est nescio quis declamator, ut deperditam Sallustii veram orationem refingeret, et pauculas istas voces ex Institut. Orat. arreptas in propriæ Minervæ operam intruderet. Hanc enim declamationem, et illam, quæ sequitur, Ciceronis in Sallustium, patet istiusmodi fuisse, quales in scholis tunc ad discipulorum exercitationem componebantur; et merito tantis scriptoribus dudum abjudicari. Longius foret Cortii conjecturam improbabilem, ac Gesneri Wolfiique opiniones Cortio adversas confutare : nihilominus offendimur, talem imputari Quintiliani glossatoribus ἀκριβίαν, ut passi sint harum orationum falsa fide sibi fucum fieri; habet scrupulum et suspicio tam procacis astutiæ in falsariis istis, ut hæc velut laciniosa geminarum orationum frusta suis commentis inseruerint.

Has tamen ambas qualescumque declamationes, nostræ Ciceronis editioni voluimus adjicere; ne quid desideraretur quod in aliis excusum occurrit : et eo libentius eas admisimus, quod in studiorum classicorum curriculo, nihil sæpius animos et aures moverit, quam infensissima Sallustii in Ciceronem, et Ciceronis in Sallustium odia, quorum causas inquirere nunc operæ pretium non est : satis erit, si meminerimus Sallustium tribuni Clodii amicum et conscium, in Miloniana oratione interdum obliquis ictibus

Digitized by Google

peti, quamvis sine nominis indicio; et celeberrimam illam Ciceronis uxorem Terentiam, ab ipso repudiatam, statim in Sallustii inimici nuptias prorupisse, quicum nomen inclytum, malas inquietæ mentis artes, et animum ultionis irarumque tenacem consociaret; quæ Terentia Sallustio superstes, deinde Messalæ Corvino inter oratores non modico nupsit, ita ut illa per quosdam eloquentiæ romanæ gradus devoluta, tres maritos, maximi in illa ætate ingenii viros habuerit, atque centum et septemdecim vitæ annos exegerit: quod quidem inter mirabilia et fati et ævi muliebris exempla, si non incredibile, unicum videri potest.

N. E. L.

Digitized by Google

C. SALLUSTII CRISPI

www.libtool.com.cn

IN M. T. CICERONEM

DECLAMATIO.

I. Graviter, et iniquo animo, maledicta tua paterer, M. Tulli, si te scirem judicio magis, quam morbo animi, petulantia ista uti. Sed quoniam [1] in te neque modum, neque modestiam ullam animadverto, respondebo tibi; uti, si quam maledicendo voluptatem cepisti, eam male audiendo amittas. Ubi querar? quos implorem, P. C.? diripi rempublicam, atque audacissumo cuique esse perfidiæ? an apud populum romanum, qui ita largitionibus corruptus est, uti sese, ac fortunas suas venales habeat? an apud vos, P. C. quorum auctoritas turpissumo cuique, et sceleratissumo, ludibrio est? ubi M. Tullius leges, judicia populi romani defendit, atque in hoc ordine ita moderatur, quasi unus reliquus ex familia viri clarissumi Scipionis Africani, ac non reptitius [2], accitus, ac paullo ante insitus huic urbi civis.

An vero, M. Tulli, facta, ac dicta tua obscura sunt? an non ita a pueritia vixisti, ut nihil flagitiosum corpori tuo putares, quod alteri collibuisset? Scilicet istam immoderatam eloquentiam apud M. Pisonem non pudicitiæ jactura perdidicisti [3]? Itaque minime miran-

I. 1. *Quoniam.* Al. habent *quum.*

2. *Reptitius.* Al. *repertitius.* Neutram vocem Latini agnosount.

3. *Perdidicisti.* Alii mendose, *perdidisti.*

Digitized by Google

dum est, si[4] eam flagitiose venditas, quam turpissume parasti. Verum, ut opinor, splendor domesticus tibi animos attollit: uxor sacrilega, ac perjuriis delibuta; filia matris pellex, tibi jucundior, atque obsequentior, quam parenti par est. Domum ipsam tuam vi et rapinis, funestam tibi ac tuis, comparasti: videlicet uti nos commonefacias, quam conversa sit respublica, quum in ea domo habitas[5], homo flagitiosissume, quæ P. Crassi, viri consularis[6] fuit.

II. Atque hæc quum ita sint, tamen Cicero se dicit in concilio deorum immortalium fuisse; inde missum huic urbi civibusque custodem, absque carnificis nomine, qui civitatis incommodum in gloriam suam ponit: quasi vero non illius conjurationis causa fuerit consulatus tuus, et idcirco respublica disjecta eo tempore, quo te custodem habebat. Sed, ut opinor, illa te magis extollunt, quæ post consulatum cum Terentia uxore de republica consuluisti: quum legis Plautiæ judicia domi faciebas[1]; ex conjuratis alios morte, alios pecunia condemnabas; quum tibi alius Tusculanum[2], alius Pompeianam villam exædificabat, alius domum emebat; qui vero nihil poterat, is erat calumniæ proxumus, is aut domum tuam oppugnatum venerat, aut insidias senatui fecerat, denique de eo tibi compertum erat. Quæ si tibi falsa objicio; redde rationem, quantum patrimonii acceperis, quid tibi litibus accreverit, qua ex pecunia domum paraveris, Tusculanum et Pompeianum infinito sumptu ædificaveris. Aut, si retices, cui dubium potest esse,

4. *Si.* Al. *quod.*
5. *Habitas.* Non male habent quidam, *habitares.*
6. *Viri consularis.* Al. « V. C. », id est, « viri clarissumi ». Forte rectius.
II. 1. *Faciebas.* Al. *faciebatis.*
2. *Tusculanum.* Al. *Tusculanam.*

www.libtool.com.cn
Digitized by Google

quin opulentiam istam ex sanguine et visceribus civium paraveris? Verum, ut opinor, homo novus Arpinas, ex C. Marii familia, ejus virtutem imitatur; contemnit simultatem[3] hominum nobilium, populi[4] romani curam habet, neque terrore, neque gratia commovetur. Illud[5] vero amicitiæ tantum, ac virtutis est animi? Immo vero homo levissumus, supplex inimicis, amicis contumeliosus, modo harum, modo illarum partium, fidus nemini, levissumus senator, mercenarius patronus, cujus nulla pars corporis a turpitudine vacat: lingua vana, manus rapacissumæ, gula immensa, pedes fugaces; quæ honeste nominari non possunt, inhonestissuma.

III. Atque is, quum ejusmodi sit, tamen audet dicere:

O fortunatam natam me consule Romam!

Te consule fortunatam, Cicero! immo vero infelicem, et miseram, quæ crudelissumam proscriptionem civium perpessa est: quum tu, perturbata republica, metu perculsos omnes bonos parere crudelitati tuæ cogebas; quum omnia judicia, omnes leges, in tua lubidine erant; quum tu, sublata lege Porcia, erepta libertate, omnium nostrum vitæ necisque potestatem ad te unum revocaveras. Atque parum est, quod impune fecisti: verum etiam commemorando exprobras; neque licet oblivisci servitutis suæ. Egeris, oro te, Cicero, perfeceris quod lubet; satis est perpessos esse: etiamne aures nostras odio tuo onerabis? etiamne molestissumis verbis insectabere?

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ:

3. *Simultatem*. Al. *simultates*.

4. *Populi*, etc. Al. « rempublicam caram habet ».

5. *Illud vero*, etc. Locus apud alios aliter mendosus.

Digitized by Google

quasi vero togatus, et non armatus, ea, quæ gloriaris, confeceris; atque inter te, Sullamque dictatorem, præter nomen imperii, quidquam interfuerit.

Sed quid ego plura de tua insolentia commemorem? quem Minerva omnes artes edocuit[1], Jupiter Optumus Maxumus in concilio deorum admisit, Italia exsulem humeris suis reportavit.

Oro te, Romule Arpinas, qui egregia tua virtute omnes Paullos, Fabios, Scipiones, superasti; quem tandem locum in hac civitate obtines? quæ tibi partes reipublicæ placent? quem amicum, quem inimicum habes? Cui in civitate fecisti insidias, ancillaris: quo jure, quum de exsilio tuo Dyrrhachino[2] redisti, eum sequeris? Quos tyrannos appellabas, eorum nunc potentiæ faves; qui tibi ante optumates videbantur, eosdem nunc dementes ac furiosos vocas; Vatinii caussam agis, de Sextio male existumas[3]; Bibulum petulantissumis verbis lædis, laudas Cæsarem; quem maxume odisti, ei maxume obsequeris. Aliud stans, aliud sedens, de republica sentis; his maledicis, illos odisti; levissume transfuga, neque in hac, neque[4] illa parte fidem habes.

III. 1. *Omnes artes edocuit.* Hoc in loco, uti in secundi capitis initio, videtur declamator alludere Ciceronis carmini de Consulatu suo, in quo poeta se a diis instinctum et quasi manu ductum prædicat. Ep.

2. *Dyrrhachino.* Vulg. *Dyrrhachio.*

3. *Existumas.* Al. *æstumas.*

4 *Neque illa.* Al. addunt *in.*

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

IN C. SALLUSTIUM
DECLAMATIO,
QUÆ M. T. CICERONI
FALSO TRIBUITUR.

www.hbtool.com.cn

I. Ea demum magna voluptas est, C.[1] Sallusti, æqualem ac parem verbis vitam agere, neque quidquam tam obscœnum dicere, cui non ab initio pueritiæ omni genere facinoris ætas tua respondeat, ut omnis oratio moribus consonet. Neque enim, qui ita vivit, uti tu, aliter, ac tu, loqui potest; neque qui tam illoto sermone utitur, vita honestior est. Quo me vertam, P. C.? unde initium sumam? Majus enim mihi dicendi onus imponitur, quo notior est uterque nostrum: quod aut, si de mea vita[2]; atque actibus, huic conviciatori respondero, invidia gloriam consequetur; aut, si hujus facta, mores, omnem ætatem nudavero, in idem vitium incidam procacitatis, quod huic objicio. Id vos, si forte offendimini, justius huic, quam mihi, succensere debetis, qui initium introduxit[3]. Ego dabo ope-

I. 1. *C. Sallusti.* Alii multi hic legunt, et passim, « Crispe Sallusti ».

2. *Quod aut,* etc. Al. « quod si aut de mea vita, atque actibus nostris ». Minus recte.

3. *Initium introduxit.* Statim a primis apparuit quantum dicendi genus a Ciceroniano abhorreret. Qui fit autem ut ille, quisquis est, qui romani oratoris nomen furari est ausus, dicere sustinuerit « initium introduxit »? Sic infra « minimis rebus posuit rudimentum ». De his satis sit, quæ si curiosius exsequamur, vix una et altera linea atro non allita signo, appareret. Non his

Digitized by Google

ram, ut et pro me minimo cum fastidio respondeam, et in hunc minime mentitus esse videar. Scio me, P. C. in respondendo non habere magnam exspectationem, quod nullum vos sciatis novum crimen in Sallustium audituros, sed omnia vetera recognituros, queis et meæ, et vestræ jam, et ipsius aures[4] calent.

Verum eo magis odisse debetis hominem, qui ne incipiens quidem peccare, minimis rebus posuit rudimentum; sed ita ingressus est, uti neque ab alio vinci possit, neque ipse se omnino reliqua ætate præterire. Itaque nihil aliud studet, nisi, uti lutulentus sus, cum quovis volutari[5]. Longe vero fallitur opinione: non enim procacitate linguæ vitæ sordes eluuntur; sed est quædam calumnia, quam unusquisque nostrum, testante animo suo, fert de eo, qui falsum crimen bonis objectat. Quod si vita istius memoriam vicerit, illam, P. C. non ex oratione ejus, sed ex moribus spectare debetis. Jam dabo operam, quam maxime potero, uti breve id faciam. Neque hæc altercatio nostra vobis inutilis erit, P. C. plerumque enim respublica privatis crescit inimicitiis, ubi nemo civis, qualis sit vir, potest latere.

II. Primum igitur, quoniam omnium majores Sallustius ad unum exemplum et regulam quærit, velim mihi respondeat, numquid ii, quos protulit, Scipiones, et Metellos, vel Fabios, ante fuerint aut opinionis, aut gloriæ, quam eos res gestæ suæ, et vita in-

igitur credendum, qui declamatiunculas has M. Porcio Latroni tribuunt, viro Senecæ patris ætate claro; quem Quintilianus, X, 5, « clari nominis professorem », et Plinius, XX, 14, « clarum inter magistros dicendi » appellat. Illas forsan sciolus aliquis et barbarus scholæ ejus alumnus composuit. Ed.

4. *Calent*. Al. *callent*.

5. *Volutari*. Lips. conj. *velitari*. Male. Quoniam tamen *sus* in quibusdam MSS non comparet, emendandum duxit, « uti luculentus ». Non felicius.

Digitized by Google

nocentissime acta commendavit. Quod si hoc fuit illis initium nominis et dignitatis, cur non æque de nobis existimetur? cujus et res gestæ illustres sunt, et vita integerrime acta. Quasi vero tu sis ab illis viris, Sallusti, ortus: quod si esses, nonnullos jam tuæ turpitudinis pigeret. Ego meis majoribus virtute mea præluxi; ut, si prius noti non fuerint, a me accipiant initium memoriæ suæ: tu tuis vita, quam turpiter egisti, magnas offudisti tenebras; ut, etiam si fuerint egregii cives, certe venerint in oblivionem. Quare noli mihi antiquos viros objectare. Satius est enim, me meis rebus gestis florere, quam majorum opinione niti; et ita vivere, ut ego sim posteris meis nobilitatis initium, et virtutis exemplum. Neque me cum iis conferri decet, P. C. qui jam decesserunt, omnique odio carent et invidia; sed cum iis, qui mecum una in republica versati sunt. Sed[1] si fuerim aut in honoribus petendis nimis ambitiosus (non hanc dico popularem ambitionem, cujus me principem confiteor, sed illam perniciosam contra leges, cujus primos ordines Sallustius duxit); aut in gerendis magistratibus, aut in vindicandis maleficiis tam severus; aut in tuenda republica tam vigilans, quam tu proscriptionem vocas (credo, quod non omnes tui similes incolumes in hac urbe vixissent; at quanto meliore loco respublica staret, si tu, par ac similis scelestorum civium, una cum illis adnumeratus esses!): an ego tunc falso scripsi, «Cedant arma togæ[2]»; qui togatus armatos, et pace bellum oppressi? an illud mentitus sum,

II. 1. Hunc omnem verborum ambitum, «Sed...exstinxi», dubium et perplexum, interpunctione sublevavi. J. V. L.

2. *Cedant arma togæ.* Versum hunc sæpius impugnatum Cicero defendit in Pison. 30; Philipp. II, 8; de Offic. I, 22. Ed.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

« Fortunatam[3] me consule Romam? » qui tantum intestinum bellum, et domesticum urbis incendium extinxi? Neque te tui piget, homo levissime, quum ea culpas, quæ in historiis mihi gloriæ ducis? An turpius est, P. C. scribentem mentiri, quam illum palam hoc ordine dicentem?

III. Nam, quod meam ætatem increpuisti, tantum me abesse puto ab impudicitia, quantum tu abes a pudicitia. Sed quid ego de te plura querar? quid enim mentiri turpe duces, qui mihi ausus sis eloquentiam, uti vitium, objicere? cujus semper nocens eguisti patrocinio. An ullum existimas posse fieri civem egregium, qui non his artibus et disciplinis sit eruditus? an ulla alia putas esse rudimenta et incunabula virtutis, quibus animi ad gloriæ cupiditatem aluntur? Sed minime mirum est, P. C. si homo, qui desidiæ ac luxuriæ plenus sit, hæc uti nova atque inusitata miratur. Nam quod ista inusitata rabie petulanter in uxorem, et in filiam meam invasisti, quæ facilius mulieres se a viris abstinuerunt, quam tu vir a viris; satis docte ac perite fecisti: non enim me sperasti mutuam tibi gratiam relaturum, ut vicissim tuas compellarem. Unus enim satis es materiæ habens; neque quidquam turpius est domi tuæ, quam tu. Multum te vero opinio fallit, qui mihi putasti parare invidiam ex mea re familiari; quæ mihi multo minor est[1], quam habere dignus sim. Atque utinam[2] ne tanta quidem esset, quanta est; uti potius amici mei viverent, quam ego testamentis eorum locupletior essem!

3. Alii et hic addunt *natam*.

III. 1. *Multo minor est*. De Ciceronis fortunis, quæ maximæ fuerunt, plura nec inutilia dabit Middleton. in sua Ciceronis historia passim. Ed.

2. *Atque utinam*. Sic Philipp. II, 16: « Utinam hoc tuum verum crimen esset! plures amici mei et necessarii viverent ».

Digitized by Google

Ego fugax, C. Sallusti? Furori tribuni plebis cessi; utilius duxi, quamvis fortunam unus experiri, quam universo populo romano civilis esse dissensionis causa: qui, posteaquam ille suum annum in republica perbacchatus est, omniaque, quæ commoverat, pace et otio resederunt, hoc ordine revocante, atque ipsa republica manu retrahente me, reverti. Qui mihi dies, si cum omni reliqua vita conferatur, animo quidem meo superet, quum universi vos, populusque romanus frequens adventu meo gratulatus est. Tanti me fugacem, mercenarium patronum, hi æstimaverunt.

IV. Neque hercule mirum est, si ego semper justas omnium amicitias existimavi. Non enim uni privatim ancillatus sum, neque me addixi; sed, quantum quisque reipublicæ studuit, tantum mihi fuit aut amicus, aut inimicus. Ego nihil plus volui valere, quam pacem; multi privatorum audacias nutriverunt[1]. Ego nihil timui, nisi leges; multi arma sua timeri voluerunt. Ego numquam volui quidquam posse, nisi pro vobis; multi ex vobis, potentia freti, in vos suis viribus abusi sunt. Itaque non est mirum, si nullius amicitia usus sum, qui non perpetuo reipublicæ amicus fuit. Neque me pœnitet, si aut petenti Vatinio reo patrocinium pollicitus sum, aut Sextii insolentiam repressi, aut Bibuli patientiam culpavi, aut virtutibus Cæsaris favi. Hæ laudes enim egregii civis, et unicæ[2] sunt. Quæ si tu mihi, uti vitia, objicis, temeritas tua reprehendetur, non mea vitia culpabuntur. Plura dicerem, si apud alios mihi esset dicendum, P. C. non apud vos, quos habui omnium actionum mearum monitores. Sed, ubi rerum testimonia adsunt, quid opus est verbis?

IV. 1. *Nutriverunt.* Al. *metuerunt.*

2. Gulielm. mallet *unici.*

Digitized by Google

V. Nunc, ad te uti revertar, Sallusti, patremque tuum præteream; qui si numquam in vita sua peccavit, tamen majorem injuriam reipublicæ facere non potuit, quam quod te talem filium genuit: neque, tu si qua in pueritia peccasti, exsequar, ne parentem tuum videar accusare, qui eo tempore summam tui potestatem habuit, sed qualem adolescentiam egeris; hac enim demonstrata, facile intelligetur, quam petulanti pueritia tam[1] impudicus et procax adoleveris. Posteaquam immensæ gulæ impudicissimi corporis quæstus sufficere non potuit, et ætas tua jam ad ea patienda, quæ alteri facere collibuisset, exoleverat, cupiditatibus infinitis efferebaris, uti, quæ ipse corpori tuo turpia non duxisses, in aliis experireris. Ita non est facile exputare, P. C. utrum inhonestioribus corporis partibus rem quæsierit, an amiserit. Domum paternam, vivo patre, turpissime venalem habuit, vendidit. Et cui dubium potest esse, quin mori coegerit eum, quo hic nondum mortuo pro herede gesserit omnia? Neque pudet a me eum quærere, quis in P. Crassi domo habitet? quum ipse respondere non queat, quis in ipsius habitet paterna domo. At hercule, lapsus ætatis tirocinio, postea se correxit. Non ita est: sed abiit in sodalitium sacrilegii Nigidiani; bis judicum ad subsellia attractus, extrema fortuna stetit; et ita discessit, uti non hic innocens esse, sed judices pejerasse existimarentur. Primum honorem in quæstura adeptus, sequutus est hunc locum[2] et hunc ordinem despectus, cujus aditus sibi quoque, sordidissimo homini, patuisset. Itaque timens, ne facinora ejus clam vos essent, quum omnibus[3] matribus fa-

V. 1. *Tam.* Al. *quam.*

2. *Sequutus est hunc locum.* Al. « hunc locum et ordinem despexit ».

3. *Omnibus*, etc. Al. « omnibus matrum familiarum viris ».

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

milias opprobrio esset, confessus est, vobis audientibus, adulterium; neque erubuit ora vestra. Vixeris, uti libet, Sallusti; egeris, quæ volueris; satis sit, unum te tuorum scelerum conscium esse; noli nobis languorem et soporem nimium exprobrare. Sumus diligentes in tuenda pudicitia uxorum nostrarum; sed ita experrecti non sumus, ut a te cavere possimus: audacia tua vincit studia nostra. Ecquod hunc movere possit, P. C. factum aut dictum turpe, quem non puduit palam, vobis audientibus, adulterium confiteri?

VI. Quod si nihil pro me tibi respondere volùissem, sed illud censorium elogium App. Claudii et L. Pisonis, integerrimorum virorum, quo usus est quisque eorum pro lege, palam universis recitarem: nonne tibi viderer æternas inurere maculas, quas reliqua vita tua eluere non possit? Neque post illum delectum senatus te umquam vidimus: nisi forte in ea te castra conjecisti, quo omnis sentina reipublicæ[1] confluxerat. At idem Sallustius, qui in pace ne senator quidem manserat, posteaquam respublica armis oppressa est, et idem victores, qui exsules, reduxit, in senatum post quæsturam reductus est. Quem honorem ita gessit, uti nihil venale in eo habuerit, cujus aliquis emptor fuerit. Ita igitur egit, ut nihil non æquum ac verum duxerit, quod ipsi facere collibuisset; neque aliter vexavit, ac debuit, si quis prædæ loco accepisset magistratum. Peracta quæstura, posteaquam magna pignora eis dederat, cum quibus si-

VI. 1. *Omnis sent. reipublicæ.* Aperte hic declamatur de Cæsare et de ejus partibus loquitur: et, ut ex sequenti capite patet, supponit hanc orationem post interfectum dictatorem scriptam, quum Tiburtinam villam recitet a Sallustio ex Cæsaris bonis emptam. Qui autem fit, ut in primo capite viventem Tulliam inducat, quæ anno 708 erat mortua? Difficultates has alii enodent, quæ ineptum hominem plane produnt. Ed.

www.ibtool.com.cn

Digitized by Google

militudine vitæ se conjunxerat, unus jam ex illo grege videbatur: ejus enim partis erat exemplar Sallustius, quo tamquam in imam voraginem cœtus omnium vitiorum excesserat; quidquid impudicorum, cillonum, parricidarum, sacrilegorum, debitorum fuit in urbe, municipiis, coloniis, Italia tota, sicut in fretis, subsederant, nominis perditi ac notissimi, nulla in parte castris apti, nisi licentia vitiorum, et cupiditate rerum novarum.

VII. At posteaquam prætor factus est, modeste se gessit, et abstinenter. Nonne ita provinciam vastavit, uti nihil neque passi sint, neque exspectarint gravius socii nostri[1] in bello, quam experti sunt in pace, hoc Africam interiorem obtinente? unde tantum hic exhausit, quantum potuit aut fide nominum trajici, aut in naves contrudi; tantum, inquam, P. C. exhausit, quantum voluit. Ne causam diceret, sestertio duodecies cum Cæsare paciscitur. Quod si quidpiam eorum falsum est; hic palam refelle, unde tu, qui modo ne paternam quidem domum redimere potueris, repente tamquam somnio beatus, hortos pretiosissimos, villam Tiburti C. Cæsaris, reliquas possessiones paraveris. Neque piguit quærere, cur ego P. Crassi domum emissem, quum tu veteris villæ dominus sis, cujus paullo ante fuerat Cæsar? Modo, inquam, patrimonio non comeso, sed devorato, quibus rationibus repente factus es tam affluens, et tam beatus? Nam quis te faceret heredem, quem ne amicum quidem suum satis honestum quisquam sibi ducit, nisi similis ac par tui?

VIII. At hercule egregia facta majorum tuorum te extollunt: quorum sive tu similis es, sive illi tui, nihil

VII. 1. Alii, « in bello socii nostri ».

Digitized by Google

ad omnium scelus ac nequitiam addi potest. Verum, ut opinor, honores tui te faciunt insolentem. Tu, C. Sallusti, tantidem putas esse bis senatorem, et bis quæstorem fieri, quanti bis consularem, et bis triumphalem? Carere debet omni vitio, qui in alterum paratus est dicere. Is demum maledicit, qui non potest verum ab altero audire. Sed tu omnium mensarum assecla, omnium cubiculorum in ætate pellex, et idem postea adulter, omnis ordinis turpitudo es, et civilis belli memoria. Quid enim gravius pati potuimus, quam quod te incolumem in hoc ordine videamus? Desine bonos petulantissima consectari lingua; desine morbo procacitatis isto uti; desine unumquemque moribus tuis æstimare: his moribus amicum tibi facere non potes, videris velle inimicum habere.

Finem dicendi faciam, P. C. Sæpe enim vidi gravius offendere animos auditorum eos, qui aliena flagitia aperte dixerunt, quam eos, qui commiserunt. Mihi quidem ratio habenda est, non quid Sallustius merito debeat audire; sed ut ea dicam, si qua ego honeste effari possum.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

M. T. CICERONIS

AD POPULUM

ET EQUITES ROMANOS

ANTEQUAM IRET IN EXSILIUM

ORATIO

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

NOVI EDITORIS MONITUM.

www.libtool.com.cn

Hæc oratio diu fuit Ciceroni adscripta, et inter actionem pro Archia poeta, et orationes post Reditum, locum obtinuerat. Quam quidem Albertus Leonicerus Wittenbergæ anno 1572 notis illustratam edidit : quin immo alius hujus operis interpres Otho Verdmuller, ita eam laudibus extulit, ut orationis elegantiam, et sententiarum concinnitatem demirandam omnibus proponeret. Primus omnium, ut saltem opinor, Lambinus hanc stultam opinionem impugnavit; sed tamen ejus ætate ita invaluerat, ut, quum Ciceronis opera rursus in lucem proferret, admonuerit præfatione se coactum fuisse hanc orationem ceteris Tullii scriptis adjungere, ne manca viderentur. Sed verba illa præfatus est : « Hæc oratio est inelegans, inconcinna, insulsa atque inepta, denique vix latina ; itaque qui eam Ciceroni adscribunt, eadem opera regi alicui opulento vestem aliquam crasso filo tritam et laceram circumdent ».

Si Dodwello fides adhibeatur (Dissert. pr. ad S. Irenæum, pag. 53), a quodam vetere declamatore fuit opus exaratum, qui plures Ciceronis pannos una assuit; attamen non videtur fuisse a vetere auctore scriptum. Oratio ubique manca ac claudicans, sententiæ obscuræ absonæque, recentiorem quemdam indicant. Wolfius autem non certe rem attente perpenderat, quum opus illud cum orationibus post Reditum, pro Domo, de Aruspicum responsis conferret.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

M. T. CICERONIS
www.libtool.com.cn
AD POPULUM
ET EQUITES ROMANOS,
ANTEQUAM IRET IN EXSILIUM,
ORATIO.

I. Si quando inimicorum impetum[1] propulsare ac propellere cupistis, defendite nunc universi unum, qui, ne omnes concideretis, ardoreque flammæ conflagraretis, mei capitis periculo non dubitavi providere. Nam, quem virtutis gloria cum summa laude ad cælum extulit, eumdem inimicorum invidia indignissime oppressum deprimit ad supplicium. Si liberum conceptam dulcedinem animo inclusam continetis, nolite eo velle carere, qui carissimam vestram procreationem sibi esse duxit. Est enim liberale officium, serere beneficium, ut metere possis fructum. Fidei conducit, in loco debitum retribuere. Illic enim animi voluntas propensa comprobatur; hic memoria collaudatur. Itaque, si omnibus grave servitutis jugum esse debet in libertate educatis; sit is vestris animis acceptissimus, qui a vestro corpore jugum acerbissimum repulit servitutis. Et, si majores vestri eos imperatores, qui militum virtute hostium fregerunt furorem, jucundissimo fructu libertatis reconciliato[2], non solum statuis dignos putarunt, sed etiam æterna triumphi

1. *Propulsare ac propellere*, et sic infra, « oppressum deprimit », putida, et tantum non barbara oratio.

2. Ineptit scriptor, ut passim.

Digitized by Google

laude decorarunt: tum vos eum consulem, qui non militum præsenti fortitudine, sed sua eximia animi virtute hostilem civium mentem senatus auctoritate vindicavit, existimate vobis retinendum in civitate esse.

II. Si, quæ beneficia singulis civibus, privatimque dantur, ea solent iis esse fructuosa, a quibus sunt profecta: jure et merito possum ego vos ad defensionem meæ salutis adhortari, quos conservavi universos. Nam neque majus est defendere unum, quam populum; neque verius a singulis, quam ab omnibus repetere officii præmium et fructum: propterea quod in unius periculo sæpe contentio parva est, ut levis sit labor defensori sustinendus; in reipublicæ insidiis, quo firmius est, quod oppugnatur, eo paratiores sunt inimici, ut iis sine magna sollicitudine, industria, virtute, non queat resisti. Et singulorum opes sæpe sunt tenues, et infirmæ ad gratiam referendam, ut opitulari bene merentibus non queant, si maxime cupiant; universorum auxilium eo plurimum prodest, quod firmioribus opibus est nixum. Jure igitur, quoniam et major impensa in patriam officii est, quam in privata fit defensione, et plus a vobis præsidii, quam a ceteris opis ad salutem potest afferri, vos obtestor, quos mihi et debere et posse intelligo opitulari. Non convenit enim, quum ego ad promerendum officium tam fuerim expeditus, vos ad referendam gratiam esse tardiores: ne, cujus amplitudinem ac gloriam laude atque honoribus amplificare debeatis, ejus incolumitatem et salutem deserendam existimetis.

III. Etenim errat, si quis arbitratur, M. Tullium idcirco in capitis periculum vocari, quod deliquerit aliquid, quod patriam læserit, quod improbe vixerit. Non citatur reus audaciæ; virtutis reus citatur. Non accusatur, quod rempublicam vi oppugnarit, sed quod

Digitized by Google

homo novus perniciosum nobilium restinxerit furorem. Non obest mihi turpis et nocens, sed honestissime laudatissimeque acta vita. Non odio bonorum, sed invidia premor malorum. Intelligunt homines, tot et tam præclaris testimoniis monumentisque virtutis comparatis, M. Tullio, dum sit incolumis, fore voluptati. Idcirco vitam eripere cupiunt, ut cum spiritu sensum quoque adimant jucunditatis. Nonne igitur indignum est, eos præmiis meis invidere, qui virtute certare noluerunt? eos in contentionem honoris venire, qui officiis se superari æquissimo animo tulerunt? Si dulcis est gloria, consequere virtutem; noli abjicere labores, petere honorem. Honorem dico? immo vero famam, fortunas, familiam, liberos, caput, corpus, ipsum denique sanguinem, et animam. Cedo invitus de republica; cedo oppressus de fortuna, de dignitate; discedo a republica victus audacia malorum. Liceat manere, si non illum M. Tullium, custodem urbis, defensorem omnium, patrem patriæ; at certe reliquias Tullii: liceat in conspectu civium, in hac urbe, quam ex parricidarum faucibus eripuit, remanere; tecta omnium, fana deorum, universam videre periculo liberatam suo civitatem: liceat ex hac flamma evolare, præsertim qui illud impium incendium perditorum hominum lacrymis potius meis, quam sanguine vestro restingui malui. Neque enim peto, ut mihi detis vitam; sed datam repeto, ut reddatis. Si meministis, quod dedi; vos non debetis oblivisci, sed retribuere, quod debetis.

IV. Vos, vos obtestor, dii immortales, qui meæ menti lumina prætulistis, quum consensum exstinxi conjurationis, arcemque urbis ab incendio ac flamma liberavi, liberosque vestros e gremio et complexu matrum ad cædem et cruorem non sum passus abstrahi.

Digitized by Google

Num igitur potest fieri, a clientibus ut recipiar, quum, a quibus debeam retineri, rejicere instituant? Socii quo fugiant, quum aditus custodi patriæ præclusus sit? Quomodo spes salutis reliquis residebit, quum civibus præclusa sit exspectatio incolumitatis? Pax et concordia extraneis gignetur, quum jam domesticis non insideat, sed publice providenti eripiatur? Nam quid ego improborum facta renovem oratione, ut redintegratione illius conjurationis animos vulnerem vestros? Auxilium ab alienis efflagitabo, quum cives vestros deseratis? sociorum invocem subsidium, quum a civibus interclusum sit præsidium? Quam colere gentem nunc instituam? Utrum ut custos accipiar, an ut proditor excludar? Si ut conservator, vestra erit ignominia. Sin ut oppugnator, præcisa erunt omnia. Itaque quod putavi fore gaudium, id exstitit exitium. Si, Quirites, eumdem in ceterorum periculis haberemus animum, quem in nostris difficultatibus, et pro innocentissimo quoque propugnare, et nocentissimum quemque oppugnare nobis utilissimum esse arbitraremur, et si cum optimi cujusque rebus adversis nostram salutem, cum deterrimorum hominum secundis nostra pericula putaremus conjuncta: frequentes profecto talibus conatibus obviam ire niteremur; neque partim innocentia freti, partim nobilitate nixi, partim potentia ac multitudine amicorum fulti, quum perfacile existimaremus adversariorum vim ac factionem a nobis repelli posse, subito ipsi simili periculo circumventi, in nostro eventu aliorum reminiscentes casus, jure id nobis accidere nequidquam quereremur.

V. Quis enim est, Quirites, qui nunc, quum inimicorum nostrorum vim atque violentiam perspiciat, quique nostrum ipsum periculosissimum casum recognoscat, qui non sibi ac suis diffidat fortunis? Quo

Digitized by Google

enim se satis tutum arbitrabitur præsidio? Virtutis et gloriæ? At ea nos ipsa hoc tempore oppugnant. Multitudine amicorum? Aperuerunt non fortes esse se amicos, si in eorum potestate nostra sita salus non est. Paucitate inimicorum? At id non in ipsius, sed in aliorum voluntate positum est. Nam non satis est, ne cui injuriam facias, providere, si tamen sunt voluntarii inimici, qui tuis præmiis te oppugnent. Atque quum hæc omnia omnibus sint gravia atque acerba, tum vero nobis misera atque intoleranda, quorum et officia in rempublicam recentissima, et incommoda ob rempublicam frequentissima in familia versantur. Nunc si eadem conditio disceptationis proponetur, æqui auditores adhibebuntur, aures non obtusæ criminatione, sed vacuæ præbebuntur: qui sunt assequuti summum gradum honoris, non dispoliabuntur honore; qui sperant, facilius et proclivius ad laudem nobilitatis pervenient. Quamobrem nolo me duce supplicii vos ad fraudem deduci, ut ego ad pristinum statum recidam casus. Nunc igitur, si lingua est concertandum, innocentiæ virtute fretus supero. Si facta compensanda sunt, conferamus æquitatem. Si violentiæ impetu opprimimur, cedam pro omnibus unus tribunitio furori, quoniam laborem pro cunctis ferre consuevi.

VI. Si igitur aliquo tempore iis hominibus consuluistis, quorum animus est religionis pietate defunctus: debetis mihi quoque prospicere, qui numini deorum consecratum sartum tectum ab omni piaculo conservavi, et vos ut tutam tranquillamque fortunam traheretis, mea perfeci vigilantia. Nam me, quem paullo ante fortuna erexerat ad gloriam, virtus extulit ad laudem, populus tribuit honorem, eumdem tribuni furor exagitatus depulit ad calamitatem. Et quoniam

www.libtool.com.cn
Digitized by Google

animadvertistis illam conspirationem conflatam, ita esse restinctam, ut nulla scintilla compareat incendii, vos quoque tribunitiam sedate temeritatem; qui nunc se mihi inimicum ostendit, se prius esse vestrum professus est inimicum: ne rei crudelitas experta in me, in vos convalescat, et calamitas remorata longius serpat atque progrediatur, præcavete. Nunc vel solus delectus ad calamitatem, vel primus vocatus ad tale periculum, omnium animos jure debeo commovere. Omnia sunt immutata: manus ad demonstrandam religantur injuriam; lingua inciditur ad deplorandam calamitatem; animus præcluditur ad exponendam rei indignitatem. Humilitatem generis objiciunt nobis, qui novam rationem suscitant, veteres majorum obterunt laudes. Sed quid ego plura de illorum aut in me maledictis, aut in vos scelerate loquar factis? quorum cognita improbitas, me tacente, coarguitur turpitudine vitæ, ut de iis non sit necesse inimicos prædicare, de quorum scelere ne amici quidem, aut ipsi possunt negare. Vos ego appello, quorum de me maxima est potestas. Apud vos loquor de mea calamitate, quos habui semper innocentiæ et virtutis meæ testes.

VII. Igitur ex civitate bene meritus de republica civis exturbatur? innocens expellitur? consularis homo? Non facultatibus usus quondam minimis, amicorum multorum præsidio munitus, nunc partim ab invidis, partim ab inimicis circumventus eget indigne? Huic si opem non tuleritis in periculo capitis, vos, credo, retinebitis vestram libertatem? qui neque tanta valetis auctoritate, neque tantorum officiorum impensam egistis in patriam. Mihi credite, hoc in uno incommodum confirmatum, multorum infirmabit incolumitatem; et si initio non erit refutatum, impune

Digitized by Google

ad omnium perniciem convalescet. Proinde aut in meo periculo salutem integram præstate communem, aut in vestris hoc idem incommodum exspectate fortunis. Nemo tam perdita auctoritate, tam facinorosa inventus est vita, qui, quum de scelere fateretur, non tamen sententiis prius judicum convinceretur, quam supplicio addiceretur. Ego repente vi tribunitia correptus, non modo loquendi libere in judicio, sed ne consistendi quidem in civitate habeo potestatem. Ejicior non solum sine teste, sine indice, sine crimine, sed sine accusatore, sine[1] etiam scelere. Hostibus in bello, qui dissident voluntate, dimicant armis, vitam quotidie oppugnant, in ipsa acie quum præliantur, licet loqui, licet disputare; mihi in pace, civi, qui perditorum hominum fregi furorem, pro fortunis meis apud vos loqui non licebit? Servi, qui ad supplicium cæsi verberibus trahuntur, apud eos sæpe disputant, quos necare voluerunt; ego consularis apud vos non loquar, quos conservavi? Tacebo, si necesse est; tacebo, inquam, animo æquo, quoniam virtus mea, me tacente, agit causam meam.

VIII. Itaque ut ego in concione mea nihil ponam de rebus meis gestis, tamen in animis et memoria vestra largiter relinquam. Isti modo videant, qua ratione hanc inultam meam fugam ferre possint. Etenim si a me, ut isti existimant, Lentuli mortui sordes, si Catilinæ notissimus furor, si amentia Cethegi, si luxuries ac stupra Cassii[2] pœnas repetunt: profecto istis hora nulla, ejecto Tullio, vacua periculo, aut periculi exspectatione relinquetur. Itaque illi in dies non meis insidiis, quæ nullæ a me parantur, sed suorum scelerum conscientia cruciati, mihi absenti, et populo

1. Barbarum hoc, ut fere omnia.
2. Quis iste Cassius?

Digitized by Google

romano pœnas dabunt. Quas ob res ego inimicorum amentiæ, cupiditatique paucorum, omnium salutis causa, decedam; neque eo deducam, aut progredi patiar, ut opera mea manus inter vos conseratis, cædesque civium inter se fiat; multoque potius ipse patria liberisque meis carebo, quam, propter unum me, vos de fortunis vestris reique publicæ dimicetis. Sic enim ab initio fui animatus, ut non magis me mea causa putarem esse natum, quam reipublicæ procreatum. Sed illud queror (quod non jam ad unius perniciem, sed ad universorum instruitur calamitatem), conqueri, commiserari, dicere, expurgare, suspicionem demovere[1], crimen diluere non licere; ore oppresso cervices esse præbendas: quæ tamen omnia jam non sunt tam calamitosa, quod mihi sunt subeunda, quam perniciosa, quod in rempublicam sunt introducta.

IX. Quamobrem statutum est atque decretum in his temporibus civitatis omnia perpeti, quæ volet furor libidinosus. Vim volunt afferre? præsto sum. Ejicere volunt? exeo indicta causa. Nolunt audire? causam non dico. Aliud quippiam conantur? agant. Nihil duri, nihil acerbi mihi erit, quod rempublicam tutabitur. Non enim illis victus cedo, sed incolumibus vobis me condono. Neque enim mors miseranda est, quæ ob rempublicam capitur; neque exsilium turpe, quod virtute suscipitur; quum præsertim nonnullam hæ pœnæ habeant in se consolationem. Nam vitam si eripiunt, non adiment gloriam immortalem. Si exsilio multabunt corpus, non animum a republica removebunt. Nam, ubicumque ero, hoc cogitabo, hæc semper cura mea erit; meque vobis ereptum, non a vobis repudiatum existimabo. Illud ab universis postu-

1. Alii, *dimovere*.

www.libtool.com.cn
Digitized by Google

lo, petoque, si, dum in civitate manere licitum est, nemini injuste periculum creavi, nemini innocenti fui calamitati, si omnibus auxilio præsidioque esse consuevi, plurimosque in hac civitate sum tutatus: uti vos liberos meos in vestram fidem recipiatis, eosque defendatis, neve inimicos meos in familiam nostram longius progredi patiamini; utique, sive hinc abiero, sive ero hic oppressus, ea maneat opinio et existimatio, quæ virtute parta, non quæ infelicitate illata est.

X. Nunc[1] ego te, Jupiter Optime Maxime, cujus nutu ac ditione sola terrarum gubernantur; teque, particeps connubii, socia regni, regina Juno; teque Tritonia, armipotens Gorgophora[2] Pallas Minerva, ceterique dii, deæque immortales, qui excellenti tumulo civitatis sedem Capitolii in saxo incolitis constitutam, ut non solum cunctam intueri, sed etiam tueri possitis civitatem; a quorum ego quondam altaribus impiam manum civium removi; a quorum templis meo periculo funestam facem repuli, ne illustrissimum orbis terrarum monumentum cum principe omnium terrarum occideret civitate; teque, Jupiter Stator, quem vere hujus imperii statorem majores nostri nominaverunt; cujus in templo hostilem impetum Catilinæ repuli a muris; cujus templum a Romulo, victis Sabinis, in Palatii radice cum Victoria est collocatum: oro atque obsecro, ferte opem pariter reipublicæ, cunctæque civitati, meisque fortunis; resistite tribunitio furori; favete innocentiæ, subvenite solitudini, miseremini senectutis; nolite eum supplicem a vobis absterrere et excludere, qui in suo

1. Ex orat. in Verrem, V, 72.

2. Ridiculum! Legimus vero in vet. inscript. apud Gudium, p. 56, « Perseo Gorgonifero invicto, etc. »

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

magistratu funestam facem a vestris repulit templis. Si C. Mario auxilio fuistis, quod in clivo Capitolino improborum civium cædem fecerat; si P. Scipioni, quod Hannibalis furibundam mentem a vestris repulit templis; si denique Cn. Pompeio, quod terra marique hostes reddidit pacatos: sic nunc in meis calamitatibus aliquam ferte opem divinam, ut sæpe multorum in periculis fecistis; sic nunc in meis miseriis divinum aliquod auxilium et numen ostendite.

XI. Deinde vos, quorum potestas proxime ad deorum immortalium numen accedit, oro atque obsecro, quibus singillatim sæpe supplex ad pedes jacui, ut eum, quem singuli stratum atque abjectum sublevastis, nunc universi conservatum velitis: si neminem umquam vestrum læsi, si nemini innocenti obfui; si etiam e contrario, ut quisque auxilium meum desideravit, opem ferre non dubitavi; si denique, quæcumque administravi, ex vestra auctoritate, et patrum conscriptorum voluntate feci; si malui inimicorum cupiditati, quam reipublicæ, et legitimæ auctoritati pœnas sufferre: ut existimetis ex illo crudelissimo inimicorum impetu ereptum, in antiquum statum dignitatis restitui convenire. Sed quoniam neque mihi libere loquendi, neque vobis clementer audiendi, neque omnino judicandi, paucorum furore et audacia, facta est potestas; sed oppressa est respublica armis, metu debilitata servili, uti liberum spiritum ducendi nullam habeat potestatem: cedam inermis armatis, innocens nocentibus, privatus furibundo magistratui. Neque enim Q. Metellus quidquam de virtute sua detraxit, quod cessit L. Saturnino[1] furenti; neque C. Cotta, quod Q. Vario tribuno plebis, inferiore ge-

1. Ed. Gruter. *Saturnio*. Male.

www.libtool.com.cn
Digitized by Google

nere orto, cedendum putavit; neque C. Marius, qui, quantas res gesserit, vestra vobis libertas judicio esse poterit: neque vero M. Tullius suum animum vestra abalienavit potestate, quum præcipuum vobis obsidem sui animi vestram reliquerit libertatem. Quamobrem testor deos, deasque omnes immortales, vestrasque maxime mentes, me non vitæ turpitudine, non pro magnitudine scelerum, non propter reliquæ ætatis infamiam, pœnas jure et lege persolvere; sed propter virtutis invidiam, propter jucundissimam ingenii laudem, propter magnitudinem rerum gestarum, crudelissime civitate privari. Quod si idem accidit Q. Cæpioni, si Mancino, si Rutilio; mihi quoque hoc accidisse non magnopere erit mirandum, quum præsertim non generis antiquitate, sed virtutis ornamentis summam laudem sim consequutus.

XII. Nunc ego vos, equites romani, obtestor, quorum virtute nomen romanum victoriam cum laude possidet conjunctam, quorum factis gloriantur cives, lætantur socii, gemunt hostes: ut, si erga vos omni tempore optime fui animatus; si mea pericula neglexi, dum timorem a patria propulsarem; si æque liberis vestris prospexi, ac vos parentibus[1] consuestis: ut nunc me velitis vestris opibus defensum, incolumem in hac civitate retinere; quæ quum a scelerata conjuratione esset incensa, meo ductu ac labore restincta est; nec patiamini me a liberis meis abstractum, a conjuge abreptum, ab aris focisque innocentem projectum, vitam degere in exsilio[2], miserrimi mortalis casum subire. Projicitur Tullius in exsilium. At a quo? Nimirum innocens ab inimico, religiosus a scelerato, benivolus huic civitati ab hoste. O misera

1. Forte aliquis malit, *parentes*.
2. Gruter. ut passim, *exsulio*.

Digitized by Google

vitæ ratio, quæ tamdiu resides in voluptate, quamdiu fortunæ poscit libido! Egone inimicus huic civitati? Quamobrem? Quia inimicos necavi. Egone hostis? Quid ita? Quia hostes interfeci. En conditionem hujus temporis! Antea gloria et laude dignissimi ducebantur, qui hæc perfecerunt; nunc scelerati et parricidæ esse dicuntur, qui hæc administrarunt. Sint sane scelerati; superet istorum victoria, si modo victoria appellanda est, in qua civitatis inest luctus; habeant hanc palmam ex innocentis cruore. Tantum a vobis illud, equites romani, peto et rogo, ut, quem sæpenumero vestra laude cohonestastis, eumdem in dubiis vitæ periculis vestra virtute conservetis.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

EPISTOLA AD OCTAVIUM

MALE M. T. CICERONI ADSCRIPTA

Digitized by Google

vitæ ratio, quæ tamdiu resides in voluptate, quamdiu fortunæ poscit libido! Egone inimicus huic civitati? Quamobrem? Quia inimicos necavi. Egone hostis? Quid ita? Quia hostes interfeci. En conditionem hujus temporis! Antea gloria et laude dignissimi ducebantur, qui hæc perfecerunt; nunc scelerati et parricidæ esse dicuntur, qui hæc administrarunt. Sint sane scelerati; superet istorum victoria, si modo victoria appellanda est, in qua civitatis inest luctus; habeant hanc palmam ex innocentis cruore. Tantum a vobis illud, equites romani, peto et rogo, ut, quem sæpenumero vestra laude cohonestastis, eumdem in dubiis vitæ periculis vestra virtute conservetis.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

EPISTOLA AD OCTAVIUM

MALE M. T. CICERONI ADSCRIPTA

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

NOVI EDITORIS MONITUM.

www.libtool.com.cn

Veteres editores vulgo epistolam ad Octavium post literas Bruto scriptas exhibent: etenim a Cicerone prolata videbatur. Victorius ipse, qui tanta cura Ciceronis scripta perpenderat, congruere hanc epistolam cum ceteris Ciceronis operibus arbitrabatur. In plerisque editionibus, quæ in Germania prolatæ fuerant ante Gruterum, nulla peculiari nota distinguebatur. Quin etiam, quod omnino mirandum est, unus e doctissimis apud recentiores viris, Erasmus, qui literas ad Brutum non a Cicerone fuisse scriptas censet, in Tusculanarum præfatione notissima, hanc tamquam veram admittit: atque in ea miratur virtutem simul ac animi magnitudinem, qua Cicero inclaruit, quum fati jam imminentis esset certior. Quem quidem doctissimi viri errorem excusant ea quæ ipse de se ait: « quod pluribus jam annis mihi nihil, aut perpusillum commercii cum musis mansuetioribus fuisset ». Namque numquam sic deceptus fuisset, nisi gravioribus studiis deditus, Ciceronis et eloquentiam et ingenium quodammodo dedidicisset.

Ex Grutero et Lambino, editores verba illa præponunt: « Hæc epistola non est Ciceronis, sed declamatoris alicujus ». Quidam etiam hunc titulum ei inscripsere, « Declamatio in Octavium ». In præfatione epistolarum ad Brutum, *Middleton*, illam, de qua agimus, epistolam omni ex parte mancam, et inconcinnam et inelegantem, et pueri opus esse judicat: idem ferme doctissimus vir *Prevost* de ea sentit.

Qui autem attentius epistolam perlegerit, facillime non a Cicerone scriptam fuisse deprehendet. Attamen fatendum est, et ab Erasmo nimia benivolentia, et a *Middleton* et *Prevost*, nimia acerbitate fuisse habitam. Oratio enim, quamvis verba occurrant non ita recte apposita, et inordi-

Digitized by Google

nata, cum Augusti tamen ætatis scriptoribus conferri potest. Quapropter nos eam arbitramur non ita multo post Ciceronem fuisse conscriptam. Forsan, imperante Augusto, eam exaravit scriptor, qui, postquam Philippicas attentius perlegisset, aliquid simile in Octavium excogitavit, orationemque illam in lucem emisit. Sed fatendum est a vero aberrare eum, quum inter se Antonium et Octavium collaturus, in hunc acriore impetu invehitur. Numquam enim Cicero se Antonium desiderare palam professus esset. Ex hac re, nisi fallimur, patet scriptorem illum odio Augusti incensum longius fuisse progressum: namque quum Antonium, ita a Cicerone contemptum, Octavio anteponit, idcirco fit Augustus omnium hominum nequissimus.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

EPISTOLA AD OCTAVIUM.

www.libtool.com.cn

CICERO OCTAVIO S.

Si per tuas legiones mihi licitum fuisset, quæ nomini meo populoque romano sunt inimicissimæ, venire in senatum, coramque de republica disputare, fecissem; neque tam libenter, quam necessario: nulla enim remedia, quæ vulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quam quæ sunt salutaria. Sed quoniam cohortibus armatis circumseptus senatus, nihil aliud vere potest decernere, nisi timere; in Capitolio signa sunt, in urbe milites vagantur, in Campo castra ponuntur, et Italia tota legionibus ad libertatem nostram conscriptis, ad servitutem adductis, equitatuque[1] exterarum nationum, distinetur: cedam tibi in præsentia foro, curia, et sanctissimis deorum immortalium templis; in quibus, reviviscente jam libertate, deinde rursus oppressa, senatus nihil consulitur, timet multa, assentitur omnia. Post etiam paullo, temporibus ita postulantibus, cedam urbe; quam per me conservatam, ut esset libera, in servitute videre non potero. Cedam vita, quæ quamquam sollicita est, tamen, si profutura est reipublicæ, bona spe posteritatis me consolatur; qua sublata, non dubitanter occidam, atque ita cedam, ut fortuna judicio meo, non animus mihi defuisse videatur. Illud vero, quod et præsentis doloris est indicium, et præteritæ injuriæ

1. Al. *equitatusque*. Mendosa lectio.

Digitized by Google

testimonium, et absentium sensus significatio, non prætermittam, quin, quoniam coram id facere prohibeor, absens prosim: siquidem mea salus aut utilis reipublicæ est, aut conjuncta certe publicæ saluti.

Nam, per deum immortalium fidem (nisi forte frustra eos appello, quorum aures atque animus a nobis abhorrent), perque fortunam populi romani (quæ quamquam nobis infesta est, fuit aliquando propitia, et, ut spero, futura est), quis tam expers humanitatis, quis hujus urbis nomini ac sedibus usque adeo est inimicus, ut ista aut dissimulare possit, aut non dolere? aut, si nulla ratione publicis incommodis mederi queat, non morte proprium periculum vitet? Nam, ut ordiar ab initio, et perducam ad extremum, et novissima conferam primis, quæ non posterior dies acerbior priore? et quæ non insequens hora antecedente calamitosior populo romano illuxit? M. Antonius, vir animi maximi[1] (utinam etiam sapientis consilii fuisset!), C. Cæsare fortissime, sed parum feliciter, a reipublicæ dominatione summoto, concupierat magis regium, quam libera[2] civitas pati poterat, principatum. Publicam dilapidabat pecuniam, ærarium exhauriebat, minuebat vectigalia, donabat civitates; ex commentario dictaturam gerebat[3]; leges imponebat; prohibebat dictatorem creari plebiscito; ipse regnabat in consulatu; provincias unus omnes concupiebat: cui sordebat Macedonia provincia, quam victor sibi sumpserat Cæsar, quid de hoc sperare, aut exspectare nos oportebat? Exstitisti tu vindex nostræ

1. *Vir animi maximi.* Cui umquam in animum inducetur Ciceronem, ita de Antonio esse loquutum, tum maxime quum Philippicas in eum modo pronuntiavisset? Ed.

2. *Quam libera*, etc. Al. «quam quem libera civitas pati poterat». Non male.

3. Al. «donabat civitate ex commentario; dict. ger.»

Digitized by Google

libertatis, ut tunc quidem, optimus (quod utinam neque nostra nos opinio, neque tua fides fefellisset!), et veteranis in unum conductis, et duabus legionibus a pernicie patriæ ad salutem avocatis, subito prope jam affectam[1] ac prostratam rempublicam tuis opibus extulisti. Quæ tibi non ante, quam postulares; majora, quam vellès; plura, quam sperares, detulit senatus? Dedit fasces, ut cum auctoritate defensorem haberet, non ut imperio se adversum armaret. Appellavit imperatorem, hostium exercitu pulso, tribuens honorem, non ut sua cæde cæsus ille fugiens exercitus te nominaret imperatorem. Decrevit in foro statuam, locum in senatu, summum honorem ante tempus. Si quid aliud est, quod dari possit, addat. Quid aliud est majus, quod velis sumere? Sin autem supra ætatem, supra consuetudinem, supra etiam mortalitatem tuam tibi sunt omnia tributa: cur aut ingratus crudeliter, aut immemor beneficii[2] scelerate circumscribis senatum? Quo te misimus? a quibus reverteris? Contra quos armavimus? quibus arma cogitas inferre? A quibus exercitum abducis? et quos adversus aciem struis? Cur hostis relinquitur? civis hostis loco ponitur? Cur castra medio itinere longius adversariorum castris, et propius urbem moventur?

O me numquam sapientem, et aliquando id[3], quod non eram, frustra existimatum! quantum te, populeromane[4], de me fefellit opinio! O meam calamitosam ac præcipitem senectutem! o turpem exacta dementique ætate canitiem! Ego patres conscriptos ad par-

1. Al. *afflictam*. Forte rectius.

2. Al. addunt *tui*; al. *sui*.

3. Al. non habent *id*. Sed male abest.

4. *Populeromane*. Nemini fucum faciet frigida illa invocationum series, quæ ne modicum quidem rhetorem decent. Ed.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

ricidium induxi; ego rempublicam fefelli; ego ipse senatum sibi manus afferre coegi, quum te, Junonium puerum, et matris tuæ partum aureum [1] esse dixi. At te fata patriæ Paridem futurum prædicabant, qui vastares urbem incendio, Italiam bello, qui castra in templis deorum immortalium, senatum in castris habiturus esses. O miseram, et in brevi tam celerem et tam variam reipublicæ commutationem! Quisnam tali futurus ingenio est, qui possit hæc ita mandare literis, ut facta, non ficta videantur esse? Quis erit tanta animi facilitate, qui, quæ verissime memoria propagata fuerint, non fabulæ similia sit existimaturus?

Cogita enim Antonium hostem judicatum, ab eo circumsessum consulem designatum, eumdemque reipublicæ parentem; te profectum ad consulem liberandum et hostem opprimendum, hostemque a te fugatum, et consulem obsidione liberatum; deinde paullo post fugatum illum hostem arcessitum, tamquam coheredem mortua republica ad bona populi romani rapienda [2]; consulem designatum rursum inclusum eo, ubi se non mœnibus, sed fluminibus et montibus tueretur. Hæc quis conabitur exponere? quis credere audebit? Liceat semel impune peccasse; sit erranti medicina confessio. Verum enim dicam. Utinam te potius, Antoni, dominum non expulissemus, quam hunc reciperemus! non quod ulla sit optanda servitus, sed quia dignitate domini minus turpis est fortuna servi: in duobus autem malis quum fugiendum majus sit, levius est eligendum. Ille tamen ea ex-

1. *Partum aureum*. Quam belle et lepide omnia hic congessit rudis declamator, quæ fabularum optimam cognitionem in eo proderent: nec sensit severius aliquod ac gravius in his temporibus postulari quam absurdos et præposteros jocos.

2. Legitur etiam in vett. edd. *capienda*.

Digitized by Google

orabat, quæ volebat auferre; tu extorques. Ille consul provinciam petebat; tu privatus concupisti. Ille ad malorum salutem judicia constituebat, et leges ferebat; tu ad perniciem optimorum. Ille a sanguine et incendio servorum Capitolium tuebatur; tu cruore et flamma cuncta delere vis. Si, qui dabat provincias Cassio et Brutis, et illis custodibus nominis nostri, regnabat, quid faciet, qui vitam adimit? si qui urbe ejiciebat, tyrannus erat, quem hunc vocemus, qui ne locum quidem reliquit exsilio?

Itaque si quid illæ majorum nostrorum sepultæ reliquiæ sapiunt, si non una cum corpore sensus omnis uno atque eodem consumptus est igni; quid illis interrogantibus, quid agat nunc populus romanus, respondebit aliquis nostrum, qui proximus[1] in illam æternam domum[2] decesserit? aut quem accipient de suis posteris nuntium illi veteres Africani, Maximi, Paulli, Scipiones? quid de sua patria audient, quam spoliis triumphisque decorarunt? an esse quemdam annos XVII natum, cujus avus fuerit argentarius, adstipulator pater; uterque vero precarium quæstum fecerit, sed alter usque ad senectutem, ut non negaret; alter a pueritia, ut non posset non confiteri: eum agere, rapere rempublicam, cui nulla virtus, nullæ bello subactæ et ad imperium adjunctæ provinciæ, nulla dignitas majorum conciliasset[3] eam potentiam, sed forma per dedecus pecuniam, et nomen nobile conscleratum impudicitia dedisset; veteres vulneribus et ætate confectos Julianos gladiatores, egentes reliquias Cæsaris ludi, ad rudem[4] compulisse?

1. Al. *proxime*.
2. Al. *discesserit*. Minus recte.
3. Legitur quoque in vett. MSS, « opem potentium ».
4. *Ad rudem*. Contra quam cogitabat, dixit noster ille personatus Cicero,

Digitized by Google

quibus ille septus omnia misceret, nulli parceret, sibi viveret; qui tamquam in dotali matrimonio rempublicam testamento legatam sibi obtineret. Audient duo Decii, servire eos cives, qui ut hostibus imperarent, victoriæ se devoverunt. Audiet C. Marius, impudico domino parere nos, qui ne militem quidem habere voluit nisi pudicum. Audiet Brutus, eum populum, quem ipse primo, post progenies ejus a regibus liberavit, pro turpi stupro datum in servitutem. Quæ quidem si nullo alio, me tamen internuntio ad illos celeriter deferentur. Nam si vivus ista subterfugere non potero, una cum istis vitam simul fugere decrevi.

qui si verum Ciceronem saltem legisset, vocem hanc « ad rudem compellere » nihil aliud significare posse didicisset, quam ad missionem cogere. Vid. Phil. II, 29: « Tam bonus gladiator, rudem tam cito accepisti ». Ed.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

CONSOLATIO

M. T. CICERONI VULGO ADSCRIPTA

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

NOVI EDITORIS PRÆFATIO.

www.libtool.com.cn

Pleraque operum quæ falso Ciceroni tribuuntur, antiqua sunt, et in MSS non ita recentibus occurrunt : liber autem, qui *Consolatio* inscribitur, ad finem sexti decimi sæculi in lucem primum fuit prolatus, et in editis tantum occurrit.

Cicero, exstincta anno 708 Tullia, hoc nomine opus exaravit, de quo agit in Epist. ad Attic. XII, 14; in Tusculanis, I, 27, III, 28, IV, 29; in Divinatione, II, 1. Sigonius anno 1559, et Patricius anno 1565, brevia admodum hujus libri fragmenta collegerant, ex Lactantio desumpta, quum Venetiis an. 1583 apparuit opus quoddam, cui hic titulus: «M. Tullii Ciceronis Consolatio, liber, quo se ipsum de filiæ morte consolatus est, nunc primum repertus, et in lucem editus, cum privilegio senatus Veneti ad xxx annos, apud Hieronymum Polum». Brevi autem tota Europa fuit pervulgatus novus ille liber.

Primi autem Mercurialis et Riccobonius hunc commentitium esse testati sunt, et ipso anno quo fuit in lucem editus, Riccobonius in criticis epistolis exposuit, quam ob causam nullam ei fidem adhiberet. Unus e fragmentorum editoribus, Sigonius Mutinensis (*Carlo Sigone*), doctissimus vir, qui primas in hac disputatione partes erat acturus, et cujus opera Mediolani collecta fuere sex voluminibus *in-folio*, a principio in hoc libro genuinum Ciceronis stylum agnoverat, opinionemque suam duabus orationibus confirmaverat. Quas autem Riccobonius anno 1584 confutavit, suppositum opus novis argumentis demonstravit; Muretus autem, et Victorius, Justusque Lipsius, jam hanc opinionem amplexi fuerant, quam Sigonius rursus duabus aliis oratio-

Digitized by Google

nibus nequidquam impugnavit. Grandi et verbosa præfatione Morabinus hanc omnem litem ordine et loco digessit, quæ quidem pluribus probris, quam argumentis, est referta. Sic enim sexto decimo sæculo inter se viri pugnabant doctissimi. Postremus autem in Sigonium vehementissime invectus Gulielmius, qui laboribus suis de Ciceronis lectoribus optime est meritus. Vicit autem pars melior; et Sigonium victum ferunt hanc ob causam mœrore absumptum decessisse.

Multa quidem, et literæ præsertim quæ anno 1784 repertæ sunt, comprobant a Sigonio fuisse Consolationem exaratam. Riccobonius saltem satis aperte declaravit hoc opus manuscriptum fuisse creditum Fr. Vianellio, uni e Sigonii discipulis. Præterea Zamoskius, e discipulis ejusdem alter, multo antea in potestate sua habuerat, et pluribus doctissimis viris dederat contrectandum; Patricius denique Sigonio amicissimus in fragmentis has lectiones admiserat, quas tantum ex recenti editione haurire potuerat. Quod si nunc ad stylum spectes, et dicendi genus illud cum ceteris Sigonii scriptis conferas, argumenta quæ hic protulimus majorem sunt habitura auctoritatem. Scriptor enim ille, sicuti ejusdem ætatis nonnulli, ita assueverat sententias Ciceronianis verbis concludere, ut hoc dicendi genus usurparet etiam in Fastis consularibus, opere non hanc eloquentiam requirente. Præterea compertum est sæpissime Sigonium sua opera quibusdam e discipulis suis adscripsisse (Baillet. Jud. Doctor. tom. VI, pag. 374); et quod in hac lite extremum protulit, palinodia admodum videtur. Sed quanam de causa supremo tantum vitæ die veritatem professus est? quo consilio noluit opus illud sibi adsciscere, quum non indignum esset quo gloriaretur? ad hæc respondendum est, eum, si majorem doctissimorum virorum numerum fefellisset, veritatem postea professurum fuisse, sicuti Mich. Angelum, quum de Amoris statua, aut Muretum, quum de Trabeæ versibus fuit actum; sed quum res ei non bene cessit,

Digitized by Google

numquam fraudem inutilem fateri voluit. Attamen ii qui litem illam propius introspexere, inter se etiam certant, remque sub judice reliquere. Nam Muratorius, qui latino sermone Sigonii vitam narravit, Argelatius Mediolanensis editor, et Scarfius, Lipsiæ 1717, Consolationem a Sigonio fortasse non scriptam fuisse testantur.

Qui vero opus illud Fr. Vianellio tribuunt, quem Riccobonius a secretis illustrissimi senatus Véneti proclamat, non ita facile opinionem suam tuentur. Verum est eum manuscriptum typis mandavisse, sed ex tribus Sigonii literis patet Vianellium hujus rei socium ac participem fuisse, unde si res illa rursus disceptaretur, in perpetuam errorum seriem induceremur.

Quum ita dubitarent, a quo fuisset scripta hæc oratio, primi Ciceronis editores, hæc verba ei apposuere: « M. T. Ciceronis, si deo placet, Consolatio ». Sed cunctanter nimis egere; namque a Cicerone non scriptam orationem certo affirmaverimus. Quod si noluissent in Sigonium invehi, potuissent hunc titulum inscribere, « incerti auctoris Consolatio ». Qui autem litem per se ipsi judicare voluerint, non mirabuntur quod Muretus a principio fraudem apertam agnoverit.

Ceterum quisquis est auctor ille, lucro apposuit tres Senecæ libros, qui inscribuntur, Consolatio ad Helviam, ad Marciam, ad Polybium; et Plutarchi παραμυθητικὸν πρὸς Ἀπολλώνιον, πρὸς τὴν ἰδίαν γυναῖκα, et Boethii de Consolatione philosophiæ. Sed præsertim illum imitatur, cujus nomen assumpsit, et oratio plerumque pannis tantummodo constat undique collatis, et sumptis præcipue e Tusculanis Disputationibus. Satis perite quidquid de hoc Ciceronis libro superest, in oratione sua includit.

Quum nullo modo certa via progreditur auctor, nec finem propositum habet, et per multas vagatur sententias, satis erit dicere orationem posse duas in partes præcipuas dividi. Priore auctor, quidquid mali, quidquid miseriarum

Digitized by Google

occurrit in vitæ curriculo, quæcumque fuerit ætas et conditio, multis verbis indicat. Tum quare nullo modo neque nobis, neque amicis mors timenda sit, explicat: quædam fortitudinis ac constantiæ exempla exponit. Posteriore autem de animi immortalitate agit, et Tullium deorum numero adscribit.

www.libtool.com.cn

Fatendum est tamen multa quidem præclare et dicta et cogitata hoc in opere occurrere: sed quum nullo ordine proposito declamatoriæ serantur sententiæ, quum impeditus ubique hæreat sermo, neque minimo pie dolentis animi affectu moveatur; nullo modo dubitare possumus, quin falso Ciceroni liber ille tribuatur; et mirandum prorsus est, quod vir apud Anglos doctissimus *Blacklock*, paucis annis, Ciceroni opus non suum restituere fuerit aggressus.

Digitized by Google

CONSOLATIO.

www.libtool.com.cn

I. Quamquam recentibus morbis medicinam adhibere vetant sapientes, nihilque adversi hominibus accidere solet in vita, quod aut improvisum, aut inexspectatum videatur; conemur tamen, si qua ratione possumus, mederi nobismet ipsis, et domesticæ subvenire calamitati. Si enim, quoties usuvenit, consuluimus ceteris, cur non aliquando nobis ipsis? Et, si mala, quæ nec vitari, nec averti humanis viribus possunt, pertulimus toleranter, cur non ea, si possumus, ratione leviora faciamus? præsertim quum ad ægritudines et molestias depellendas eo acrius incumbere homines debeant, quo melius est sine cura vivere, quam curis et angoribus oppressum ac circumventum, humanam conditionem, satis per se miseram, aliis etiam incommodis efficere miseriorem. Quid porro præstantius, quid utilius est, quam, quum corpore valeas, curare, ut etiam animo valere possis? siquidem corpus animi gubernaculo, animus autem ministerio corporis indiget. At neque animus æger bene gubernabit, nec affectum corpus animi recte parebit imperio. Quamobrem prudenter a doctis et sapientibus viris et cogitatum, et factum est, qui de luctu minuendo ante nos scripserunt; quorum exstant satis multa, sane sapienter literis mandata, in primisque a Theophrasto, Xenocrate, et Crantore: quorum libros quum sæpe animi causa sumpserimus in manus, admirati eorum saluberrimis præceptis refertam et conditam eloquentiam, tum proxime legimus necessario. Casus enim ereptæ nobis filiæ, quam in oculis ferebamus, eximiis et virtutis et prudentiæ laudibus præstantem, ita nos vel perculit, vel afflixit, ut ab iis opem ad leniendum et mitigandum dolorem petere coacti simus, quorum maxime doctrina atque auctoritate antea moveba-

Digitized by Google

mur. Itaque multa, quæ ab illis vel acute cogitata, vel eleganter enuntiata sunt, ad dolorem nostrum abstergendum colligemus; ut, si minus ceteros in tanto mœrore delectare poterimus, quod alias et dicendo, et scribendo efficere conati sumus, et fortasse interdum præstitimus, saltem nobis ipsi medeamur. Sed nos etiam in hoc fortiores erimus, quam ceteri, quibus difficile non fuit, quum doloris expertes ipsi essent, alios consolari, et a mœrore abducere; nos autem dolore afflicti, consolationem a nobis petentes, nosmet ipsos in dolore vincemus, ac naturæ quamdam quasi vim afferemus. Quæ utinam tanti sit, ut ceteros quoque in pari fortuna doceat adversos casus patienter ferre! qui quo sæpius contingunt, eo propiores hominibus putandi sunt, quasique in ipsa humana natura innati atque insiti, ideoque levius ferendi. Qui enim hominem se esse agnoscit, hominisque nomen sibi vindicat, cur ea, quæ hominis maxime propria sunt, recusare ac rejicere audeat? quod simul ut fecisset, et imprudens, et injustus merito haberetur.

II. Atque hic locus a Theophrasto egregie tractatus et perpolitus est, itemque a Xenocrate : quorum uterque eos, qui communes casus recusant, imprudentiæ atque injustitiæ condemnat; alter etiam diis ipsis adversos non dubitat appellare. Quod etiam gravius crimen est, ac vix in homine tolerabile : qui, quum omnia diis immortalibus accepta referre debeat, quorum ope vivit, intelligit, agit; si eorum voluntati repugnet, cum diis, gigantum more, bellare videbitur. Hæc autem perite, ut dixi, a multis tractata sunt. Sed ego Crantorem sequor; cujus legi brevem illum quidem, sed vere aureum, et, ut Panætio placuit, ad verbum ediscendum de luctu librum, quo acute universam doloris medicinam complexus est. Sed humanæ naturæ incommoda ita diligenter et accurate expressit, ut quasi luendorum scelerum causa nasci homines, et in hanc lucem ingredi, possis agnoscere. Fac enim nasci hominem, et in lucem edi : continuo senties, non rerum humanarum dominum

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

et gubernatorem exortum, sed verius miseriarum servum atque incommodorum. Nam infantiam et pueritiam vagitus, lacrymæ, imbecillitas, nullus nec rationis, nec corporis usus, dolores, molestiæque quam plurimæ amplectuntur. Adolescentiam ardor quidam excipit ætatis, nec prudentiæ, nec judicii compos; rerum utilium ac laudabilium contemptio; voluptatis, et sæpe turpitudinis appetitio; veri boni ignoratio; in pares ferocia, in superiores superbia, in infimos arrogantia. Ex his contentiones, rixæ, contumeliæ, assiduus denique molestiarum concursus exsistit; ex rebus honestis contemptis infelicitas et infamia; ex turpibus curiose arreptis et conquisitis, luctus, morbi, perpetuum denique sui ipsius odium, ex cognita rerum turpium mercede conflatum. Adde insanas pecuniarum largitiones, nullam futuri temporis curam, non inopiæ, non liberorum, non uxoris, non posterorum, non familiæ. Quæ si quis ætatis potius vitia, quam naturæ miserias, velit appellare; quamquam nominis quæstionem inducat, non tamen ipsas ab homine miserias atque incommoda removebit.

III. Nec vero audiendus erit, qui hæc ab humanæ naturæ miseriis separanda putet, quod non in natura insita sint, sed unius, vel aliquorum hominum errores videantur; totius autem naturæ illa esse affirmet, quæ a nullo prorsus homine sejungi possint. Quasi vero humanum non sit irasci, quod multi non irascantur; aut non humanum loqui, et societatem coire, quod multi reperiantur, qui nihil difficilius faciant, quam cum hominibus congredi, aut sermonem cum aliquo conferre. Vere autem humanæ miseriæ sunt, quod, etsi non omnes in uno, certe omnes in omnibus, et aliqua in multis, multæ sæpe in uno agnoscuntur. Jam, constantis ætatis quot, quantæque miseriæ sint, non difficile est intelligere, at difficillimum enumerare: hæc enim ex omnibus hominis ætatibus in perturbationes animi, in pericula capitis, famæ, fortunarum, una maxime incurrit. Sicut enim ceterarum omnium ætatum, ad res, negotiaque

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

tum privata, tum publica peragenda, aptissima est, maximeque idonea : ita etiam una, præ ceteris omnibus, difficultatum miseriarumque omnium, quæ ex publica privataque administratione oriuntur, particeps et socia est. Hæc privata amicorum negotia procurat, hæc publica sustinet munera; hæc gloriam et commodum ex rebus feliciter evenientibus, hæc ærumnas et molestias ex adversis experitur. Huic bonorum civium propugnatio, huic malorum accusatio proposita est; huic invidia et æmulatio a bonis imminent, a malis pericula et insidiæ intenduntur : ætas numquam sibi ipsi non infesta, numquam pacata; semper laboriosa, semper anxia et sollicita. Quæ si non aliquos interdum vel utilitatis, vel voluptatis fructus ex assiduo labore perciperet, se ipsam profecto regere ac tueri non posset. Sed miseriarum numerus multo major est; magnitudo autem tanta, ut neminem a publicis procurationibus non avertere ac deterrere possit. Illustre præbuit exemplum universæ civitati calamitas nostra, quam ex parta civium salute, ex defensis aris ac focis, ex proditoribus a reipublicæ ac populi romani cervicibus depulsis contraximus. Sed nostra fuerit ærumna; civibus contigerit salus et quies : quam etiam, vita ipsa profundenda, si opus fuisset, libentissime redemissemus. Nihil necesse est mihi de me ipso prædicare : sed tamen verissime affirmare possum, eos demum annos me vere vixisse, quos in præclaro aliquo patriæ vel commodo, vel ornamento consumpsi. Ac, si longius mihi vitam producere liceret, non me alia causa ad diutius vivendum, quam publicæ utilitatis studium, curaque adduceret; quæ una cogitatio in homine gloriosa et laudabilis est maxime.

Nunc, quæ extrema de ætatibus superest, quid ego de senectutis incommodis ac miseriis loquar? quas plurimas esse, et gravissimas, et nomen ipsum, languoris calamitatisque plenissimum, indicat, et adspectus ipse senum hominum patefacit. Quid est enim aliud, senem videre trementem, incurvum, canum, imbecillum, infirmum, quam

Digitized by Google

cernere morientem vivum, aut viventem mortuum? Ac, si nonnullis visum est, magnam esse senilis ætatis consolationem, prudentiam, usu rerum quæsitam, quæ illius ætatis propria est: eosdem illos fateri oportet, ex eo ipso fonte manare etiam ad senes non minimum doloris atque molestiæ. Qui enim se prudentem, rerumque agendarum peritum agnoscit, cur non doleat, quæ optime intelligit, præ ætatis vitio, optime etiam perficere non posse? Et, si patriam diligit, cur non angatur, quod, quam consilio juvat, opera etiam juvare non possit? Eoque major prudentium dolor est, quod optimorum consiliorum fructum nulla alia ratione percipi posse, quam si optime ad exitum perducantur, intelligunt; quod, nisi vir optimus, patriæque amantissimus ad agendum accedat, prorsus inania sint futura.

IV. De ætatibus satis mihi videor dixisse. Quid jam de generibus hominum loquar? aut numquid principes viros, et medios, et infimos æque miseros esse negare possum? Reges ipsi quam miseri sint, quantoque opere sollicitudini, timori, atque insidiis propositi, satis ostendit Dionysius, quum imminente capiti gladio Damoclem fortunæ suæ felicitatem voluit experiri. Nec mirum; quum iis bellorum calamitates, agrorum vastationes, populorum cædes, urbium exitia immineant. Quæ quum eveniunt, qui victoria potitur, aliquid et ad gloriam, et ad imperium semper acquirit; sed tanta præterea rerum amissio, tantusque sumptus consequitur, ut magni constet victoria, ac plerumque præstiterit, numquam arma sumpsisse. Sin profligatio exercitus, aut clades aliqua contingit, nihil eo statu miserius ne cogitari quidem potest; siquidem captivitati, inopiæ, luctui, contemptui conjunctus est. Sed fac regem esse a bellorum impetu, et a castrorum pulvere remotum, sua pacate possidentem, nulla hostium incursione vexatum: num idcirco tutior, a miseriis securior? Quin immo, ut otium humana natura non fert, ipse sibi molestiam ac sollicitudinem exhibebit. Nam aut de augendis

www.ibtool.com.cn

Digitized by Google

tum privata, tum publica peragenda, aptissima est, maximeque idonea : ita etiam una, præ ceteris omnibus, difficultatum miseriarumque omnium, quæ ex publica privataque administratione oriuntur, particeps et socia est. Hæc privata amicorum negotia procurat, hæc publica sustinet munera; hæc gloriam et commodum ex rebus feliciter evenientibus, hæc ærumnas et molestias ex adversis experitur. Huic bonorum civium propugnatio, huic malorum accusatio proposita est; huic invidia et æmulatio a bonis imminent, a malis pericula et insidiæ intenduntur : ætas numquam sibi ipsi non infesta, numquam pacata; semper laboriosa, semper anxia et sollicita. Quæ si non aliquos interdum vel utilitatis, vel voluptatis fructus ex assiduo labore perciperet, se ipsam profecto regere ac tueri non posset. Sed miseriarum numerus multo major est; magnitudo autem tanta, ut neminem a publicis procurationibus non avertere ac deterrere possit. Illustre præbuit exemplum universæ civitati calamitas nostra, quam ex parta civium salute, ex defensis aris ac focis, ex proditoribus a reipublicæ ac populi romani cervicibus depulsis contraximus. Sed nostra fuerit ærumna; civibus contigerit salus et quies : quam etiam, vita ipsa profundenda, si opus fuisset, libentissime redemissemus. Nihil necesse est mihi de me ipso prædicare : sed tamen verissime affirmare possum, eos demum annos me vere vixisse, quos in præclaro aliquo patriæ vel commodo, vel ornamento consumpsi. Ac, si longius mihi vitam producere liceret, non me alia causa ad diutius vivendum, quam publicæ utilitatis studium, curaque adduceret; quæ una cogitatio in homine gloriosa et laudabilis est maxime.

Nunc, quæ extrema de ætatibus superest, quid ego de senectutis incommodis ac miseriis loquar? quas plurimas esse, et gravissimas, et nomen ipsum, languoris calamitatisque plenissimum, indicat, et adspectus ipse senum hominum patefacit. Quid est enim aliud, senem videre trementem, incurvum, canum, imbecillum, infirmum, quam

Digitized by Google

cernere morientem vivum, aut viventem mortuum? Ac, si nonnullis visum est, magnam esse senilis ætatis consolationem, prudentiam, usu rerum quæsitam, quæ illius ætatis propria est: eosdem illos fateri oportet, ex eo ipso fonte manare etiam ad senes non minimum doloris atque molestiæ. Qui enim se prudentem, rerumque agendarum peritum agnoscit, cur non doleat, quæ optime intelligit, præ ætatis vitio, optime etiam perficere non posse? Et, si patriam diligit, cur non angatur, quod, quam consilio juvat, opera etiam juvare non possit? Eoque major prudentium dolor est, quod optimorum consiliorum fructum nulla alia ratione percipi posse, quam si optime ad exitum perducantur, intelligunt; quod, nisi vir optimus, patriæque amantissimus ad agendum accedat, prorsus inania sint futura.

IV. De ætatibus satis mihi videor dixisse. Quid jam de generibus hominum loquar? aut numquid principes viros, et medios, et infimos æque miseros esse negare possum? Reges ipsi quam miseri sint, quantoque opere sollicitudini, timori, atque insidiis propositi, satis ostendit Dionysius, quum imminente capiti gladio Damoclem fortunæ suæ felicitatem voluit experiri. Nec mirum; quum iis bellorum calamitates, agrorum vastationes, populorum cædes, urbium exitia immineant. Quæ quum eveniunt, qui victoria potitur, aliquid et ad gloriam, et ad imperium semper acquirit; sed tanta præterea rerum amissio, tantusque sumptus consequitur, ut magni constet victoria, ac plerumque præstiterit, numquam arma sumpsisse. Sin profligatio exercitus, aut clades aliqua contingit, nihil eo statu miserius ne cogitari quidem potest; siquidem captivitati, inopiæ, luctui, contemptui conjunctus est. Sed fac regem esse a bellorum impetu, et a castrorum pulvere remotum, sua pacate possidentem, nulla hostium incursione vexatum: num idcirco tutior, a miseriis securior? Quin immo, ut otium humana natura non fert, ipse sibi molestiam ac sollicitudinem exhibebit. Nam aut de augendis

Digitized by Google

vectigalibus, aut de producendis finibus, deque urbibus ad imperium acquirendis, aut de jungendis cum potentioribus propinquitatibus atque amicitiis cogitabit. Quæ qui animo agitat, nec a molestia liber est, nec alios securos ac quietos esse sinit. De avaritia vero, maxima animorum peste, nolim hoc loco pluribus disputare; quæ in deside atque otiosa mente quam maxime exoritur: eaque erectiores animos, et altiores dignitatis gradus maxime sollicitat.

www.nbtool.com.cn

Huic generi infimum hominum genus opponitur; quod, ut nomine abjectissimum, sic re quoque omnibus calamitatibus atque angoribus est propositum. Huic inopia, fames, contumelia, injuriæ, tributorum solutio, militiæ incommoda, misera denique omnia perferenda sunt: eoque miserius est, quod ceteris omnibus, quum adversa fortuna premuntur, permulta tamen suppetunt, e quibus consolationem, dolorisque levationem petunt; at infimam plebem natura ipsa fatali quadam necessitate tam abjecto, tamque imo loco collocavit, ut omnibus ærumnis subjecta, nulla propemodum ratione erigi, aut sublevari possit.

Ne mediocris quidem hominum conditio miseriarum expers esse cognoscitur. Nam inter summum et infimum interjecta, alteri paret, alterum patitur; cui si imperare posset, certe longius a miseria distaret: sed quia neque dignitate præstat, nec summos viribus adæquat, suo statu contenta esse cogitur. Itaque multis in civitate perfungitur incommodis, non illis quidem parum reipublicæ fructuosis, aut valde ad ferendum gravibus atque asperis, sed quæ tamen animum sollicitent, et humanas miserias augeant. Hæc longiori oratione persequi, non est præsentis instituti: ante oculos omnia sunt, et nobis præcipue re ipsa perspecta et cognita.

V. Nec vero alia est feminarum conditio. Aut enim iisdem, aut parum certe diversis et molestiis et angoribus vexantur. Nam et iisdem morbis, quibus viri, et iisdem animi perturbationibus, mentisque erroribus objiciuntur: eoque miserior

Digitized by Google

illarum status est, quo mollior natura, et ad propulsanda incommoda, calamitatesque perferendas infirmior. Easdem, quas viri, ex parentum, fratrum, sororum, affinium interitu molestias et dolores hauriunt; maritos sæpe fatuos, parum de re domestica sollicitos, pecuniam profundentes nanciscuntur: ex quo paupertas et luctus. Quibus malis eo premuntur gravius, quod non, ut homines, indagare possunt, qua maxime ratione medeantur incommodis, rebusque suis consulant. Quantum Tullia mea ex patris exsilio doloris, quantum ex maritorum ærumnis et difficultatibus luctus molestiæque percepit? Et quamvis optanda etiam minime pauca in vita viderit: malorum tamen paucorum sensus, vel doctissimis hominibus judicantibus, ita acerbus est, ut bonis vel plurimis et maximis æquetur, interdum etiam præferatur. Permulta præterea in hoc genere sunt, quæ reticere præstat, quam edere. Sed magna certe, vel hoc uno nomine, feminarum miseria est, quod, quamdiu vivunt, parere semper coguntur. Aut enim innuptæ, parentibus et affinibus; aut nuptæ, maritis parent et serviunt. Sic, quo minus liberæ, eo magis miseræ; nec umquam liberæ, nisi e vita profectæ. Ergo mortuæ beatæ censendæ erunt. Nec sane video, quid aptius dici possit.

VI. Sed, ut ad nos ipsos redeamus: cui uxor contingit, is, præter communes omnium calamitates, præcipuo etiam miseriæ genere premitur, quod non solum suis, sed etiam domesticis uxoris, et familiæ molestiis, curisque vexatur. Neque enim ab ea, quicum arctissimo matrimonii vinculo conglutinatus est, aut mente, aut cogitatione sejunctus esse potest. Itaque tot vexatus calamitatibus, tantisque miseriis circumclusus hominis animus, quid egregium, aut eximium suscipere, aut cogitare potest? Mirum, ni sese abjiciat, ac veluti desperatione perculsus humi jaceat. Redeo igitur ad illud, quod initio dixi, neminem esse, qui spiritum ducat, non miserum, neminem vere felicem. Parumque sapiunt ii, qui hominem, luendorum scelerum causa natum, felicem

Digitized by Google

aut beatum audent nominare. Nostra enim, quæ dicitur vita, mors est; nec umquam vivit animus, nisi, compage solutus corporis, liber æternitate potiatur. Itaque mortem in beneficii loco tributam a diis immortalibus iis, quos maxime dilexerunt, traditum est : ut quum, Herodoto auctore, Argia sacerdos, quod optimum filiis esset, a dea precata, eos reperit mortuos; mortem autem, tamquam optimam, illis esse concessam. Credamus sane Apollini Delphico, qui exoratus a Trophonio et Agamede, a quibus templum magnifice Apollini exædificatum Delphis erat, ut, quod esset optimum homini, tribueret : post diem tertium exanimes sunt inventi. Quo munere judicavit deus, et deus is, cui divinationis partes a reliquis diis sunt relictæ, mortem homini omnium rerum esse optimam. Itaque excutiatur jam, et avellatur funditus falsa illa multorum opinio, malam esse mortem : quandoquidem, vel deorum judicio, non modo mala non est, sed omnium rerum optima, et omnium munerum, quæ humano generi dari possunt, præstantissima. Præclare : nam et miseriarum omnium, quas viventes pertulimus, finis est in morte, et vitatio futurarum, in quas progredientes in vita incurrunt. Docemur enim exemplis, a propagatione vitæ, permultos optimos, et fortissimos cives incredibiles hausisse calamitates. Immerentes dixerit aliquis; ergo non sunt in miseriis ponendæ : nihil enim miserum, quod non culpa contractum. De hoc alias viderimus; sed calamitates certe fuerunt : quarum etiam unica cogitatio, quæ prætervolat et effugit, non modo sensus, qui corpori firmius inhæret, acerbitatis habet plurimum.

VII. Ex quo vere colligi potest, sapienter fecisse Thraces, qui, si Herodoto credimus, nascentibus liberis lugere, morientibus lætari solebant. Exitum videlicet vitæ, ut miseriarum finem, et quietis portum, probabant; vitæ initium, ut ingressum ad molestias et dolores, inviti videbant. Si ergo nascimur miseri, morimur beati; quis in hanc lucem edi velit, ut miseriis opprimatur? quis non potius mori, ut

Digitized by Google

beatam vitam acquirat? Et, si hoc nobismet ipsis, ut optimum, vellemus; cur liberis, et affinibus, diversum? an melius nobis, quam iis, quos summe diligimus, esse velimus, aut potius beate nobis, misere ipsis, et infeliciter? Hoc certe nullo modo. Quamobrem amanda mors semper omnibus, carissimis etiam optanda. Ac, si quibus mori præstat, quam vivere, iis præcipue, quos et acta cum virtute vita claros effecit, et mors, satis diuturna vita perfunctos, molestia afficere non potest. Nasci vero, non intelligo, quibus expediat. Nam in ærumnas miseriasque ingredientes quid gratum, quid hilare adspicimus? qua re potius non offendimur? quod primus ille nascentium infantium vagitus et ejulatus satis declarat. Tributus enim est ab optima parente natura, quæ nihil inane solet efferre, ac potius iis rebus, quas efficit, admiranda semper edit vel pietatis, vel justitiæ, vel prudentiæ documenta. Ex quo intelligi licet, non nasci longe optimum esse, nec in hos scopulos incidere vitæ; proximum autem, si natus sis, quam primum mori, et tamquam ex incendio effugere fortunæ.

Sileni quæ fertur fabula, si gravioribus ludicra interdum admiscere liceat, idem certe confirmat; qui captus a Mida, missionem doctrina redemit: docuit autem regem, numquam nasci optimum esse, sed celeritatem mortis proxime accedere. Idemque Euripidis testimonio, poetæ sapientissimi, comprobatur. Sed Crantor noster patri, filii mortem ægerrime ferenti, responsum ait datum esse in psychomantio, filio suo bene beateque esse, utiliusque futurum fuisse, si etiam pater pari ratione fatis concessisset. Quamobrem, si dolorum finem mors affert, si securioris et melioris initium vitæ; si futura mala avertit; si medetur præsentibus; si nos ex plurimis vel morborum, vel molestiarum, vel acerbitatum periculis educit: cur eam tantopere accusare, aut dolorem ex ea derivare velimus, ex qua potius consolationem ac lætitiam haurire fas esset? nisi si, quod

www.infool.com.cn

Digitized by Google

mortem subsequitur, nos fortasse sollicitos habet. De quo libet pauca dicere, ne hic unus ad molestiam, doloremque alendum angulus relinquatur. Qui profecto insipientibus objiciendus non est, nec in tanto argumentorum acervo, quibus mortem ipsam nobis obstringere conamur, committendum, ut hoc uno nomine minus nobis debere videatur.

www.libtool.com.cn

VIII. Et quamquam hæc futuri post mortem temporis cura hominis propria non sit, sed diis immortalibus potius relinquenda, quorum nos vel liberalitati, vel sapientiæ permittere fas, piumque esset: qui enim nascentium curam suscipiunt, qui viventes protegunt, alunt, tuentur, fovent, cur morientes deserant? tamen aliquid etiam modeste de iis exquirere, non est inutile. Necesse est autem, sit alterum de duobus, ut aut sensus penitus omnes mors auferat, aut in alium quemdam locum ex his locis morte migretur. Quod si morte sensus exstinguitur, obitusque noster ei somno similis est, qui nonnumquam etiam, sine visis somniorum, placatissimam quietem affert, quid lucri est emori? aut quod omnino tempus reperiri potest, quod ei tempori anteponatur, cui similis futura est perpetuitas omnis consequentis ætatis? Sin migrationem malimus esse mortem in eas oras, quas e vita profecti incolunt: quid optabilius, quam ad eos proficisci, quos mortuos vivens dilexeris; et cum iis perpetua vita perfrui, qui, ut nos in laude viveremus, et libenter moreremur, suis et præceptis, et exemplis tanto opere laborarunt? Mihi certe nihil videtur evenire posse gratius, quam, si mors aditum ad alia loca patefaciat, ad eos venire, et cum iis esse, quos et maxime dilexi, et numquam non diligere ac laudare possum. Ad meos autem et affines, et amicos ut pervenero, quantopere lætabor? Quæ jucundior collocutio? qui suavior vel congressus, vel complexus? O vitam vere vitalem, ut ait Ennius, omnibus bonis ac gaudiis circumfluentem! sed beatam etiam mortem, quæ ad beatissimam vitam aditum aperiat! Me quidem, etsi dolore vehementer perculsum et afflictum, his tamen mo-

Digitized by Google

nitis et præceptis non mediocriter allevari sentio : itaque neminem puto fore, quem non rationes, a nobis tam studiose e sapientum libris collectæ, juvent ac delectent. Eoque magis, quo leviores erunt aliorum dolores, quam hic, quo nos tantopere vexati sumus. Nam si amor, si pietas filiæ, si virtus, si gravitas, si constantia, si cetera, quæ vix in feminis spectari, nedum requiri solent, consideranda sint : tanta facta jactura, gravissime dolere debuimus. Sed vincat dolorem consolatio ; nec jam, quid amiserimus, sed quatenus mortalem filiam lugere deceat, cogitemus. Hoc nos in mœrore nostro : quod certe fortis est ægroti, non solum accipere, sed etiam exquirere medicinam.

IX. At, si quis erit, quem dolor a ratione averterit, cui non satis firma videantur ea, quæ jam dicta sunt : is se hominem esse meminerit; nihil autem humanius esse morte, ut, si mors ab ipso divelli atque auferri posset, diis propior habendus esset, quam hominibus, nec omni ex parte hominis nomen ipsi congrueret, quia communi et præcipua hominis conditione non uteretur. Præterea lacrymis nihil profici; quæ si quid adjumenti afferre possent, non solum effundendæ, sed studiose conquirendæ viderentur. Denique, non solum injuste, sed etiam turpissime agere, qui immodice doleat. Turpitudo enim pejor est dolore : siquidem dolor homini a natura insitus est, nihilque habet infamiæ; turpitudo autem idcirco vituperanda, quod aliquid semper indecorum continet, culpa contractum. At omnis immodicus dolor turpis est, et a viro alienus : quandoquidem, ut immodice, præterque rationem doleas, sponte efficis. Ex quo culpa exoritur; quæ homini maxime fugienda, vitandaque est, ne cogitationibus mollissimis, quales interdum perdite amantes suscipere solent, nimium perturbemur et effeminemur. Quin potius nos ad Homerica præcepta referamus :

> Corde age sis firmo, nec te submitte dolori ;
> Namque aliquid gravius, pejusque aliquando tulisti.

Digitized by Google

Nemo videlicet suorum funera experitur, cui non adversa multa antea contigerint: ita variis omni ex parte incommodis humana natura concluditur. Cur igitur graviora, vel certe æque gravia fortiter passus, quum maxime occalluisse, et ad dolorem novum obduruisse deberet, despondeat animum, seque mœrori tradat? Quod etiam injustum esse, paullo ante dicebamus. Natura enim usuram nobis vitæ dedit, tamquam pecuniæ, nulla præfinita die. Quod si, quum libet, sua repetit, ea conditione commodata, ut restituenda sint; cur accusatur? Aut cur non potius naturæ gratias agis, quod, quum citius potuisset, tardius repetierit, quam, quod aliquando repetierit, injusta querela insequeris? Certum est enim, non habitandi locum, sed commorandi deversorium, nobis esse concessum; e quo quum migramus, alacres, tamquam ex hospitio miseriarum atque incommodorum plenissimo, egredi debemus, ac lætissimo animo ad futuram vitam, tamquam ad patriam, evolare: quod sapientes re ipsa præstitisse memorantur.

X. Profecto enim, si quid est, quod morientes perturbet, aut morientium affines habeat sollicitos, id totum aut ex falsa quadam opinione oritur, quod vitæ hujus usum nimis utilem ac jucundum arbitremur, aut ex nimio in nosmet ipsos amore, caritateque provenit. Sed opinionem illam, quam rationes adeo firmæ convellunt, libenter deponere debemus; ab hoc vero amore nimio tanto libentius abhorrere, quanto indecentius est, vitæ munere perfunctos velle etiam in vita, diis invitis, commorari; communemque omnium, qui ante nos e vita discesserunt, conditionem recusare; demum, tanta esse mollitie, tantaque impudentia, ut ne in morte quidem confirmemur ac resipiscamus. Quod si nostrorum mortem dolemus, cogitemus, aliquando moriendum ipsis fuisse; mortem autem incertam esse, nec in hominis arbitrio positam, sed e deorum voluntate pendere; quos vero lugemus, eos quoque suorum mortem vidisse, patienterque tulisse; ideoque suo exemplo, quid nos

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

facere velint, præcipere; denique, id quod ad consolandum maximum ac firmissimum est, non eos nobis penitus ereptos esse, nec prorsus amissos, sed ad præfinitum tempus a nostris oculis, nostraque consuetudine remotos. Itaque, quum ad eum vitæ terminum, quem natura præscripsit, nos quoque pervenerimus, statim eorum consuetudinem regustabimus, et ad suavissimam vel consuetudinem, vel convictum redibimus. Mortem suis acerbam, amaramque in moriendo esse, nonnulli existimant, atque ideo fortassse perturbantur; quod me quidem, sublatis gravioribus dolendi causis, quas jam superiori disputatione rejecimus, minime angit. Ipse enim discessus animi a corpore vel cum nullo, vel certe cum modico dolore fit, et interdum sine sensu; nonnumquam etiam, si recte sapimus, cum voluptate. Sed quidquid sit, totum hoc ita leve est, qualia sunt ea, quæ puncto temporis fiunt. Nec, si mors paullo longior alicui contingat, desperandum est de deorum, naturæque benignitate, quin eo quoque tempore properantem e vita discedere foveant atque allevent. Cujus rei in morientibus sæpissime signa minime dubia cernuntur: quum velut e somno exciti, quo tempore extremum spiritum edituri sunt, ita gaudentes et alacres adspiciunt, ut libentissime judices e vita proficisci.

XI. Quamobrem ne hæc quidem ullam æquam doloris afferre causam possunt; qui certe comprimendus ac minuendus est, quod, etiam si nolis, tempore tamen ipso extenuatur et evanescit: non, quod minuendi doloris vis in ipsa die posita sit, sed quod usus ipse, cogitatioque diuturni temporis doceat, nihil esse in morte mali, ideoque leviter et patienter ferendam. Sed turpe stultumque est homini, tanta tamque varia rerum cognitione instructo, non a se ipso potius mature, quam sero ab usu et cogitatione doloris remedia exspectare: quæ tam firma sunt, ut neminem fore putem, quem non vehementer non juvent solum, sed etiam permoveant. Mihi vero eo magis necessaria fuerunt, quo

www.libool.com.cn

Digitized by Google

turpius visum esset, me, qui ceteros constantissime consolatus essem, in meo dolore jacere; voxque illa exaudiri, et fortasse non immerito, potuisset: Hiccine ille Cicero, cujus ob os Graii ora obvertebant sua? Sed nos philosophia adversus omnes vel temporum, vel fortunæ, vel naturæ insidias munivit: quæ ita fortis est, ut nullius injuriæ impetum extimescat; ita lenis et suavis, ut omnes acerbitates facile mitiget ac molliat; ita demum utilis et fructuosa, ut totam se ad humanas utilitates liberalissime porrigat atque explicet. Nec vero secus debet. Quæ enim humanarum miseriarum cumulum optime norit, et acutissime perspiciat, si eas patiatur manare longius, neque homini mœrore confecto, consilio præsidioque suo præsto sit: quid illo miserius? quid vita nostra laboriosius, aut tetrius? aut quid prodesset, adspectum a natura ad supera erectum accepisse, ut cælum contemplari, ut deorum majestatem cogitare, aut a diis immortalibus mentem et rationem, ut utilia cognoscere, honesta a turpibus secernere, æqua amplecti, ab iniquis abstinere possemus, voce denique ipsa, et oratione frui, quæ nullis animantibus concessa est, quaque ceteris omnibus, quæ sub cælo sunt, viventium naturis antecellimus?

XII. Inania hæc videri possent, si tam multis ex adverso miseriis oppressa hominis natura neque se ad cælestia erigere, nec tantis bonis, quibus majora nulla esse potuerunt, uti posset. Sed profecto, ut contra serpentium virus pharmacorum genera multa, contra inopiæ calamitatem solertia et industria, contra turpitudinis voluptatem pudor et verecundia; sic contra doloris morsum philosophia nobis data est deorum immortalium concessu atque munere. Quam ut nemo satis pro dignitate laudare queat, sic quamplurimi mentis tranquillitatem, animi moderationem, in voluptates imperium, in acerba omnia summam quamdam vim ac fortitudinem illi uni acceptam referant necesse est. Neque nos aut in exsilio patientes, aut in honorum cursu tempe-

www.hptool.com.cn

Digitized by Google

rantes fuissemus, aut nunc in tanto mœrore sapienter et fortiter versaremur, nisi tuo, philosophia, optima rerum humanarum moderatrix, beneficio. Tu vero felix et beata, Tullia mea, si quis tibi in morte sensus est, quæ tot tantisque miseriis, quibus proposita fuisses in vita, una morte perfuncta es; a præsentibus malis expedita, ab impendentibus erepta, et in tuto ac tranquillo quietis portu collocata. Merito tibi mortem jucundam fuisse putem, quum vel ea bona, quibus viventi frui licuit, animo reputas; vel mala, quæ moriens vitasti, mente ac cogitatione complecteris. Ego autem, quum te felicem judicem, ac, si dicere liceat, pæne oculis cernam, cur tua morte excrucier? Potius lætabor, ac tibi, tamquam de re optatissima, gratulabor. Cui nisi molestum est, me jam ætate confectum in tam perturbata republica, tamque misero vitæ genere reliquisse, quid jam grave aut acerbum esse possit? Sed hoc quoque ratione ipsa levius aliquanto efficitur; neque tu nunc, quid me perferre necesse sit, sed, quam non multo post tecum iisdem bonis usurus sim, debes cogitare. Nihil enim accidere valde grave potest iis, qui spe jam propinqua futuri boni recreantur et aluntur. Sed nescio qui nos teneat error, aut miserabilis ignoratio veri. Non enim tantopere bonis delectamur, quam malis affligimur: ex quo fit, ut hæc etiam nolentes augeamus; bona autem, quæ fruendo, cogitando, gaudendo majora efficere expediret, etiam deteramus: quod certe minime oporteret. Nam, si serio disputare volumus, cur dolores resque adversas refugiamus, quæ fortitudinem in nobis gignunt et efficiunt? quæ si nulla essent, nulla profecto fortitudo agnosceretur. Cur mortem horreamus, quæ assidua sui memoria, nos ut meliores simus, admonet; nec patitur, ad ea nos animum adjungere, quæ aliquam nomini nostro vel intemperantiæ, vel injustitiæ notam possint inurere. Bona vero, et ea, quæ probantur in vulgus, cur tantopere appetamus? quæ consequuti, molliores plerumque, ac deteriores evadimus. Ita-

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

que his voluptatum lenociniis obruimur, ut discessum ex hac vita impendere, vix aliquando recordemur. Sapienter philosophorum princeps et magister Plato : quæ sensus appetit, aut timet, nihil aliud esse, quam somnia; itaque penitus contemnenda esse. Mala vero ut vitentur, ad æterna properandum; quo nisi confugias, vitari numquam posse. At ad æterna ne properari quidem potest, nisi morte janitore ac duce. Quorsum hæc? Ut intelligamus, non modo a dolore vacuam, quietam, opportunam, bonam denique esse mortem, sed etiam summorum atque immortalium bonorum liberalem ac beneficam ministram. Itaque Cato sic e vita discessit, ut lætaretur, causam se nactum esse moriendi. Jam nemini dubium esse potest, quin vir prudentissimus, si sua morte lætabatur, mortem etiam optimam esse agnosceret. Certe enim in re sua, quæ præsertim sensu percipiatur, nemo fallitur.

XIII. Quod comprobare possum Artabani, Xerxis patrui, viri sapientissimi, testimonio; de quo est apud Herodotum, quum Xerxes exercitus sui copias pæne innumerabiles, ante se in aciem instructas intuens collacrymatus esset, neminem ex tot millibus ad centum annos superstitem futurum, illum Xerxi respondisse : At tam multa sunt, tamque misera, quæ viventes perferunt, ut nemo sit, quin mori sæpissime cupiat; quum incidentes calamitates et morbi vitam adeo perturbent, sollicitamque habeant, ut longissima videatur. Itaque mortem perfugium esse ærumnosæ vitæ, dubitare nemo potest. Nec his contentus addit etiam illud : deos immortales, quum hominum vitam, quæ adeo misera sit, multis bonorum integumentis velarunt et operuerunt, fecisse quodammodo invidentius, ne mortis suavitatem, quanta est, omni ex parte degustaremus. Amphiaraum fabulæ narrant Jovi atque Apollini fuisse carissimum, neque tamen illum senium attigisse. Ex quo quid aliud conjici potest, quam mortis celeritatem divinum munus, et lucrum esse maximum? Itaque scitum est illud comicum :

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

Nam quem tuetur atque diligit Deus,
Juvenis supremum mortis intrat limitem. (*Ex Menandro.*)

www.libtool.com.cn

Neminem enim, quem dilexerint dii, patiuntur esse miserum : quare vitam eis, miseriarum plenam, adimant necesse est. Quid autem contingere homini tam gratum potest, quod eum magnopere in vita retineat? Voluptas, credo, quam ex alicujus sive artis, sive doctrinæ tractatione percipit. At doctrina æmulationem, omnium rerum molestissimam; si quæris, etiam dolorem parit. Non tam enim delectamur, aliquid discentes, quam angimur, multo plura ac majora, quæ scire vellemus, penitus ignorantes. Artes vero, quas tenuiores tractant, quid habent voluptatis, aut quid non potius molestiarum et mœroris? quanta inter eos, qui illas exercent, perfidia? quantum odium? quanta invidia? Aut quis est sua sorte contentus, et non alienæ sive industriæ, sive fortunæ, æmulator, osor, detractor? Sin civilem vitam quisquam appetit, et in reipublicæ luce vivere pulchrum putat, is se exigua, ac pæne nulla honoris specie magnas comparare calamitates certo sciat : quotus enim quisque est, cui non publica administratio vel mœroris, vel jacturæ tantum attulerit, quantum verbis explicari vix queat? Ac, si de toto vitæ cursu judicare vere volumus, exitum videamus. Ubi optimi reipublicæ administratores, seu verius parentes, Miltiades, Ephialtes, Cimo, Themistocles, Aristides? Quantum illis fides, caritas, integritas, constantia peperit miseriæ? ut non modo honoribus, dignitate, auctoritate spoliarit, sed etiam in exsilium miserit: quod contra oportebat, viros optimos, patriæque amantissimos honore affici, in oculis ferri. Scipio Africanus apud nostros optimam causam amplexus, paucorum immoderatæ libidini repugnans, mane mortuus in lecto est inventus; nec abfuit suspicio, quin ab uxore, quæ Gracchorum soror fuit, interfectores essent immissi. Metello autem Numidico, homine omnium clarissimo ac præstantissimo, quid miserius? qui, ne in legem perniciosam juraret, in exsilium

Digitized by Google

que his voluptatum lenociniis obruimur, ut discessum ex hac vita impendere, vix aliquando recordemur. Sapienter philosophorum princeps et magister Plato : quæ sensus appetit, aut timet, nihil aliud esse, quam somnia; itaque penitus contemnenda esse. Mala vero ut vitentur, ad æterna properandum; quo nisi confugias, vitari numquam posse. At ad æterna ne properari quidem potest, nisi morte janitore ac duce. Quorsum hæc? Ut intelligamus, non modo a dolore vacuam, quietam, opportunam, bonam denique esse mortem, sed etiam summorum atque immortalium bonorum liberalem ac beneficam ministram. Itaque Cato sic e vita discessit, ut lætaretur, causam se nactum esse moriendi. Jam nemini dubium esse potest, quin vir prudentissimus, si sua morte lætabatur, mortem etiam optimam esse agnosceret. Certe enim in re sua, quæ præsertim sensu percipiatur, nemo fallitur.

XIII. Quod comprobare possum Artabani, Xerxis patrui, viri sapientissimi, testimonio; de quo est apud Herodotum, quum Xerxes exercitus sui copias pæne innumerabiles, ante se in aciem instructas intuens collacrymatus esset, neminem ex tot millibus ad centum annos superstitem futurum, illum Xerxi respondisse : At tam multa sunt, tamque misera, quæ viventes perferunt, ut nemo sit, quin mori sæpissime cupiat; quum incidentes calamitates et morbi vitam adeo perturbent, sollicitamque habeant, ut longissima videatur. Itaque mortem perfugium esse ærumnosæ vitæ, dubitare nemo potest. Nec his contentus addit etiam illud: deos immortales, quum hominum vitam, quæ adeo misera sit, multis bonorum integumentis velarunt et operuerunt, fecisse quodammodo invidentius, ne mortis suavitatem, quanta est, omni ex parte degustaremus. Amphiaraum fabulæ narrant Jovi atque Apollini fuisse carissimum, neque tamen illum senium attigisse. Ex quo quid aliud conjici potest, quam mortis celeritatem divinum munus, et lucrum esse maximum? Itaque scitum est illud comicum:

www.libtool.com.cn
Digitized by Google

Nam quem tuetur atque diligit Deus,
Juvenis supremum mortis intrat limitem. (*Ex Menandro.*)

Neminem enim, quem dilexerint dii, patiuntur esse miserum : quare vitam eis, miseriarum plenam, adimant necesse est. Quid autem contingere homini tam gratum potest, quod eum magnopere in vita retineat? Voluptas, credo, quam ex alicujus sive artis, sive doctrinæ tractatione percipit. At doctrina æmulationem, omnium rerum molestissimam; si quæris, etiam dolorem parit. Non tam enim delectamur, aliquid discentes, quam angimur, multo plura ac majora, quæ scire vellemus, penitus ignorantes. Artes vero, quas tenuiores tractant, quid habent voluptatis, aut quid non potius molestiarum et mœroris? quanta inter eos, qui illas exercent, perfidia? quantum odium? quanta invidia? Aut quis est sua sorte contentus, et non alienæ sive industriæ, sive fortunæ, æmulator, osor, detractor? Sin civilem vitam quisquam appetit, et in reipublicæ luce vivere pulchrum putat, is se exigua, ac pæne nulla honoris specie magnas comparare calamitates certo sciat : quotus enim quisque est, cui non publica administratio vel mœroris, vel jacturæ tantum attulerit, quantum verbis explicari vix queat? Ac, si de toto vitæ cursu judicare vere volumus, exitum videamus. Ubi optimi reipublicæ administratores, seu verius parentes, Miltiades, Ephialtes, Cimo, Themistocles, Aristides? Quantum illis fides, caritas, integritas, constantia peperit miseriæ? ut non modo honoribus, dignitate, auctoritate spoliarit, sed etiam in exsilium miserit: quod contra oportebat, viros optimos, patriæque amantissimos honore affici, in oculis ferri. Scipio Africanus apud nostros optimam causam amplexus, paucorum immoderatæ libidini repugnans, mane mortuus in lecto est inventus; nec abfuit suspicio, quin ab uxore, quæ Gracchorum soror fuit, interfectores essent immissi. Metello autem Numidico, homine omnium clarissimo ac præstantissimo, quid miserius? qui, ne in legem perniciosam juraret, in exsilium

Digitized by Google

abire sit coactus. Fateor profecto, inter omnia exsilii genera, atque omnes miseriarum causas maxime honestam Numidici fuisse conditionem; cui probitas, integritas, in patriam caritas, calamitatis causam attulerit: sed tamen fatendum est, gravissimam fuisse calamitatem, pelli patria, avelli a suis, bonorum direptionem, liberorum sive mœstitiam, sive ærumnam videre. M. Regulum, C. Marium, L. Brutum, ob liberandam patriam interfectum, prætereo. Nolim in iis commemorandis nimius videri, quorum exitus nemo est quin ex libris, imaginibus, fama denique vulgari jam didicerit.

XIV. Quæ quum multa, maximeque gravia sint, gravissimum tamen illud debet videri, quod homine ambitionis vinculis irretito, quique e popularibus suffragiis totus pendeat, nihil usquam infelicius reperiri potest. Quantus in eo timor, quanta dubitatio, quantus conatus, quanta sollicitudo? ut nullam illi a molestia vacuam esse horam, non immerito suspicari possimus. Nam si servientis ea est conditio, ut ex ejus, cui servit, moribus, voluntate, ingenio propriam sibi fortunam fingat; qui populo serviet, avido, invido, ignaro, ad mutationem proclivi, et, quod caput est, ingrato, num aliquando beatus esse poterit? An potius, quoties de ejus natura cogitabit, toties suam ipse calamitatem, ac fortunam conqueretur? Præclare vetus poeta:

> Æterno mixtam luctu mortalibu' vitam
> Olim constituit divum pater, atque hominum rex.

Itaque quamdiu hac luce utimur, vivere quidem videmur, sed verius assidue morimur, aut saltem vitam verbo retinemus, re ipsa amisimus. Equidem non video, quid in hominis vita valde optandum, aut felix esse possit. Multos potius, ne in majora, quam quæ humana consuetudo quotidie fert, mala inciderent, mortem sibi dedita opera conscivisse scio. Quod tamen non idcirco dictum velim, quia probandum putem; sed, ut ex eo appareat, humana vita quam mul-

Digitized by Google

tis undique prematur difficultatibus. Cleomenes Lacedæmoniorum rex, ejusque filius, morte ultro appetita; præterea Theagenes Numantinus, qui, ne in hostium manus veniret, primum suis, deinde sibi ipsi mortem attulit, quantopere vita fugienda sit, satis videntur aperte declarasse. Ac nisi turpe videatur, homines a mulierculis, multo certe imbecillioribus, fortitudinis exempla petere, repetamus ex historiis Asdrubalis uxorem illam, quæ, Carthagine in hostium potestatem redacta, se ipsam cum tribus filiis in conflagrantis patriæ incendium immisit. Sed præter hæc, quæ jam testata sunt, et illustria, fateamur sane ingenue, tantam esse humanæ naturæ miseriam, ut neque genus ipsum hominum, nec e toto genere singuli miseriarum expertes esse possint.

XV. Quod eo magis mirandum est, quod non iis solum malis, quibus hominis natura assidue affligitur, mala nostra præscripta sunt; sed ipsi nos, quantum in nobis est, miseriores quotidie reddere conamur. Nullum enim aliud in toto terrarum orbe genus animantium reperias, præter unum hominem, quod in proprium genus atque in se ipsum sævitiam exerceat suam. Meritoque Dicæarchus in eo libro, quem de hominis interitu luculentum et eruditum conscripsit, nihil habere dubitationis putavit, quin multo plures exstincti sint homines ipsa hominum sævitia et acerbitate, quam omni reliquo genere calamitatis. Tanta est enim in permultis avaritia, tantum ambitionis, imperii, divitiarum studium, ut explendæ cupiditatis gratia nihil sibi non licere putent. Atque hoc malum non jam angustis finibus compressum videmus, sed superioribus sæculis erupisse vehementer, et manasse latius. Non enim certum aliquem hominum numerum, sed regna ipsa, et totas persæpe funditus sustulit civitates. At, si ad singulos homines, quæ proxima ratio est, mentem cogitationemque converteris, ne in iis quidem quidquam reperies, quod valde appetere, aut approbare possis. Finge enim animo quidquid homini felix,

Digitized by Google

aut beatum ex opinione vulgari possit in vita contingere. Congerantur divitiæ, bona valitudo, honores, potentia; etiam voluptates accedant. Quum hæc omnia in hominem contuleris, nihil tamen tribueris stabile, aut firmum, nihil, quod non repentinam et assiduam pati mutationem possit. Caduca enim et incerta sunt omnia, non in humanis consiliis, aut viribus posita, sed in fortunæ temeritate, ac temporum vicissitudine constituta. Quid autem homini turpius, quam e temporis ac fortunæ mutatione pendere, et secundo illius flatu sublevari; reflatu deprimi et affligi? aut lætis rerum eventis gloriari, adversis lugere, nec lacrymis temperare posse? Quid jam intersit inter hominem, mutamque pecudem, si nos perinde atque illa, quibus rationem natura denegavit, extrinsecus toti pendeamus, in nobis ipsis nihil fortitudinis, nihil firmitatis, nihil habeamus constantiæ? Quamvis enim homini non mater, sed verius noverca natura corpus fragile infirmumque tradiderit, animum autem et in molestiis anxium, et in timore humilem, et ad labores mollem; plurimos tamen insevit divinos ingenii, judiciique igniculos, quorum auxilio et cum dolore luctari, et timori obsistere, labores vero omnes nullo negotio vincere ac perferre possemus. Itaque tributum divinitus mentis ignem et prudentiæ, non exstinguere, sed sopitum fovere atque augere debemus.

XVI. Mors autem progressis in vita longius si immineat, nihil est, cur magnopere commoveamur : quæ præsertim aut meliorem, quam quo viventes fruimur, aut certe non deteriorem vitæ statum sit allatura. Quis enim negabit, si animus omnino intereat, exstincto sensu nihil esse mali, proptereaque nullam justam doloris causam exsistere : at, si vigeat, corpore solutus ac liber, quid jam illa vita beatius, quid divinius? Ex quo maxima et verissima lætitiæ ac voluptatis exoritur occasio. Itaque nihil jam restat, quo minus, optimam esse mortem, vere affirmare possimus, tantumque abesse, ut, quum adest, dolenda sit, ut num-

Digitized by Google

quam fugienda, sæpe etiam optanda videatur. Atque eo magis, quo diutius in vita homo permanserit. Nam, quum iis bonis, quæ afferre vita potest, satiari cœperit, tum ab humanis molestiis secedens, in beatissimam vitam commigrabit. Non enim is ego sum, qui animum simul cum homine interire putem, tantumque mentis lumen, e divina natura delibatum, posse exstingui, sed potius certo tempore emenso, ad immortalitatem redire. Quid autem hominem magis deceat, quam tam multis tamque firmis rationibus nixum, virilem animum retinere, femineam mollitiem exuere? Qui vero mortuos nimis lugent, nec humanam conditionem magno elatoque animo despicere possunt; in eos illud probri plenum vere dicetur:

> Vos etenim juvenes animum geritis muliebrem;
> Illaque virgo viri.

Multæ enim repertæ feminæ sunt, quæ in domestico luctu singularem animi præsentiam ac magnitudinem præstiterunt. Sed virilis fortitudo, ut libidini, sic dolori, non aliter, quam servo domina, imperare debet, eamque coercere ac frangere, tamquam vitiosam et imbecillam animi partem. Quam si emergere patiatur, seque paullo altius efferre, non modo rationi præcurret, sed etiam victrix in animo exsultabit. Quo nihil homini turpius, aut perniciosius ne excogitari quidem possit.

XVII. Gorgias orator, jam ætate confectus, ac morti proximus, rogatus, num libenter moreretur: «Maxime vero, inquit; nam tamquam ex putri miseraque domo lætus egredior». O virum egregium, dignumque, cujus vigeat in omnium ore ac mente sententia! Quid enim potuit præclarius dicere, quum mala, quæ viventem pati necesse est, cogitaret; miseriarum finem, quas moriens relinquebat, adesse lætaretur? Sic par est loqui hominem, qui non libidine vexetur, non voluptatis illecebris irretiatur, nulli denique pareat cupiditati: quæ summa est ratio

www.libpol.com.cn

Digitized by Google

aut beatum ex opinione vulgari possit in vita contingere. Congerantur divitiæ, bona valitudo, honores, potentia; etiam voluptates accedant. Quum hæc omnia in hominem contuleris, nihil tamen tribueris stabile, aut firmum, nihil, quod non repentinam et assiduam pati mutationem possit. Caduca enim et incerta sunt omnia, non in humanis consiliis, aut viribus posita, sed in fortunæ temeritate, ac temporum vicissitudine constituta. Quid autem homini turpius, quam e temporis ac fortunæ mutatione pendere, et secundo illius flatu sublevari; reflatu deprimi et affligi? aut lætis rerum eventis gloriari, adversis lugere, nec lacrymis temperare posse? Quid jam intersit inter hominem, mutamque pecudem, si nos perinde atque illa, quibus rationem natura denegavit, extrinsecus toti pendeamus, in nobis ipsis nihil fortitudinis, nihil firmitatis, nihil habeamus constantiæ? Quamvis enim homini non mater, sed verius noverca natura corpus fragile infirmumque tradiderit, animum autem et in molestiis anxium, et in timore humilem, et ad labores mollem; plurimos tamen insevit divinos ingenii, judiciique igniculos, quorum auxilio et cum dolore luctari, et timori obsistere, labores vero omnes nullo negotio vincere ac perferre possemus. Itaque tributum divinitus mentis ignem et prudentiæ, non exstinguere, sed sopitum fovere atque augere debemus.

XVI. Mors autem progressis in vita longius si immineat, nihil est, cur magnopere commoveamur : quæ præsertim aut meliorem, quam quo viventes fruimur, aut certe non deteriorem vitæ statum sit allatura. Quis enim negabit, si animus omnino intereat, exstincto sensu nihil esse mali, proptereaque nullam justam doloris causam exsistere : at, si vigeat, corpore solutus ac liber, quid jam illa vita beatius, quid divinius? Ex quo maxima et verissima lætitiæ ac voluptatis exoritur occasio. Itaque nihil jam restat, quo minus, optimam esse mortem, vere affirmare possimus, tantumque abesse, ut, quum adest, dolenda sit, ut num-

Digitized by Google

quam fugienda, sæpe etiam optanda videatur. Atque eo magis, quo diutius in vita homo permanserit. Nam, quum iis bonis, quæ afferre vita potest, satiari cœperit, tum ab humanis molestiis secedens, in beatissimam vitam commigrabit. Non enim is ego sum, qui animum simul cum homine interire putem, tantumque mentis lumen, e divina natura delibatum, posse exstingui, sed potius certo tempore emenso, ad immortalitatem redire. Quid autem hominem magis deceat, quam tam multis tamque firmis rationibus nixum, virilem animum retinere, femineam mollitiem exuere? Qui vero mortuos nimis lugent, nec humanam conditionem magno elatoque animo despicere possunt; in eos illud probri plenum vere dicetur:

> Vos etenim juvenes animum geritis muliebrem;
> Illaque virgo viri.

Multæ enim repertæ feminæ sunt, quæ in domestico luctu singularem animi præsentiam ac magnitudinem præstiterunt. Sed virilis fortitudo, ut libidini, sic dolori, non aliter, quam servo domina, imperare debet, eamque coercere ac frangere, tamquam vitiosam et imbecillam animi partem. Quam si emergere patiatur, seque paullo altius efferre, non modo rationi præcurret, sed etiam victrix in animo exsultabit. Quo nihil homini turpius, aut perniciosius ne excogitari quidem possit.

XVII. Gorgias orator, jam ætate confectus, ac morti proximus, rogatus, num libenter moreretur: «Maxime vero, inquit; nam tamquam ex putri miseraque domo lætus egredior». O virum egregium, dignumque, cujus vigeat in omnium ore ac mente sententia! Quid enim potuit præclarius dicere, quum mala, quæ viventem pati necesse est, cogitaret; miseriarum finem, quas moriens relinquebat, adesse lætaretur? Sic par est loqui hominem, qui non libidine vexetur, non voluptatis illecebris irretiatur, nulli denique pareat cupiditati: quæ summa est ratio

www.libpot.com.cn

Digitized by Google

et sapientia, humanæ necessitati imperare, non dolori cedere, non desiderio angi, nihil denique humanum extimescere. Angamur liberorum, aut affinium interitu. Quid ita? ut stultos imitemur, qui, quæ mutari non possunt, quæque vel nolentes opprimunt, perferre nequeunt; saniores, quorum tam multa exstant ad æternitatem illustria sive exempla, sive testimonia, negligamus? Quid est aliud, cæcorum more ambulare, et, quum in celebritate versari, ac solis lumine uti possis, solitudinem tamen ac tenebras quærere? Jam enim ad eos, quos æmulari satius est, quosque nobis imitandos proposuit antiquitas, nostra delabatur oratio.

XVIII. Mortem igitur in malis nullo modo esse ponendam, sed in præcipuis bonis numerandam, dubitaturum puto neminem. Si enim a miseriis abstrahit, si in meliorem vitam inducit, si neque misera ipsa est, nec ullius particeps miseriæ, cur mala censeatur? Sin hoc largitur, ut sempiternis bonis potiamur, vitamque, quam mortalem habuimus, æternam adipiscamur, quid morte beatius esse possit? Itaque sapientissimos homines accepimus non modo suorum morte non perculsos, neque dolore ullo affectos, sed etiam sæpissime lætatos esse. Anaxagoræ, inter familiares suos de natura rerum disserenti, filii mortem nuntiatam tradunt; nihilque aliud ab eo responsum, nisi, se illum genuisse mortalem. Præclara vero vox, et vere digna, quæ a tanto viro emitteretur. Non enim sane video, quid sapientius, aut constantius dici posset. An adolescentem illum esse mortuum? Fracti hoc animi, nec in rebus adversis admodum firmi signum fuisset. An angi sese non sua, sed filii causa? Num igitur ignorare se fateretur, quantis e malis elapsus esset filius? An se quidem dolere, sed tamen humanum casum agnoscere? Ubi ergo hominis gravitas, judicium, sapientia? aut quid ab imperitorum turba distabit? E quibus tamen sæpe multi nec iis rebus anguntur, quæ necessario eveniunt, nec quo minus eveniant, quum com-

Digitized by Google

munes omnibus sint, laborandum ullo pacto censent. Ille vero sapiens, et vere philosophus: quem neque improvisus nuntius perculit, nec a disputatione abduxit, sed potius vocem expressit, summæ indicem fortitudinis ac sapientiæ. Vellem et hoc ipsum de pluribus ex nostris dicere liceret: quos si qua interdum fortunæ oppressit injuria, nihil aliud judices, quam prostratos illos, ac penitus abjectos esse. Quasi vero aliquid acciderit, quod vel ante ipsos nemini, aut, quod ipsis, si minus hoc tempore, saltem paucis post annis non eventurum fuerit. Ac, quum maxime animo vigere deberent, tum præcipue non solum præteritæ patriæque virtutis, sed etiam humanæ legis, ac pæne obliviscuntur sui: tantum in eorum animis mollities potest, ac servitus quædam doloris atque tristitiæ!

XIX. An ego illum judicare liberum possim, cui dolor imperat? quem repentinus casus perturbat, impellit, evertit? qui nihil præ doloris magnitudine cogitare, nihil meditari queat? qui nihil in se ipso; in temporibus, atque in fortuna, quæ stabilitatis nihil habet, sua ponat omnia? Ego vero istam non modo servitutem, sed pæne captivitatem, et quidem miserrimam, censuerim. Quid enim interest inter eum, qui vinctus ab hostibus, et carceribus conclusus, obsideatur, et eum, qui dolore captus, suo prorsus careat arbitrio? At ille quidem, etsi corpore serviat, animo tamen liber est, nec dubitat aliquando fore, ut libertatem assequatur; qui vero dolori paret, nec valet corpore, et animo quam maxime laborat. Non enim amicis frui, non reipublicæ prodesse, non privatas res curare, non publicis consulere potest. Ita in otio, et quidem molestissimo, nec cuiquam paret, et tamen sibi non imperat. Qui quum assiduis et maximis prematur angustiis, alterum esse necesse est, ut quamdiu in dolore versatur, semper miser sit; alterum fieri nullo modo potest, ut, nisi dolere desinat, a miseriis eximatur. Quanto sapientius Xenophon, qui, quum sacra solemnia perageret, majoremque natu filium in prælio apud

Digitized by Google

Mantineam cecidisse audiret, coronam tantum e capite deposuit, sed in sacris peragendis constanter perstitit; ubi vero cognovit, fortiter pugnantem occidisse, coronam rursus capiti imposuit, deosque ipsos, quibus litabatur, testatus est, majorem se ex filii virtute voluptatem, quam ex obitu molestiam cepisse! Huic ego non dubitarim quin omnia, quæcumque accidere possent in vita, nullam essent perturbationem allatura. Qui enim usque eo in deorum cultu constans et firmus esset, ut neque filii morte nuntiata ab iis avocari posset, cur eum credam filii morte lugenda a deorum voluntate dissensurum fuisse? aut qui virtutem filii vitæ anteferret, non jure credi possit, illum et virtutis studio incensum, et patriæ caritate impulsum, omnes molestias, omnesque calamitates libentissime fuisse subiturum? Sed quo rariores, qui hoc modo animati sint, hoc præclariores viri. Nihil enim ad laudem illustrius, quam in æternam gloriam, aut in patriæ utilitatem intuentem, aut saltem fortiter dolores perferentem, et cum fortuna luctantem, negligere humana. Quæ qui nimium curant, ii laudis studium, civium commoda, denique omnia, quæ laudabilia putantur, prorsus e mente ac cogitatione ejiciant, necesse est. Neque enim humanis curis implicitus toto animo de patriæ salute atque utilitate cogitare, aut laudem sibi præclaris actionibus comparare, vel egregii quidquam suscipere, ac sustinere queat. Suis autem commodis ac rationibus prospiciens et consulens, cetera omittet, de se ipso dies noctesque cogitabit. Ita nec boni civis, nec boni viri fungetur officio. Bonum enim virum decet, de ceterorum commodis æque laborare, ac de suis; bonum vero civem, sua omnia posteriora habere, patriæ commoda prima et maxima ducere: a quibus neque dolore, neque ulla omnino humana avelli perturbatione debemus. Periclem narrant historiæ intra quatriduum duobus filiis, eximiæ indolis adolescentibus, esse orbatum. Qui usque eo fortis ac constans in luctu fuit, ut nihil prorsus de pristino habitu cultuque demi-

Digitized by Google

nuerit, sed eumdem, quem antea, in concionibus habendis morem ritumque servarit, nec umquam coronam e capite deposuerit. De quo traditum est, nihil eum putavisse indignius futurum, quam si aliquod fracti animi signum mœroris causa muliebri more edidisset. Fortem sane hominem, et magna laude, æternaque memoria dignissimum : quem neque naturæ vis, ad nimium sæpe amorem trahens, potuerit de statu demovere, et ad dolorem abducere, nec liberorum desiderium, quos tamen summe dilexisse dicitur, ulla ratione perturbarit.

XX. Nec mirum : vera enim fortitudo inanes sollicitudines ejicit ac depellit; opprimit cupiditates; imperat timori; nihil autem appetit, forti viro indignum; nec ab ulla re vel metu, vel inconstantia repellitur. Et quamvis excelsam elatamque naturam ratio ipsa, doctrinæ præceptis imbuta, confirmet; quod Pericli, doctissimo homini, maximoque ingenio prædito sine ulla dubitatione contigisse, prorsus mihi persuadeo : ipsæ tamen fortitudinis radices in animo præcipue insident. Qui quum humana despicit, nec ad humilia, quasi humi depressus, ullo pacto adhærescit; facile fit, ut uberiores et maturiores fructus ferat, quum ad eum, veluti ad agrum optimum cultura, ratio etiam accesserit, conformatioque doctrinæ. Non enim, sensu omni doloris caruisse summos viros, credendum est. Qualis enim nihil sentientis animi, sensuque prorsus carentis esse fortitudo potuisset? Sed dolorem sentientes, ad eum opprimendum ac vincendum summam animi contentionem adhibebant, tantumque nitebantur, ut e pugna discederent superiores. Verum enim illud est, nullam animo majorem pestem, una remissione, posse contingere. Qui si intentus est, seque ad resistendum parat, omnia sustinet pondera, omnia vel firmissima tormenta facile discutit ac depellit : at remissione enervatus et effeminatus, ita deprimitur et urgetur, ut se ad æquitatem nequeat extollere. Nec vero quisquam doloris impetum excipere, ac fortiter perpeti posset, nisi se prius

Digitized by Google

ad obsistendum comparasset; aut fortitudinem acquirere, nisi prius doloribus multis acerrime ac fortissime restitisset. Ex quo consuetudo fit, quæ callum obducit animo, nosque contra omnes vel naturæ, vel fortunæ impetus armat.

An censemus, Harpagum Medum tantum fortitudinis exemplum, quantum ab Herodoto memoriæ mandatum est, edere potuisse, nisi prius in patientiæ ac fortitudinis exercitatione sæpissime versatus esset? nec sine maximo fructu, magnaque potius cum nominis sui gloria. Tantum enim fortitudine ac prudentia præstitit, ut acerbissimam injuriam sine ullo plane doloris sensu pertulerit, et sese cumulate contra regis immanitatem ulcisci potuerit. Nam, quum ejus filium rex Astyages interfectum ad epulandum apponi jussisset, caputque ei post cœnam allatum ostendisset, rogans, cujus feræ viscera in mensa comedisset; ille vero nihil perterritus, nec animo ullam in partem dejecto, « Agnosco, inquit, quid sit actum, ac quidquid regi placuit, mihi quoque placere pronuntio ». Hoc autem immanissimum genus injuriæ tam dissimulavit, quoad Cyrum ex Persia in Mediam evocare potuit : quo adveniente, quum exercitus imperator contra eum a rege missus esset, et regnum, et regem illi tradidit. Itaque Astyages in Cyri potestatem, impietatis suæ pœnas daturus, redactus est. O factum omnium gentium ac sæculorum memoria dignissimum ! ex quo non modo qui dolori cedunt, ad patientiam ac fortitudinem excitentur, sed etiam reges, quique hominibus imperant, ne quid impium, aut indecens audeant, erudiantur. Nam adversus injustitiam atque impietatem tantum est odium, tanta invidia, ut ne ipsum quidem cælum, aut sidera, etiam si homines velint, hujusmodi scelera pati ac dissimulare possint. Ac, si sera deorum vindicta sit, noluerunt tamen impios ipso in facinore adeo exsultare, ut non angore conscientiæ, fraudisque cruciatu, tamquam domesticis furiis, assidue vexentur. Tantumque potest impietatis odium, ut tyrannum exstinctum, ac sævissime excruciatum, nemo

Digitized by Google

misereatur, nemo doleat. Nam adversus hoc hominum genus, nec in ullo præterea, omnem prorsus vim, omnesque stimulos amittit dolor. Qui si ratione comprimendus est, quod supra diximus, multo etiam magis consuetudine vincetur; cujus tantæ sunt vires, ut non modo perturbationes animi sedare, sed etiam naturæ vim afferre, eamque sæpissime immutare, ac penitus aliam possit efficere. Cujus auxilio non modo doloris aculei, sed etiam fortunæ fulmina depelli ac contemni facile poterunt.

XXI. Meditemur igitur, et omnino statuamus, nihil prorsus humanum esse dolendum: non mortem, quam jam optimam esse cognovimus; non egestatem, quæ sæpissime maximi boni causa a diis immortalibus tribuatur; non exsilium, quum orbis terrarum omnibus pateat; non cetera generis ejusdem, quæ vulgi opinione gravissimis in malis numerantur. Nullum enim tam grave malum apparebit, quin ex eo bonum aliquod multo majus, multoque optabilius magno deorum beneficio aliquando colligatur. Pleni sunt libri philosophorum; refertæ argumentis ac rationibus paginæ fere omnes; tanta autem exemplorum copia, ut nihil possit esse cumulatius. Quæ quum ita sint, qua jam re terreamur, aut cui dolori cedamus? Dion certe, qui e Platonis schola defluxit, quum ejus filius in atrium e tecto delapsus interisset, non modo non doluit, sed etiam in eo, quod tum forte agebat, constanter perstitit. Quo facto judicavit et vir sapiens, et Platonis discipulus, quid ceteros, qui sapientes haberi volunt, facere oporteat. At Traheaspas multo fortius: siquidem filii morientis, quum ferro trajiceretur, sine ullo prorsus dolore spectator fuit. Cambyses enim iratus et ebrius quum ejus filium sagittis peteret, jamque pectus reclusum appareret, patrem jussit inspicere, num cor percussum esset. Cui quum pater respondisset, jam cordi sagittam esse infixam; tum Cambyses, «Numquid certam, inquit, habeo manum?» At pater, nullo doloris signo dato, nec usquam conversa aut commota, facie: «Ne

Digitized by Google

Apollinem quidem, inquit, certiores sagittas emissurum crediderim». Quid hunc patrem putemus facturum fuisse, si filius in pugna fortiter dimicans occubuisset, qui nullius culpæ conscium filium crudelissime trucidari non doluerit? Num credamus, filii mortem honestam, ac pro patria susceptam, tali patri futuram fuisse jucundissimam? Nec tamen dubito, permultos fore, qui impium illum, ac pæne viscerum suorum carnificem vocent. Sed faciant sane, ut lubet; dum hoc mihi concedant, exemplum hoc fortitudinis, ac devicti doloris esse præclarissimum.

XXII. Quod si ita est, ut infirmos animos spectata ceterorum virtus erigat et confirmet, quem censeamus jam dolori concessurum, quum tam multos audiat, qui se ipsos in dolore superarint? Quocirca, tam multa veterum exempla colligere, vereor, ne supervacaneum, aut fortasse putidum videatur. Quod si ceteris tantum, et non nobismet ipsis, scriberemus, fortasse breviores in scribendo, in exemplis autem recensendis etiam priores essemus. Sed fit nescio quomodo, ut ex aliorum casibus ad mala nostra sananda medicinam colligamus. Nobis quidem ita videtur; et, quum nostro vulneri medeamur, mirari non debebunt qui hæc in manus sument, si quid fortasse paullo expressum uberius invenerint. Illud certe propositum habemus, ut omnibus nobiscum prodesse, omniumque dolori, quam accuratissime fieri possit, consolationem afferre possimus. Quamobrem his enumerandis nostram valde imminui atque allevari molestiam experimur; ceteris idem optamus, ac, si dicere liceat, etiam speramus. Nam in tanta vel argumentorum, vel exemplorum copia, quibus se legentes pæne obrui sentient, ecquis se immobilem, aut in dolore inexorabilem præbeat?

Desunt nonnulla.

XXIII. Nec vero ignoro, nonnulla interdum accidere, quibus ita perturbetur et opprimatur animus, ut a medicina refugiat; idque si ullo in casu contingit, certe,

Digitized by Google

quum dolore affligimur, maxime solet evenire. Quod ex eo fit, quod erepti vel amici, vel affinis, vel filii cogitatio adeo nobis grata est, quod illum pæne ante oculos constituere videatur, ut, etiam si dolorem refricet, et lacrymas eliciat, tamen eam deponere nolimus; ac, si ad consolandum remedia suppetant, tamen nihil minus, quam consolantium verba, audiamus. Falluntur sane graviter qui ita agunt; sed hunc errorem, quo magnopere delectantur, sibi extorqueri nolunt. Quare suum unicuique studium, suaque omnibus delectatio relinquatur. Non enim vereor, quin, si minus in ipso doloris æstu remediis utendum homines censeant, certe, quum modice dolor resederit, ac se paullum quasi remittere cœperit, ad exstinguendas doloris reliquias monita præceptaque nostra adhibeantur. Nihil autem utilius est, quam hæc eadem in voluptate ac lætitia pertractare, atque in manibus habere. Sic enim et legi, atque ad verbum edisci, et penitus memoriæ mandari possunt, ut, quum in animum penitus influxerint, tum exhauriri ac prorsus elabi non facile queant. Ita fit, ut, quum repente dolor invasit, tum iis utamur; quæ, nisi ante percepta et cognita sint, impetu ipso doloris incurrente, plane depelli atque excludi solent. Sensimus hoc in nobis ipsis; nec parum nobis obfuit, hanc universam adversus dolorem commentationem non multo ante animo ac mente percurrisse. Quamvis enim permultos philosophorum libros vel de luctu, vel de morte satis accurate legissemus, ut Theophrasti, Xenocratis, aliorum, quos commemorare nihil attinet: tamen hoc non ideo feceramus, quod eventurum putaremus, ut iis ipsis in nostro mœrore uteremur. Itaque neque lectionem, quantum oportuisset, accuratam, nec memoriam satis intentam adhibuimus. Casu autem repentino oppressi, non prius ad libros confugere potuimus, quin ante acerbitatis vi prosterneremur. Quamquam postea tempore ipso factum est, ut dolor nec, ut antea, acrior, et mens ipsa paullo esset sedatior, et ad medicinam accipiendam magis idonea. Sed per-

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

gamus ad reliqua, quæ nec multa restant, et scitu ac cognitione dignissima; fructu autem ipso, quem præcipue quærimus, gratiora fortasse, et uberiora.

XXIV. Quid est ergo, quod aliquam nobis afferre dubitationem possit, cur nihil omnino nostrorum morte dolere debeamus? Credo, si quando nobis in mentem venit, magnam nos ex eorum, quos amisimus, opera ac studio utilitatem percepturos fuisse. At hoc non ad amicos, aut affines, quorum dolere videmur interitu, sed ad nosmet ipsos pertinebit. Mercenarius igitur dolor fuerit, quique non ex affinitate, aut benivolentia, sed ex una proveniat utilitate. Quid autem flagitiosius et indignius, quam eum, qui sic doleat, fateri oportere, quum tantopere alicujus morte crucietur, quod aliqua utilitate privatus sit, si nihil ex ejus vita beneficii ac commodi se consequuturum speravisset, nihil sibi omnino dolendum fuisse?

At videamus, non Persas, aut Scythas, sed e media civitate nostra clarissimos et præstantissimos viros ac cives, qui non modo amicorum, cum quibus conjunctissime vixerant, sed etiam liberorum, et quidem carissimorum, interitum ita fortiter et constanter tulerunt, ut causæ nihil sit, quin eos superioribus Græcis comparare, atque etiam anteferre debeamus. Atque hoc multo magis in illis mirandum fuerit, quod in eorum obitu se fortissimos et constantissimos præbuerunt, qui non modo ipsis utilissimi, si vixissent, sed pæne soli utiles ac jucundi esse potuissent. Quid enim utilius filio? quid jucundius unico? At filium, et unicum Q. Fabius, præterea consularem, qui jam magnas res gesserat, et majores cogitabat, amisit. Neque solum non doluit, quod fortissimi animi fuit; sed etiam mortuo laudationem in foro dixit; quo nihil fortius, aut laudabilius ne ex omni quidem antiquitate recenseri potest. Cujus orationem quis non admiretur, insignem ingenii, judicii, ordinis præstantia? Quo modo ille vel ea, quæ dixit, sine luctu dicere, aut, quæ scripsit, sine dolore cogitare potuit? quum præ-

Digitized by Google

sertim hoc in illa laudatione et admirari et obstupescere soleamus, quod non, ut alii, de ceterorum fortitudine disputat, ut suum ipse dolorem aliorum exemplo minuat, sed in filio hærens, illius maxime virtutes, propriasque laudes, quæ vel acerbiorem efficere doloris sensum poterant, longissimo sermone persequitur. Quod singularis virtutis exemplum fortasse Horatii Pulvilli laudem magna ex parte deminuere videatur; quem tamen summum virum silentio præterire nefas ducimus, quum in eo ipso, quod filii mortem æquissimo ac fortissimo animo tulit, etiam Jovi optimo maximo, cujus ædem dedicabat, gratissimum fecisse videatur. Nam pontifex, inter solemnium verborum nuncupationem, postem tenens, ut filium mortuum audivit, neque manum a poste removit, ne sacra dirimeret, nec vultum a populo avertit, ne suum potius dolorem, quam populi utilitatem ac salutem, cogitare videretur. Jam, quid L. Paullo insignius, quid illustrius? qui filios paucissimis diebus duos ita perdidit, ut nullum pæne doloris paullo acrius indicium ediderit: ac potius in ea concione, quam de rebus a se gestis ad populum habuit, lætatus est, quidquid populo romano immineret adversi, totum id in se ipsum a diis immortalibus esse conversum.

XXV. Cum Sulpicio vero Gallo quis neget actum esse præclarissime? cujus innocentiam, sapientiam, militarem virtutem, etiam insignis in obitu filii fortitudo illustraverit. Quem ut numquam lubens tacitum dimiserim, sic ad Catonem properans exsultare videtur animus, et quasi in portum ex horrida tempestate delatus, in sapientissimi viri nomine atque exemplo conquiescere. Neque enim majori mihi admirationi esse solent clarissimi hominis res gestæ, ac virtus, non solum in luce patriæ, sed etiam in congressu hostium cognita, quam fuit illa in filii morte, prætoris designati, in oculis omnium civium fortitudo declarata. Atque horum egregia in domesticis miseriis atque ærumnis facinora qui fortiter in civitate nostra imitati sint, casusque

Digitized by Google

fortunæ gravissimos patientissime tulerint, non difficile fuerit oratione complecti. Nam et Q. Marcius Rex, quum unicum summæ pietatis, summæque virtutis filium amisisset, dolorem prudentia pervicit, et eo ipso die, quo filii rogum spectarat, curiam ingressus est, senatumque jussit convenire. Crassus vero, in eo prælio, quod cum Parthis commisit, occiso filio, tantum abfuit ut doleret, ut etiam exercitum increpaverit, quod unius militis jactura tantopere commoveretur, hortatusque sit, ut patriæ virtutis memores pro republica fortiter dimicarent, filii mortui ultionem sibi uni relinquerent. Sed antiquior P. Crassus, vir clarus, et consularis, P. Crassi filii mortem et vidit, et moderatissime tulit. Nec ab ejus laude abfuit, ac fortasse Crasso præstitit Cn. Cæpio, qui Cæpionem filium naufragio absumptum ita non doluit, ut eum ne leviter quidem e vultu, aut ulla corporis parte commotum e familiaribus quisquam ullo pacto senserit. Jam quid Pisones, Scævolas, Brutos, Marcellos, Metellos, Lepidos, Aufidios enumerem? quorum singuli pluribus amissis filiis, vel uxoribus, vel parentibus, nec lugendum existimarunt, et suam in illorum funeribus virtutem atque constantiam non sibi solum, sed etiam generi nominique romano gloriosam fore putaverunt.

XXVI. Pudet in virorum gravissimis casibus repetendis longiore uti oratione, quum virorum maxime peculiaris virtus sit, et in viris efflorescat ac vigeat maxime. Quamobrem de feminis potius dicendum est, ut, quum eas fortissimas fuisse cognitum sit, tum pudeat viros, a mulierculis virtutis exempla petere, et ab iis ea virtute, quæ ipsorum propria esse debeat, videri aliquando superatos. Nam, si verum est, quod a Theophrasto alicubi proditum memoriæ mandavimus, orbem terrarum theatrum quoddam esse magnum, divina mente repletum, et cælestis indicandæ sapientiæ gratia tam multis undique collucentibus ornamentis illustratum ac depictum; in eo autem medio collo-

Digitized by Google

catos esse homines a Deo, ut cum fortuna, dolore, morbis, egestate, casibusque permultis assidue luctentur; Deum vero ipsum, quantum quisque pugnando valeat, quamque viriliter fortitudine divinitus accepta utatur, desuper adspectare; hoc, inquam, si verum est, dubitari profecto non potest, quin, quemadmodum populus romanus in muneribus publicis invisos habet gladiatores, qui omni modo vitam impetrare cupiunt, favet iis, qui contemptum ejus præ se ferunt; itidem dii immortales, si quos ex hominibus nimis anxie de vita sollicitos, ejusque exitum detrectantes adspiciant, iis aliquo modo succenseant; eos vero et caros habeant, et muneribus prosequantur, qui si e vita revocentur ipsi, vel suos revocari videant, alacres lætique Deo pareant, nihilque propterea mali sibi accidisse judicent. Quod si feminas præstitisse intelligimus: cur iis imbecilliores atque infirmiores videri velint viri? Neque solum unam aliquam e multis feminam, sed totam gentem ac nationem, ut marium virtute, sic feminarum eximia quadam magnitudine animi præstitisse accepimus. Lacænas enim matronas traditum est, occisis filiis vulnera inspicere consuevisse; ac, si adversos vulneratos esse comperissent, lætabundas funus ducere, eosque in avita sepulcra inferre solitas esse; contra vero, quos aversis vulneribus concisos agnoscebant, ab iis refugientes, clam sepeliendos curabant, nec ullo prorsus honore funeris prosequendos statuebant: tantum in femineis quoque animis decus poterat, et studium gloriæ! Qua ex gente etiam illud ad nos præclarum dimanavit, matrem quamdam filium, senis confossum vulneribus, intuentem nec ingemere voluisse, nec coronam e capite deponere, sed ad comites conversam, ita loquutam: « Quanto pulchrius et optabilius est, in acie victorem animam efflare, quam in Olympio certamine parta victoria vivere? » At alia, filium in prælio interfectum audiens, « Idcirco, inquit, genueram, ut mortem pro patria fortiter occumbere non dubitaret ». Quid his feminis facias, aut quo non honore ac gratula-

www.libook.com.cn

Digitized by Google

tione dignas putes, quæ de patriæ dignitate, deque gloria sollicitæ, honestam mortem cuivis saluti ac lucro anteponerent!

www.libtool.com.cn

Age vero, num Lacænis Romanarum virtus inferior? Par fortasse, nisi malis etiam superiorem appellare. Quam fortis enim, et quam magnifica illa Corneliæ vox, quæ duodecimo jam fœtu amisso, quum Tiberium et Caium filios interfectos spectavisset, nullo timore perculsa, nulloque dolore confecta: « Numquam, inquit, ego me non felicem dixerim, quæ Gracchos pepererim ». Fortem vero feminam, et cuivis ex veteribus mentis præstantia, ac magnitudine animi conferendam. Non enim dolori concessit, sed potius, quum virtute vicisset, victrix de dolore triumphum egit. Nihil jam Rutiliam miremur, quæ, C. Cottam filium in exsilium sequuta, quum postea reversum in patriam amisisset, nemo eam lacrymantem post elatum funus vidit. Parique fato Clodia usa est, quæ D. Brutum filium, consularem, mortuum superstes vidit, neque tamen ejus obitum non fortiter, et patienti animo tulit. Quæ virtutis non vulgaria in feminis exempla mirari aliquis possit, qui sexus imbecillitatem ac mollitiem cogitet. At vero, qui fortissimis genitas parentibus, et fortibus etiam avis majoribusque prognatas recordatus fuerit, nihilo ab eis minorem vel prudentiam, vel animi magnitudinem requirat.

XXVII. Est ergo ulla res tanti, aut commodum ullum tam expetendum, ut, illo amisso, ne prudentiam quidem retineamus? Quæ si ulla in nobis residet, nos profecto vel avitæ, vel patriæ virtutis admonet, nec de Pisonibus, Fabiis, Brutis, Marcellis cogitantes, quos imitemur, et a quibus ortum ducamus, immemores esse patitur. Horum enim armis imperii fines producti sunt; horum sanguine parta, ac stabilita libertas; horum denique labore, ac studio respublica ad tantam pervenit sive bellicæ laudis, sive domesticæ virtutis gloriam. Quorum in vestigia pedem ponere oportet, qui laudabiliter vivere, quique honestis in

Digitized by Google

actionibus exerceri volunt, nec ullo mentis errore ad nimium dolorem, atque insaniam traduci. Nominavimus externos magnos, clarosque viros; collegimus de nostris plurimos, quibus mortis sensus non modo non ingratus, sed etiam optatus et jucundus accidit. Addatur, si placet, etiam Theramenes, qui veneno epoto, maxima æquitate animi, ludens in morte, quod erat in poculo reliquum, Critiæ propinavit. Ergo ille in sua morte vir clarus et sapiens ludebat; nos in filiorum, aut affinium morte lugebimus? et veterum dicta quotidie legentes atque addiscentes, præclara ducemus, exempla repudiabimus? aut eam vitam, quæ mortem hanc consequutura est, immortalem, beatam, a miseriis omnibus vacuam, negligemus? Quamvis enim nudum corpus et exanime discedens relinquat animus, nec amplius liceat homini, qui e vita discedat, suis opibus, bonis, divitiis perfrui;

> Adstante (ut ille ait) ope barbarica,
> Tectis cælatis, laqueatis:

tamen multo majoribus et bonis, et opibus, quæ nulla vetustas absumet, nulla vis eripiet, piorum mentes assidue potiuntur.

XXVIII. Sed dimittamus et exempla clarorum hominum, et illorum virtutis impressam historiis memoriam; veniamus ad id, quod unusquisque sensu percipit, quantumque ex morte consequamur emolumenti ac commodi, re ipsa factisque probemus. Ex qua docendi et disputandi ratione perspicue veritas elucescit, quidque hoc modo se habeat, vel illo, facile potest perspici. Si quisquam est, qui secundos in omni vita rerum exitus adipisci et consequi possit, nihilque timeat adversi, hunc nemo infitiari poterit, jure dicturum, si vitam sibi morte multis partibus meliorem affirmet. Atqui nemo est, qui non modo miserias atque ærumnas ab humana vita segregare, sed ne semihoram quidem felicem sibi ac beatam polliceri possit. Me-

Digitized by Google

telli sibi fortunam sperant omnes; Priami sobolem ac regnum exoptant alii: quasi non et Metellus tam multos nactus filios ac nepotes, quum maxime beatus esse posset, invitus obierit; et Priamum non omni orbatum progenie, summoque dolore confectum, hostilis manus interemerit. His vitam si mors aliquot ante annis ademisset, e multis eos miseriis ac luctibus simul eripuisset. Quod idcirco experti sunt, quia vitam diutius, quam ipsorum requirebat felicitas, produxerunt. Hinc illa miserabiliter decantata:

Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam auferri,
Jovis aram sanguine turpari.

Quæ non modo visu, sed etiam auditu acerbissima sunt; quid putamus misero regi, qui omnia et videre, et audire, et experiri coactus est? Num ei multo melius evenisset, si vitam omnino multis ante annis, quam hæc acciderent, amisisset? Forsitan quispiam dixerit: multa, quæ vivens nactus est, bona, cito decedens penitus reliquisset. Sed a malis etiam multo gravioribus, qualia multa sæcula non viderunt, felicissime liberatus esset. Ex quibus omnibus, multisque aliis perspicuum est, pervertere homines ea, quæ sunt humanæ fundamenta felicitatis, quum utilitatem a morte sejungunt, aut quum miseriam cum morte connectunt. L. Crassum, ex nostra civitate clarissimum et eloquentissimum virum, matura mors quantis e molestiis, quantisque incommodis eripuit? Nam, qua in patriam pietate fuit, ex iis malis, quæ mortem ejus consequuta sunt, incredibilem, si vixisset, dolorem accepisset. Flagravit enim bello Italia, exarsit senatus invidia; nihil denique in civitate fuit, quod non ejus temporis calamitatem luctumque persenserit. Nam quid fugam Marii, quid cetera, quæ in illius discessu acciderunt, maxime luctuosa, summeque miseranda commemorem? quid reditum illum sanguinarium, cujus ex recordatione nemo est qui non intimis sen-

www.libtool.com.cn
Digitized by Google

sibus exhorrescat? Tenemus enim memoria, aut saltem ex patrum scriptis accepimus, crudelissimam omnium cædem illo tempore esse factam, trucidatos bonos viros et cives, incisas eorum cervices, in rostrisque positas, qui multorum civium salutem ac dignitatem eloquentia peperissent. Quam multos ex illa reipublicæ tempestate commemorare possumus, innocentissimos homines atque optimos, ut acerbissimam calamitatem effugerent, libertatem morte quæsisse! O acerbum ac nemini non pœnitendum reipublicæ statum, conditionemque vivendi! quum eos ipsos, qui rempublicam suo labore, suoque sanguine auxerint, juvarint, servarint, nusquam tutos, nihilque magis, quam propinquorum manus ac gladios timentes horrescentesque videas; illorum autem, quorum ope atque auxilio servatus sis, quum horribiles miserosque casus spectes, nulla tamen ratione opitulari, nihilque afferre adjumenti queas. Quis neget iis ipsis, qui hæc intueri cogantur, mortem esse non modo detrectandam, sed etiam optandam? Qui autem ne in horum temporum flammam incidant, mortis beneficio consequuti sint, eos vero beatissimos jure omnes existimabunt: qualem fuisse L. Crassum, nisi res ipsa probavisset, nihil esset, cur oratione persuadendum videretur.

XXIX. Sed hæc paullo antiquiora, quam ut omnibus in memoriam redigi, ac cogitatione comprehendi possint. Pompeii autem, nostri familiaris, casu quid in civitate notius, quid illustrius? aut quid omnium oculis ac mentibus perspectius et clarius? Hunc, si mature exstinctus esset, nihil doloris, nihil invasisset mali. Quod tam diu in vita mansit, idcirco factum est, ut singularis calamitatis exemplum omnibus præbuerit. Cui eo luctuosior fortunæ acerbitas visa est, quo feliciore ac secundiore fortuna in omni vita usus erat. Quis enim universis civibus aliquando carior? quis in toga vel rebus gestis, vel honoribus extra ordinem delatis clarior? quis opibus, propinquitatibus, amicitiis florentior? cui nihil prorsus ad summam absolutamque felicitatem,

Digitized by Google

præter honestum ac jucundum vitæ exitum, deesset. Sed videamus, quantum in rebus humanis fortunæ possit injuria; nisi malimus ad propriam mortalis vitæ nimis asperam miseramque conditionem omnia mala revocare. Qui enim amplissimis fortunis usus erat; nihil, nisi sublime ac beatum, nec cogitare, nec optare consueverat; cui omnia vel ad usum, vel ad voluptatem supererant, bellum cum socero suscepit, deseruit domum, profugit ex Italia; et quum antea nihil in ceteris bellis, nisi summo consilio prudentiaque gessisset, quum vel maxime ingenio judicioque excellere debuisset, sui pæne oblitus est. Itaque imbelles et infirmas copias, tirones, collectitiosque milites cum robustissimis legionibus conferre non dubitavit; et amisso exercitu, ereptisque castris turpissime victus, in servorum manus vir summus et clarissimus incidit. Vita vero ut miserabiliter privatus sit, commemorare nihil est necesse: quum eo ipso, quod, in tam miseram fortunam delapsus, vitam cito amiserit, minus fortasse miser censeri possit. Beatissimus autem obiisset, si, quum in republica florebat, quum valebat auctoritate et gratia, quum copiis opibusque affluebat, e vita decessisset: cujus propagatio quantum illi mœroris ac luctus attulerit, non modo scribendo, sed vix etiam cogitando consequi quisquam possit. Itaque hoc stabilito et fixo, mortem sæpissime beatam homini contingere, non solum, quod nos in beatam vitam inducat, sed etiam, quod multarum magnarumque miseriarum sensu liberet, et a futuris vel calamitatibus, vel doloribus abstrahat, quid jam relinquetur, cur non morte lætari, ac clarorum hominum virtutem, qui nullius interitu perturbati sunt, imitari debeamus? An non optimam beatamque mortem judicabat L. Brutus, quum tyrannum arcens, quem expulerat, vitam pro nihilo ducebat? item Decii, quo tempore cum Latinis pro patria dimicantes, sese hostium telis objiciebant? præterea Scipio, Paullus, Marcellus, Albinus, quos vitam in acie juvandæ patriæ causa fortissime profudisse memoriæ proditum legi-

Digitized by Google

mus. Et vero nihil fuit, quamobrem elato excelsoque animo homines vitam non despicerent, ut sempiternam gloriam consequi possent. Nam cum nullo, vel certe minimo doloris sensu, quem morientes perferunt, infinitam laudem commutabant. Hunc enim locum de exiguo, vel nullo potius dolore mortis, quem supra perstrinximus, paullo uberius percurramus.

XXX. Neque enim absurde dixisse mihi videtur is, qui morientium mortuorumque hominum statum et conditionem duabus potissimum ex rebus percipi atque intelligi posse affirmavit : quarum unam somnum statuit, alteram vero tempus illud, quod nostrum cujusque ortum antecessit. Et sane ita est, ut ex omnibus opinionibus, quarum errore duci vulgus solet, quum de morte loquitur, nulla plane ad veritatem videatur esse propensior. Ita enim multi vivunt, ut præsentibus bonis fruantur, nec sane cogitent, quid paucis post annis vel ipsis, vel ceteris boni, aut mali possit evenire. Itaque sæpe non opinatis morbis, perturbationibus, angoribus vexantur. Mortis vero, de qua potissimum cogitare debuerant, ita non reminiscuntur, ut ad se minimum illam pertinere, nec sua quidquam interesse existiment. Qui ut Panætius Africanum dicere solitum tradit, ferociores equos domitoribus tradendos esse, ut paullatim parere, seque mitiores ac molliores præbere incipiant : sic ipsi in gyrum fortitudinis ac patientiæ reducendi sunt, ne, si mors imprudentes oppresserit, perterreantur, planeque concidant. Sed nescio quo modo voluptate luxuque delinita hominum consuetudo de recta majorum vita deflexit, eoque sensim delata est, ut nihil minus, quam verum, agnoscat, nec, quum aliquid agitur, rectum id, necne sit, magnopere cogitet : qua nulla major pestis ac pernicies humanis rebus, valde jam labefactatis, potuit afferri. Atqui, si in ullo homine, certe in his ipsis vulgare dictum et verum, et acute cogitatum esse deprehenditur. Quid enim isti aliud agunt, nisi totos dies per inertiam perdunt, atque ita vivunt, ut stertere

Digitized by Google

potius, quam ullo pacto vivere videantur? Dormiens autem ut nihil sentit, nihil agit, nihil curat: sic mortuus quid agere, quid curare, aut sentire possit, haud sane intelligas. Itaque in fabulis, quos dii maxime adamarunt, eos, ne imminentem aliquam calamitatem sentire cogerentur, si vigilassent, a diis immortalibus consopitos esse accepimus. Mortem igitur, siquidem somno similis est, singulis noctibus induimus, et, quum in somno sensus sit plane nullus, nullum etiam in morte futurum esse sensum, verissime statuere debemus. Quod ut sensu ipso plane percipitur, sic ne de altero quidem dubitari ullo pacto potest, quin, quales ante, quam oriremur, fuimus, tales etiam mortui futuri simus. Mors enim quemadmodum ad eum, qui nondum ortus est, nihil pertinuit, sic ne ad eum quidem, qui mortuus est, ulla ratione pertinebit. Ad morientem vero vel nihil, vel parum certe pertinet: siquidem tam angusto spatio, tamque brevi curriculo coercetur, ut ne si velit quidem, vires suas nimium porrigere, aut explicare possit.

XXXI. Quæ est igitur eorum oratio, qui tantum in morte dolorem se timere atque expavescere dictitant? Quamquam non sane video, quo modo aliter facere possint: qui enim mortem numquam experti sint, quam semel homo subiturus est, quo modo, bona, malane sit, vere sentire ac dijudicare possunt? Morientes aiunt cruciari, angi, distorqueri. Quod in nonnullis fortasse animadverti atque observari potuit: in quo tum isti aliquid dixisse videri possent, si hoc ex ipso mortis sensu penderet. Nam, si mors ipsa dolore suo corpus usque eo cruciaret atque angeret, ut hæc doloris edere indicia cogeretur: negari profecto non posset, quin dolorem non levissimum mors ipsa esset allatura. Quum vero hujusmodi cruciatus paucissimos angat, et eos maxime, qui intemperanter, flagitiose, nefarie vixerint: nunc dubitari non potest, quin tales homines non mors, sed admissorum scelerum conscientia vexet, habeatque sollicitos. Qui enim se morituros numquam crediderint, ac ne

Digitized by Google

cogitarint quidem, quum ad ipsam mortem pervenerint, anguntur, non dolore moriendi, sed quod e vita inviti discedunt: in qua quum omnia secunda feliciaque experirentur, ne secus mortuis accidat, valde vereri ac dubitare coguntur. At bonis, qui mortem semper, tamquam præsentis tempestatis portum, in ore ac sermone habuerint, quique ex hujus vitæ procellis, mortis beneficio, aliquando egredi sæpissime concupiverint, nihil libentius ac jucundius mentione ac nomine mortis accidit. Atque in iis etiam præstans planeque admirandum deorum munus agnoscitur. Bonos enim, et quidem plurimos, non modo cum exiguo dolore, ut optáre homines vulgo solent, sed omnis plane doloris expertes ex hac vita egressos, sine ulla dubitatione reperias.

Ex quibus Q. Fabius consulatum adeptus, quum in curia prætereuntes salutaret, nihil dolens, nihil molesti sentiens, immo plane gaudens, e vita discessit. Atque idem contigit A. Pompeio, quum in æde Jovis Capitolini sacra fecisset, itemque Thalnæ consuli, diis immortalibus supplicanti. Quid hos in ipso mortis articulo doloris expertos existimes, qui paullo ante læti vivebant, et in eo, quo morierentur, puncto temporis, nihil lugubre testati sint, nihil flebile dixerint? Morte, inquies, oppressi sunt. At sapientissimi et optimi viri; quibus mortem, tamquam beatæ vitæ initium, dii immortales largiri voluerunt: quam eo fortasse jucundiorem ipsis fore videbant, quo minus eo tempore tantum boni exspectaverant, ac ne sperare quidem poterant. Nam quum mors e divina voluntate tota pendeat, haud sane in hominis potestate esse possit, quo potissimum die, quaque conditione mori velit. Nec verum est, quod dicitur a quibusdam, mortis eumdem omnibus hominibus diem ac terminum divinitus esse constitutum; ut autem vel citius, vel serius moriamur, singulorum hominum vel intemperantia, vel negligentia contingere. Nam, ut illud verissimum est, præfinitum esse vitæ terminum a Deo, quem præterire, aut

Digitized by Google

ex quo egredi nemini liceat : sic illud affirmare nemo possit, eumdem omnibus, eademque hora vitæ finem impendere. Quod si agnosceremus, nihil sane esset, cur homini prudentiam, temperantiam, pietatem tribueremus. Quæ omnes plane virtutes, si hoc consequeretur, non modo inutiles, sed penitus inanes viderentur. Cur enim prudentia uteretur homo, cur abstinentia, cur temperantia, si eodem, quo reliqui omnes, temporis spatio vitam esset terminaturus? Ut diutius, inquis, vitam producere liceret. At, si vitæ terminus fatalis est, nec immutari quidem posse necesse est. Sin voluntarius, et in hominis arbitrio positus, nihil est, cur, eumdem omnibus a Deo constitutum esse, quisquam affirmet. Sed de his statuat unusquisque, ut libet. Quid autem verius sit, Deus ipse viderit; hominem quidem scire arbitror neminem. Stet modo nobis illud, doloris esse nihil in morte; boni autem tantum ex ea ad homines permanare, quantum sperare multi possint, cogitatione quidem assequatur nemo. Itaque hoc divinitus hominibus datum est, ut quoties molesti aliquid experiantur, tum mortem exoptent, ac votis etiam conceptis sæpe implorent. Quid ita? quia bonam, utilemque esse mortem, coguntur agnoscere; malam autem, aut acerbam esse numquam posse, homini a natura insitum est. Itaque dolore perculsi mortem imploramus, eamque unam, ut miseriarum malorumque terminum, exoptamus.

XXXII. Admonet me locus ut, quum neminem ipsa morte magnopere commoveri debere probatum sit, iis præcipue dolendum nihil esse contendam, quos mors cum laude oppetita consolari potest. Satis enim diu vixisse putandi sunt, qui vitam honeste clauserunt : eosdemque e vita abeuntes non modo laus, sed etiam perpetua voluptas delectatioque prosequitur. Quæ sane eo major in animo exoriri ac vigere solet, quo latior alicujus in colendo officio, vitaque honeste ducenda manavit industria. Certe enim, quum ad recte agendum natus homo sit, ideoque mentis

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

et rationis munere præ ceteris animantibus ornatus atque instructus, unde potius laudem ac voluptatem, quam ab honestis actionibus, petat? An, unde ortum duxerit, obliviscatur? Ille vero nec sui oblitus est, qui recte vivit, nec iniquo animo mori potest, quum multos relinquat suæ testes memoresque virtutis. Quanto autem gaudio exsultare credendus est illorum animus, qui corporis admixtione solutus, in cælestes ignes, sempiternasque domos, unde exierat, revertit? Profecto enim ex divina mente delibatos habemus animos, qui hac mole inclusi, tamquam terræ gravitate, sic ipsi nimio pondere corporis opprimuntur; ubi autem soluti corporibus ad proprias sedes evolaverunt, tum vere vivunt, nec libidini, voluptati, dolori serviunt; sed sui compotes, nulla re anguntur, nihil requirunt, omnibus imperant. Recte igitur dictum est, corpus terram esse; mentem autem, ignem de cælo sumptum. Id quod clarorum virorum acta cum virtute vita, præclaræque actiones facile testantur. Quo modo enim aut omnia humanæ vitæ commoda comtemneret, aut voluptates cunctas pro nihilo duceret, aut vitam ipsam laudis honestatisque gratia profunderet, qui nihil quidquam ad se, præter hæc ipsa mortalia, quæ manibus contrectat, quæ terit pedibus, pertinere cogitaret? Verum hæc non ita se habent. Corpus enim e terra concretum, tamdiu terrestrium rerum amore ducitur, quoad in terram ipsam, unde ortum duxit, revertatur; animus vero, qui e cælo sumptus est, sempiternum quiddam, et cæleste appetit, nec iisdem, quibus corpus, finibus cogitationes coercet suas. Itaque numquam quiescere, nec vere vivere putandus est, quamdiu corpore conclusus, invitus propemodum mortali labe, terrenisque vinculis cohibetur. At illa quanti sunt, gravissimis vitæ laboribus liberari, in mediis doloribus et ærumnis obdormiscere, et quasi emissos e molestissima vitæ custodia, in jucundissimam suavissimamque domum remigrare? Huc enim pertinent, quæ de piorum quiete, deque voluptate illa, qua egressi e

Digitized by Google

vita perfrui dicuntur, disputari a sapientibus solent. Qui quum intelligerent, non fortuito, aut temere satos et creatos homines esse, nec eadem mereri bonos, qui multis exantlatis laboribus vitam in medio dolore amisissent, et improbos, quorum in patrandis flagitiis semper est animus, cogitatioque defixa; idcirco non eumdem probis et improbis vitæ terminum, nec eadem mortuis præmia statuerunt.

XXXIII. Qua nos recordatione potissimum refici ac recreari decet, qui carissimam filiam, optimeque de nobis meritam ita vixisse scimus, ut ad optimos mores, summamque prudentiam nihil posset accedere, et ita mortuam, ut in dolore, quem ex partu contraxerat, summam animi magnitudinem, summamque constantiam præstiterit. Cujus mentio nobis, dolore jam, si non penitus exstincto, certe magnopere levato, non solum acerba, sed etiam jucunda accidit. Qui enim aliter debet? quum nec ipsi quidquam accideret mali, nec ego ulla re, quæ tantopere cum natura congruat, et cum omnibus hominibus communicet, angi, aut perturbari debeam. Quid ergo mihi restat? Nihil sane, nisi, quum ea divino potissimum beneficio vitæ munere perfuncta sit, ut ad eam maxime vivendi conditionem cogitationem meam mentemque referam, qua nunc ipsam perfrui credimus, ac si, quod æquum est, fateri velimus, etiam intelligimus. Qua ex meditatione eo majorem voluptatem percepturus sum, quo meliore illa nunc statu, quam quem vivens experta est, sine ulla dubitatione perfruitur. Quid enim boni non merita est, quæ nihil umquam egit, ac ne cogitavit quidem mali, et iis angoribus ac malis, quæ viventi objecta sunt, ita patienter perfuncta sit, ut non secus de adversis, quam de secundis rebus, diis immortalibus gratulari, gratiasque agere soleret; et, quum nihil, nisi rectum honestumque cogitaret, tamen una conscientia contenta, nec sua benefacta in luce collocari, nec sibi quidquam propterea laudis, aut gloriæ deberi arbitraretur? Quæ ergo ita animata fuerit, ut de se quidem minimum, de

Digitized by Google

recta mente, ac de æquitate plurimum laboraret, an non diis ipsis censemus maxime gratam et probatam fuisse? in qua non ficta et adumbrata, ut in multis, sed maxime solida et expressa virtutis elucebat effigies. Nam, quum eam talem natura genuisset, ut quod pulchrum rectumque agnoscebat, sua sponte sequeretur: tamen eo non contenta, summa vi rationis prudentiæque perfecerat, ut nulla re minus, quam natura duce, egere videretur. Itaque qui ejus instituta et mores paullo diligentius inspexisset, qui regundæ familiæ solertiam, qui summum in cunctis rebus ingenium, singularemque doctrinam advertisset: haud fuisset sane, quod aut virilem in intelligendis judicandisque rebus prudentiam, aut exquisitam patris familias solertiam requîreret. Itaque quibus maxime rebus egere sæpe homines solemus, fortitudo et prudentia, hæ ita in muliere abundabant, ut sui mœroris medicinam non peteret foris, sed in se ipsam spectans, ex sua semper virtute penderet. Quanto autem graviores ac difficiliores animi morbi sunt, quam corporis, eo magis mirandum est, talem exstitisse illam, cujus fortitudini corporis mala parerent, prudentiæ vero omnes animi morbi facile cederent. Itaque quamquam ex calamitate temporibusque nostris molestiæ plurimum traxerit, numquam tamen animo perculsam aut dejectam sensimus. Angebatur patris exsilio, totiusque familiæ luctum, bonorumque direptionem invita videbat; sed matri tamen consilio prudentiaque aderat, et rebus in magnum sæpe discrimen adductis, reditus spem nobis afferre numquam dubitavit. Ita, quantum ex calamitate doloris, tantumdem ex filiæ suavitate ac pietate solatii capiebamus. Quod ut esset diuturnius, si commodum nostrum, aut eam, quæ omnibus antiquissima est, liberorum caritatem cogitaremus, magnopere optare debuimus. At, quum illam corporis vinculis solutam, omnibus exutam miseriis, et immortalitatis compotem factam, animo reputamus, non modo in dolore conquiescimus, sed etiam præcipue lætamur. Quid enim

www.hbook.com.cn

Digitized by Google

mihi accidere lætius potest, de immortalitate animorum cogitanti, quam de filiæ simul æterna beataque vita confidere? Animos enim esse immortales, ne dubitandum mihi quidem videtur.

XXXIV. Faciam autem non invitus, ut sapientissimorum hominum percurram hac de re sententiam, quando me in hunc locum deduxit oratio. Neque vero hæc ita disputanda censeo, ut animos idcirco non interire probari possit, quod mortuorum corporibus vis quædam inesse veneratione digna putetur, quæ significare debeat, non deleri morte animos, sed immortalium animorum, veluti sepulcra quædam, mortalia corpora fuisse. Quasi non et majora, et firmiora multa suppetant, quibus planum fieri possit, qui animos simul cum corporibus interire contendat, eum contra rationem, nulla nixum ratione, pugnare. Quod si auctoritas quærenda sit, quem graviorem nominare auctorem possum, quam eum, quem Apollo ipse sapientissimum omnium pronuntiavit? cujus testimonium tale fuit, ut divinos esse hominum animos, et eos, corpore solutos, in cælum remigrare, unde prius venissent, in omni sermone asseveraret. In quo cum philosophis illis consensit, quos quondam Italicos nominavit antiquitas, maximeque nobiles judicavit: quorum semper constans fuit opinio, demitti animos e cælo, divinæque mentis eos esse non solum munus, sed etiam partem præcipuam ac propriam.

Quod si secus esse quisquam putet, haud sane facile, quid multis et firmissimis in hanc sententiam argumentis respondere possit, inveniet. Sic enim plane cognosci, ac sensu ipso dijudicari potest: summam esse pæneque incredibilem in animis celeritatem ac festinationem, cujus ope, quæ corpus non modo certo mensium, sed vix etiam annorum spatio perficere atque exsequi posset, ea ipsi non modo semel puncto temporis percurrere, sed etiam sæpius excogitare et repetere facillime queant. Quod si mirum videtur, cur non admirabilius censeatur, meminisse animum

Digitized by Google

tam multa, innumerabilibus ante sæculis gesta; quæ futura sunt, cogitando prospicere, ac non modo præsentia, sed etiam præterita et futura, veluti Deum, omnia complecti, ac sub oculos subjicere conari? Quis dubitet, quum hæc intelligat, eademque in se ipso agnoscat, divinum esse animum, nec, si divina æterna sunt, ipsum esse mortalem? quum præsertim, duabus ex rebus, quæ præcipuæ in animo sunt, illius æterna natura facile intelligi ac deprehendi possit. Hæc autem sunt, motus, qui in eo præcipuus est, principium ac perpetuitas. Quum enim ex se ipso moveatur, nec aliunde, ut cetera, principium motus mutuetur; summa autem in eo, quamdiu in corpore est, perpetuitas motus appareat, quippe quæ etiam in dormientibus agnoscatur et vigeat: idcirco dubitari nullo modo potest, quin divinus sit et sempiternus futurus. Et sane ita esse ratio vincit, et rerum probat exitus.

XXXV. Dei enim imago quædam animus est, ex ipso Deo delibata ac protecta. Quod si Deus immortalitate fruitur, cur eam partem, quam ex se ipso sumpsit, mortalem esse velit? Quin hoc ipso singularem et eximiam divinam esse vim indicandum putavit, quod non solum ipse immortalis sit, sed etiam, quos velit, suæ naturæ compotes, et plane immortales efficiat. Corpus autem voluit esse mortale: nec immerito; quum e terra, cujus mutationi subjecta natura est, initium duxerit, et in eam ipsam, vitæ cursu confecto, abire debeat. Sed animus, profectus a Deo, cælum ipsum appetit: nam in eum locum, unde discessit, semper optat redire. Terra autem, si cui appetenda, corpori soli est. At vero animis æterna cæli sedes quærenda, eaque propria illorum patria: siquidem animorum nulla in terris origo inveniri potest. Nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur. Nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat; quod et præterita re-

Digitized by Google

neat, et futura prævideat, et complecti possit præsentia. Quæ sola divina sunt; nec invenietur umquam, unde ad hominem venire possint, nisi a Deo. Singularis est igitur quædam natura, atque vis animi, sejuncta ab his usitatis, notisque naturis. Ita quidquid est illud, quod sapit, quod vult, quod viget, cæleste et divinum est, ob eamque rem æternum sit, necesse est. Nec vero Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens, et movens, ipsaque prædita motu sempiterno. Itaque eamdem æternitatem animis quoque nostris, ex se ipsa exortis, impartivit. Quorum ex cogitationibus atque operibus nihil aliud, nisi divinos esse illos et sempiternos, colligere possumus. Nam si ædificiorum magnitudinem atque ornatum, si monumenta literarum, si pecuniæ vim infinitam in res maxime stabiles et admirandas effusam, si plurimarum maximarumque rerum adeptionem cogitare voluerimus, profecto intelligemus, hæc numquam facturum fuisse hominem, nisi diuturnitatem temporis, ipsamque æternitatem plurimum ad se pertinere existimaret. Jam ipsa gloriæ cupiditas, honorum sitis, opum ac divitiarum assidua procuratio, quid aliud indicat, nisi cogitare hominem in posterum, nec eodem vescendi vivendique studio, quo ceteras animantes duci videmus, humanum animum detineri. Sed hæc abjectiora atque humiliora, nec ullis, nisi sane angustis naturæ terminis, circumscripta. Quid illa in primis gravia atque præstantia, nec ulli plane in terris degenti, nisi soli homini tributa? contemplatorem esse ipsum cæli, rerumque cælestium; frui magnarum obscurissimarumque rerum scientia, quæ vel ad excolendos, ad integritatem atque innocentiam mores, vel ad comparandam solis astrorumque cognitionem, vel ad exercendam in abditis obscurisque rebus memoriam mentemque pertineant. Nonne hæc ipsa tanta, ac talia, divinum esse animum ostendunt, nec illius naturam aliunde, quam e cælo, delibatam ac deductam?

Digitized by Google

XXXVI. An censemus, si una cum corporibus animi interirent, aut sapientissimos homines tam æquo animo mori posse, aut tam iniquo planeque invito stultos et fatuos? Socratem ferunt, morti proximum, de piorum immortalitate, beataque vita, quæ mortem consequitur, disputavisse, itaque læto ac libenti animo lethale illud poculum hausisse, quasi non ad mortem, sed ad regnum atque imperium vocaretur. At vero, quorum animus in terra defixus hæret; qui nihil, nisi mortale, terrenumque, cogitant, eos plane repugnantes atque invitos e vita discedere videmus: nec immerito; quum animorum æternitatem propius jam intuentes, crucientur mirum in modum, quasi flagitiose actam vitam pœna etiam sit immortalis consequutura. Atque illud etiam (o stultum hominem, dixerit aliquis, et naturæ suæ penitus ignarum!) nemini obscurum esse potest, ex ipsis etiam sacris cærimoniisque majorum æternam hominis vitam facile cognosci atque intelligi posse. Neque enim illi aut mortuos tanto honore coluissent, aut tam multas tamque varias sepulcrorum cærimonias posteris tradidissent, nisi cognitum perspectumque habuissent, vigere animum in morte, nec, quamquam corpus occidat, hominem ipsum penitus evanescere. Itaque statuisse videntur, mortem ipsam non esse humanæ vitæ confectricem, nec ex ea sequi interitum; sed potius ad aliam multo feliciorem vitam iis, qui recte vixissent, ducem optimam solere exsistere. Quicumque enim convenienter naturæ vixerint, nec illam sequuti sint malæ consuetudinis corruptelam, quæ divinitus datos igniculos exstinguit, vitiaque gignit et confirmat omnia, eos et viventes gloria, et e vita excedentes præmiis prosequi oportet. Id enim non solum rationi consentaneum, sed etiam verissimum atque æquissimum est. Cui autem æquitatis antiquior cura, quam Deo?

Itaque, quum homo solus ex omni propemodum genere nactus sit aliquam notitiam Dei, nisi vitæ iniquitate Deo iniquus atque invisus evaserit, ad Deum certe evolabit. Id-

Digitized by Google

que æternitatis humanæ vel maximum ac firmissimum argumentum est, solum hominem divinæ voluntatis participem consciumque exsistere ; ut, quamquam agrestibus silvestribusque in locis natus sit, tamen, ipsa docente natura, et esse Deum, et colendum ac verendum esse, dubitare non possit. « O rem dignam, in qua non modo homines, sed ipsas etiam pecudes obstupescere, ac, si fieri possit, etiam erubescere oporteat ! cognatum esse hominem Deo ; nullum aliud in terris animal, nisi hominem solum, Dei cognitione imbutum esse; nec quidquam esse aliud, quod animo, e divina mente hausto, præditum sit : tantamque inesse homini cæcitatem atque socordiam, ut divinæ cognationis immemor, aversetur migrationem ad Deum? Nec enim aliud esse mors, quam migratio ad cælestes superasque sedes, existimanda est : nec id solum ratione quadam æquitati veritatique consentanea, sed etiam sapientissimorum hominum maxime firmo stabilique consensu.

XXXVII. Atqui eum, qui hoc pacto vivere, ac pæne a se ipso dissentire velit, meminisse certe oportuit, terram ipsam, omniaque, quæ sub cælo sunt, divina voluntate regi, proptereaque quiddam nobis, quod observandum et addiscendum videatur, præscribere. Quis ergo terram ipsam, aut quotannis feracem, aut semper optimas fruges, et numquam malas inutilesque herbas edentem efferentemque vidit? quis animalia semper uberes fœtus edidisse, numquam sterilitatem passa esse, recordabitur? Quod si hæc ipsa secus se habent, nihilque in rebus humanis perpetuo firmum, ejusdemque naturæ optare licet : cur, quam in omnibus et rebus, et animantibus vicissitudinem cernimus, eam ab homine sejungamus? Qui si multos annos feliciter vixerit; si sobolem, honores, opes assequutus, diu tantis bonis frui potuerit : præclare secum esse actum vere dixerit. Sed adversi tamen aliquid subeundum perferendumque relinquetur : demum oppetenda mors erit, quæ eo levior esse debet, quod omnibus communis est, nec cuiquam singularis, aut

Digitized by Google

præcipua. Sed hoc quoque gratior, quod nos a multis erroribus abstrahit, quibus, quoad vivimus, in tanta opinionum varietate, assiduaque veri inquisitione perturbari sæpe solemus, et ad ipsam cernendam fruendamque veritatem jucunde traducit. Quo nihil beatius homini posse contingere, satis, ut arbitror, ex eo suspicari possumus, quod innata est homini cupiditas scientiæ : ejus autem præstantia non sane video, qua alia in re, nisi in perfecta veritatis cognitione posita sit. Ex quo fit, ut veritatis cognitionem assequuti, perfecta absolutaque scientia potiamur; vereque dici potest, qui veritatem intueatur, sensuque percipiat, eum voti sui compotem, vereque beatum esse.

Quod si beata vita quærenda nobis est, nec quidquam fugiendum magis, quam ne miseriarum gravitate premamur : quid illo homine stultius, aut stolidius reperiri potest, qui ceterorum morte ita angitur, ut, beatæ vitæ oblitus, miseram atque infelicem consectetur? Profecto enim ita se res habet, ut, nisi mortis dolorisque timore liberatus sit, etiam si multas cognitas perceptasque virtutes habeat, rectumque et æquum omni plane utilitati anteponat, beatus tamen esse nemo possit. Quid enim aliud dolor est, nisi cruciatus animi, isque perpetuus? quid aliud timor, nisi assiduus invisarum ac molestarum rerum metus? At quo modo felix, aut beatus esse poterit, qui assiduo cruciatu metuque urgebitur? quin eo miserior atque infelicior existimari debet, quod non solum sibi ipsi molestiam miseriamque comparabit, sed in ceterorum etiam sermonem ac vituperationem incurret. Nihil enim nimio dolore deformius, nihil a viro alienius. Et, si corporis pravitatibus vituperatio proposita est, vitiis ipsis, quibus laborat animus, nihil turpitudinis, nihil inuretur infamiæ? Illa vero et graviora sunt, et majori animadversione vindicanda, quo nobiliorem, quam corpus est, sedem, nempe animum ipsum, occupaverunt. Quod si turpis dolor nimius, et vituperatione dignus, certe illud consequetur, ut, qui nimio dolori

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

se ipsum tradat, ne laude quidem ulla dignus censeatur. Est enim series quædam maxime veritati consentanea, ut sententiarum, sic rerum; et quemadmodum in sermone, disputationeque nostra nectitur aliud ex alio, ita qui se una aliqua vel deformitate, vel turpitudine implicari patitur, multis statim miseriis ac deformitatibus opprimetur.

www.libtool.com.cn

XXXVIII. Nec vero credi velim, me, quia dolori nimio repugnem, idcirco dolorem omni ex parte improbare, omnesque illius ex animo fibras evellendas existimare. Est enim, quatenus homo doleat, et (quod prudenter a Crantore dictum est), sive secetur pars aliqua corporis, sive avellatur, sensus tamen adesse debet. Istuc enim nihil dolere, fieri non potest, quin, quemadmodum feritatem corporis quamdam, sic animi stuporem maximum indicet. Sed nimirum illud est, quod improbamus, dolori nos ipsos ita tradere, ut in aliam fortasse graviorem ex alia parte vituperationem incidamus. Nam quemadmodum, qui nihil prorsus doleat, desciscere videatur ab hominis natura, quæ, morte perculsa, dolorem ac luctum aliquo modo indicare cogitur: ita, qui dolori nimis indulgeat, humanæ naturæ penitus oblivisci, communemque omnium conditionem recusare judicabitur. Quibus rebus intelligitur, graviter peccare homines, quum vel ea, quæ omnibus perferenda subeundaque sunt, detrectare audent, vel, quid ipsos in vita deceat, quæque sequi, aut refugere debeant, non cernunt satis.

Quod proprium prudentiæ munus est: quam humanarum actionum moderatricem a diis immortalibus esse constitutam, infitiari nemo potest. Atqui huic tam præclaro divinoque muneri plane obsistit, qui nimio dolore ducitur. Non modo enim se ipsum sine ullo fructu lacrymis ac tristitiæ tradit, sed etiam omni plane consilio ac judicio vacat. Ubi enim ratio, si se dolore auferri sinat? ubi constantia, si sibi ipse repugnet, et in mœrore jaceat? ubi denique humanitas, si, se hominem esse oblitus, nihil sibi cum morte commune esse contendat? Jam vero illud stultissimum,

Digitized by Google

existimare, quæ ceteri homines libenti animo subeant, iis se non esse obstrictum. Quid enim? an ignorare quisquam potest, quanta inter homines cognatio sit, quantaque similitudo? Etenim, nisi hoc verum fateremur, causæ nihil esset, cur homo hominem consilio, re, gratia juvaret, ab hostium impetu ac læsione defenderet. Quod contra videmus accidere: ut, qui ab his actionibus avertat animum, non modo in vulgus improbetur, sed etiam inhumanitatis ac feritatis accusetur. Certe enim non e marmore sculpti, aut e robore dolati sumus: est in nobis quiddam, quod pietate misericordiaque moveatur, nec exstingui sinat illam, qua diis proximi sumus, juvandi ac benefaciendi voluntatem. Itaque insitum homini, atque innatum videtur, ut, quoties alium hominem, quamvis alienum, premi calamitate atque ærumna videat, crucietur animo, nec, si facultas suppetat, dimittendam putet illius sublevandi occasionem. Quam enim ipse, si eo loco esset, benignitatem sibi impartiri optaret, ea ut in alium utatur, natura tacita quadam voce monere ac præcipere videtur. Quæ igitur sibi evenire posse dubitet, ea, si contingant, cur angi ac perturbari velit? aut, cur non potius humana illa esse, et omnibus hominibus proclivia, fateatur? Quanto rectius ille, qui hominem se agnoscit, nihilque humani a se alienum putat? Itaque quum hanc ex animis nostris opinionem, mala omnia non esse humana, veluti immitem quamdam et immanem belluam, extraxerimus, profecto minus misere, minusque sollicite vivemus. Relinquetur enim illa cogitatio, quæcumque accidant, fortiter ferenda esse, nihilque posse homini evenire, quo funditus prosternatur. Idque ita erit, si nobismet ipsis non assentabimur, sed veritatem, qua nihil præclarius, præstabilius, uberius esse potest, toto pectore amplectemur. Hæc enim illa est, quam assequuti, meliores multo efficimur, et ad perferenda incommoda, præclaraque peragenda alacriores: quum nihil, nisi quod rectum et æquum est, laudabile arbitramur, nihilque aliud, nisi egregia illa,

Digitized by Google

ex quibus vera gloria nascitur, expetimus. Ac mihi videor nimis etiam nunc anguste atque exiliter agere. Qui enim latior objici campus queat, in quo fidentius atque alacrius exsultare possit oratio? Sed faciam impudenter, si medicinam deserens animorum, quam ex omnibus maxime utilem esse intelligo, ad meam unius delectationem sermonem omnem mentemque convertam.

XXXIX. Dolorem igitur nimis acrem ac diuturnum fugiendum diximus. Et quidem probabiliter: quum ex eo mala multa, maximeque gravia soleant exoriri; contra vero nihil boni. Neque enim dolor ex illis rebus est, in quibus vel ad probandum, vel ad vituperandum, multa et magna contrariarum rationum paria momenta agnoscantur. Hoc enim si accideret, agerem verecundius, neque me in eum locum demitterem, unde nullum plane exitum viderem. Sed, quoniam hæc ita se habent, contendo, vincendum esse animum, dolorique acriter obsistendum. Sive enim nosmet ipsos, sive vulgi opinionem cogitemus, id nobis sine ulla dubitatione faciendum est. At, si ad mortuos ipsos animum traducamus, qui possumus existimare, gratum illis fore, quod nimio dolore cruciemur? præsertim quum ex eo nihil ad illos utilitatis, sed permultum ad nos dedecoris atque incommodi permanet. Quid igitur eos ipsos a nobis optare atque expetere arbitremur? Nihil sane, nisi ut eos illustri memoria ac recordatione decoremus.

Nemo me lacrymis decoret,

ait Ennius; cur? quia

Volito vivu' per ora virum.

Quid igitur est causæ, cur fletum lacrymasque recuset? Nimirum ea gloria, quam se adhuc viventem assequutum esse confidebat. Eamdem igitur ob causam nostrum quoque luctum mortuis ingratum molestumque fore suspicemur, nec aliud eos a nobis quidquam flagitare credamus, quam, ut id ipsum illis, quo maxime delectamur, tribuamus. Hæc autem gloria est, et assidua illorum virtutis recordatio.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

Quam si sermone, laudationeque nostra immortalem efficere liceat, hoc uno de mortuis nos vel optime meritos existimare possemus. Quid, quod eum, qui sic doleat, ut recreari confirmarique non possit, ne divinum quidem numen horrere, sapientissimi homines prodiderunt? Impium autem est, quibus debemus omnia, iis pessimam referre gratiam. Contra vero, qui deorum voluntati paruerunt, nihilque se, quod ab illis ultro daretur, moleste ferre declaraverunt, eos non solum viventes præcipua laude ornavit antiquitas, sed etiam e vita egressos perpetuo coluit honore. Idque eo studiosius ac libentius, si quos intellexit cum deorum cultu exercitationem virtutis, et præcipuam in mortales beneficentiam, conjunxisse. Scite profecto, ut cetera ferme omnia: quid enim majori laude dignum ex omnibus rebus humanis commemorare possimus, quam eum, qui vitam ducat cum virtute conjunctam, ad deorum cultum atque honorem, perpetuum in homines studium ac pietatem aggregare? nec quidquam tantulum modo in ejus animo exsistere, quod non vel pietati, vel humanitati, vel denique virtuti sit consentaneum?

XL. Nec aliam sane ob causam perturbari omnem vitam errore inscitiaque videmus, nisi quod, quæ in hominis vita præcipua esse deberent, pietas erga deos, in homines beneficentia, virtus in ingeniis ac moribus, ea fere omnia negliguntur. Eademque ratione, quæ maxime vitare deberemus, ea studiose expetimus, cæcoque impetu ferimur ad illa, quibus vita nostra plane fera atque immanis efficitur. Ex hoc fonte cupiditates insatiabiles exoriuntur, quibus non modo singulos homines, sed totas familias, et universas funditus eversas civitates videmus; præterea seditiones, insidiæ, discordiæ, rerumque et hominum clades et interitus; ex his etiam incredibiles dolores emanant, quibus perturbari vitam, neque solum insuavem, sed acerbissimam effici necesse est. Quod contra probis, virtutemque amantibus accidit. Nam divinæ voluntati obtemperantes, nihil

Digitized by Google

in se ipsis, sed in ea se ipsos ac sua ponunt et locant omnia : neminem lædunt; omnes liberalitate, benignitate, caritate amplectuntur; nulla re cruciantur; nihil appetunt, omnium vitiorum fracto impetu, cupiditatumque radicibus ex animo penitus evulsis. Nempe igitur eos, qui ita vixerunt, ut sibi jucundi, diis grati, hominibus fructuosissimi exstiterint, divinis honoribus jure dignos majores nostri censuerunt; eosque cum diis immortalibus ævum agere sapientissimus poeta non immerito cecinit. Nec tamen idcirco, quod eorum corpora in cælum perlata credere sapienter quisquam possit; quod quia natura non patitur, ut, quod e terra est, alibi, quam in terra maneat, ne credi quidem debeat, necesse est : sed, quod eorum animi, tamquam hominum de diis immortalibus, humanoque genere optime meritorum, in cælum putentur elati. Quod de Romulo, urbis nostræ conditore, memoriæ proditum accepimus : quem singulare in genus hominum collatum munus tam præclaræ urbis condendæ, in deorum numero collocavit. Idque eo tempore, quo literis et doctrinis homines exculti facile fictum a germano, verum a falso secernebant: ut credi non possit, quidquam illis persuaderi potuisse, quod ullam ficti aut falsi imaginem præ se ferret. Sed, quod ille mortalis eximia virtutis ac beneficentiæ gloria consequutus est, ut non solum immortalis, sed deus judicaretur : id ipsum aliis etiam tributum esse, ut inter deos recepti putarentur, quum excessissent e vita, annales veterum loquuntur. Quod et apud Græcos prius contigit, et inde fortasse ad nostros permanavit. Nam et Hercules, et Liber, fratres Tyndaridæ, et feminæ plurimæ, quibus nunc inter deos locus esse præcipuus creditur, et hominibus nati, et homines fuerunt. Sed, quod virtute præstiterunt, et ut ceteris ad recte vivendum, beneque merendum prælucerent, laboraverunt, ideo eos hominum fama, beneficiorum memor, in consessu concilioque cælestium collocavit. Atque ipsos, quos vocamus majorum gentium deos, alios-

www.ibtool.com.cn

Digitized by Google

que quam plurimos, quos in deorum numerum retulimus, hinc a nobis egressos, et in cælum profectos, facillimum erit agnoscere. Maximum vero argumentum est, quod de illis credimus, id esse verissimum, quod et tantus tot sæculorum doctissimorumque hominum consensus, veritatis vox ipsa esse videtur, et quod tantæ, tamque præclaræ virtuti, quem alium vere congruentem locum tribuere oporteat, non sane reperies.

XLI. Quis est autem tam demens, ut, quos innocentia, liberalitate, et singulari quadam ac præcipua virtute diis proximos intelligat, iis sejunctum a diis tribuendum locum censeat? et, quum hominis animus terrena respuat, ad supera semper feratur: qui non solum tacito naturæ impulsu, sed voluntate, reque ipsa, ut quam maxime cælestibus similes essent, præstiterunt, eos licebitne cælo esse privatos? Mihi vero eo justius in cælo collocati videntur, quo clarior eorum inter homines vel eluxit liberalitas, vel virtus enituit. Quis enim Hercule fortior? quis prudentior? quis ab omni cupiditate remotior? quos ille labores, ut fortiter ageret, et hominibus prodesset, suscepit et pertulit? aut quid non doloris et calamitatis exhausit? Quis ergo hunc cælo excludi patiatur, quum ejus virtuti sempiterna gloria, et laudis patuerit immortalitas? Eademque ceterorum conditio est; quorum alius alio genere virtutis, omnes summis et singularibus vel in ipsos deos, vel in homines meritis præstiterunt. Itaque tam egregiis eximiisque factis non infixas plumbo statuas, non arescentes triumphorum coronas satis diuturna persolvere posse præmia judicatum est; sed florentiora stabilioraque munera quæsita sunt, quibus ornarentur ii, qui virtutem, honestatem, gloriam, otio, libidini, voluptati, vitæ denique prætulissent. Tamque id æquum est, quamd illud decorum, maximeque probandum, non easdem improbis sedes, quas bonis atque integris, post mortem esse propositas. Intellexerunt enim ex majoribus nostris complures, qui sapientia præstiterunt, quum in diis

Digitized by Google

æquitas præcipue vigeat, eaque in eorum gubernatione appareat maxime, fieri non posse, quin nequitiam sceleraque aversentur, quique ea in vita exercuerunt, eos a se ipsis longissime sejungant. Quod in vulgus edi, verumque existimari, non modo rationi conveniens, sed utile quoque in primis est futurum. Nam, si quid in hominum animis pietatis, si quid religionis inerit, certe ob hanc potissimum causam se a flagitiis ac facinoribus abstinebunt, quod impios ac nefarios homines a deorum concilio ac societate arceri judicabunt. Nec enim omnibus iidem illi sapientes arbitrati sunt eumdem cursum in cælum patere : nam vitiis et sceleribus contaminatos, deprimi in tenebras, atque in cœno jacere docuerunt; castos autem animos, puros, integros, incorruptos, bonis etiam studiis atque artibus expolitos, leni quodam ac facili lapsu ad deos, id est, ad naturam sui similem, pervolare.

XLII. Quod si ita est, certe nobis, quantum conniti animo possumus, quantum diligentia consequi, contendendum atque elaborandum est, ut ne ab iis segregemur, quorum est proprium vita frui sempiterna ac beata. Quod efficere qui voluerit (omnes autem velle debebunt, qui se ipsos diligere, convenienterque naturæ volent vivere), numquam committet, ut, quæ ceteris exitiosa fore crediderit, ea ipse persequatur. Neque enim in spem venire poterit, aut ignoraturos esse deos, quæ ipse agat, quum divinam naturam nihil præterire credibile sit, aut illa probaturos, a quibus non modo dii, sed etiam sani homines abhorreant. Quid enim turpius libidine? quid tetrius avaritia? quid detestabilius crudelitate? Quæ quamvis in hominibus aliquando exsistant, tamen ab hominis natura tam aliena sunt, quam humanum illud erit, si omnia nobis bona, omniaque commoda expetamus. Atque in hoc comprimendæ sunt cupiditates, quibus trahimur persæpe ad ea, quæ virtuti adversantur. Quod facillime perficiet, qui tam gloriosi facinoris exitum secum ipse assidue cogitabit.

Digitized by Google

Tantaque est hujus cogitationis suavitas, ut, quod libenter alacriterque agimus, etiam sine labore peragamus: idque in præstantibus laudisque appetentibus hominibus facile cernitur. Quorum tanta esse solet vel in obeundis prælis, vel in agendis causis, vel in contentionibus pro republica suscipiendis alacritas, tantaque virtus, ut, quod in iis rebus periculi, aut laboris est, aut non sentiant, aut pro nihilo ducant. Magnum enim est contendentis, et ad gloriam anhelantis animi fomentum, magnum solatium, spes futuræ ac propinquæ sive utilitatis, sive gloriæ. Neque id solum in magnis, sed etiam in levioribus laboribus ac studiis. Quos enim cursus, quos venatio delectat, eos quamvis de via fessos, ac pæne exanimes videas, numquam tamen minus alacres, minusque concitatos animadvertas. Jam honorum cupiditas, quid non in nostra civitate laboris, quid non sollicitudinis negotiique facessit? Quotus tamen quisque est, qui se vel labore defatigatum, vel prensationis molestia, curaque confectum audeat dicere? Sic, quorum oculos virtutis splendor occupavit, gloriæque studium animos delenivit, ii nec laborem sentiunt, et, si tantus est, ut aliquando erumpat, eo tamen non magnopere moventur: toti enim in eo sunt, ut prosint patriæ, immortalemque sibi nominis memoriam comparent. Quam si quis negligendam ducat, omnemque hominis felicitatem recte factorum conscientia metiri velit, is certe divinos honores, qui claris viris tribui consueverunt, numquam negliget. Etenim de diis ipsis, qui eosdem sibi honores adsciverunt, pessime judicasse videretur. Tanta autem eorum, qui hujusmodi consuetudine delectati sunt, et sapientia, et æquitas agnoscitur, ut dubitari non possit, quin, ipsi quod egerunt, a certa ratione proficiscatur. Quales numerare Lacedæmonas possumus, clarissimos et fortissimos viros, qui cives suos, mortem pro patria obeuntes, divinis honoribus afficere solebant. Quid vero illæ omnis plane doctrinæ omnisque sapientiæ parentes Athenæ? nonne Codrum regem suum,

Digitized by Google

ob pietatem in patriam, meritaque illa, quibus excelluit, magno consensu in deos retulerunt? Atque haud scio, an recte senserint viri doctissimi, quorum ea fuit opinio, viros claros et fortes idcirco deorum immortalium honore consecratos, ut incitaretur virtus acrius, et acuerentur vehementius ad obeunda pericula, qui patriæ amore studioque tenebantur. Vera enim virtutis merces gloria est; nec quidquam est aliud, quo magis ad recte honesteque agendum præstantis animi homines incendantur. Quod optime agnovit, ac diutissime retinuit, omnium literarum præclara custos et altrix Græcia: quæ multos habet virtutis gratia factos ex hominibus deos, quorum alios fatentur novos; alios multis jam sæculis receptos in cælum, consecratosque contendunt; quam multi autem sint, qui reconditas eorum scrutantur literas, nosse fortasse possunt.

XLIII. Neque vero hæc a me ideo copiosius disputantur, quod eos temere, neque satis considerate tam multos consecratos esse credi velim, quum eos ipse quoque venerer, deorumque loco habendos putem; sed potius, quum tot apud omnes pæne gentes immortalitate divinisque honoribus affecti reperiantur, ut exacuam bonorum mentes ad ea promerenda, quæ sapientium judicio ducuntur amplissima. Nihil enim præstantius aut beatius accidere homini potest, quam eo loco donari, in quem ut adscenderent urbis nostræ conditores, nullum periculum, nullum laborem, nullum denique certamen prætermiserunt. Ac, si privatæ utilitatis et commodi habenda ratio est, nullam aliam expetere, aut optare vir sapiens et eruditus, præter hanc unam, debet. Templa vero publice vota et dedicata, quantum in vulgus dignitatis, quantum habent gloriæ? quum omnes, qui deos illos, quibus templa voventur, publice colunt, fateri cogantur, et fuisse homines, et ad deos, divinosque honores, una virtute fretos, adscendisse. Nec mirandum est, deos illos publice coli, eorumque delubra et templa auguste sancteque exornari, qui vel patribus nati

Digitized by Google

sunt diis, vel matribus. Nam, quemadmodum eorum cultus et sanctus, et religiosus est, maximeque pietati atque æquitati consentaneus : sic admirationis, aut dubitationis nihil habet. Totus enim ex natura oritur : ut jure ipso naturæ, qui deo satus, vel dea editus procreatusque sit, deus esse debeat. At vero, qui homine patre, vel mortali matre natus est, hunc esse deum, et magnum quiddam videri potest, et dubitandi occasionem, nec fortasse ineptam, multis afferre solet. Non enim, si eximius talium virorum virtuti tribuatur honos, quin id jure fiat, aut dubitare, aut negare quisquam potest; sed, quod tantam virtutis esse vim velimus, ut vel natura ipsa ejus unius ope immutetur, hoc illud est, de quo quærere doctiores viri non immerito soleant. Quibus ita responsum est, non immutari virtute naturam ; nec enim id, sine prioris naturæ corruptione, posse evenire; sed, eadem in illis manente natura, evolare animum ad deos, et in eorum adscribi conciliuin, quum immortalis sit et immortalitatis divinæ particeps; corpus autem, suapte natura mortale, manere in terra, quodque terrenum est, nullo pacto suam exuere posse naturam, ut alienam induat.

XLIV. Quamvis enim hæc ipsa quæstio perobscura videri soleat, nec omnino proclives, aut faciles habeat explicatus : tamen, nisi auctoritatibus contra rationem pugnetur, non incommode, opinor, a nobis exposita censeri potest. Et quoniam, quæ in hoc genere præcipua, cognituque digna sunt, persequimur omnia (volumus quidem certe), prætereundum non est, quales, quamque multæ virtutes, erudiendorum hominum gratia, sint honore deorum immortalium consecratæ. Cujus rei finis est, publica utilitas : ut, quo honore virtutes ipsas decoratas videant, eumdem se consequuturos esse homines sperent, si iisdem virtutibus excellant; quo in genere multum boni est in imitatione. Libenter enim ea imitantur et persequuntur multi, ex quibus alios illa eadem, quæ ipsi appetunt, consequutos vident; atque ex eo plerumque accidit, ut multis in rebus, quas

Digitized by Google

antea ne cogitaverant quidem, quum ad clarorum virorum imitationem se contulerint, multorum vigeat industria. Quæ quum paullo manavit latius, quantos progressus, quantaque acquirat incrementa, nihil necesse arbitror commemorare. Constat enim inter omnes, quæ præclara ducuntur, ea fere omnia a tenuibus initiis sumpsisse exordium: quod paullatim, imitatione progrediente confirmatum, ita increbruit, ut ne augeri quidem, aut exaggerari magis posset. Quod si ulla in re gratum nobis atque optatum esse debet, certe in complectendis provehendisque virtutibus non video quid esse possit optatius. Siquidem ex his informatio pendet educatioque vitæ: quæ quum recte instituitur atque excolitur, incredibile dictu est, quantos, quamque uberes justitiæ, integritatis, omnisque amplissimæ laudis fructus afferat.

Sed, quum virtutes multæ merito colantur, quod et ipsæ cultu dignæ sint, et multæ ab iis ad universum genus hominum utilitates proveniant: quid sit, cur bestiæ quoque ipsæ ab Ægyptiis ferme omnes consecratæ sint, scire sane velim. Sit piscis in cultu, ac deorum opinione apud Syros, homines nec tanta ingenii acie præditos, nec tantis doctrinarum præsidiis instructos, ut, hæc inepta ridiculaque esse, possint agnoscere. Ægyptii vero, omnibus affluentes eruditionis et scientiæ laudibus, quo modo in tam inanem, tamque absurdam delabi opinionem potuerint, equidem intelligere vix possum. Quid enim? an boves, canes, lupos, feles, pisces in deorum numero habebimus? et quas nobis natura præsidii auxiliique causa animantes genuit, eas per inscitiam deos judicabimus? quibus nihil fœdius, obscœnius, lutulentius, ne natura quidem ipsa viderit. Etiamne animalium monstra illa, a quibus hominum generi præcipua incommoda inferuntur, crocodilos, aspidas, serpentes, ceteras feras et immanes belluas in deorum numerum referemus? Quid erit aliud, naturam invertere, et ima summis, summa infimis commutare? et quum tantam in his

Digitized by Google

imperitiam barbariamque agnoscamus, tamenne ista penitus inania pertinaciter defendemus? Eademque inscitia cepas, allia, fructus ceteros, qui oriuntur e terra, in deorum numero reposuit Ægyptus. Quæ haud scio, cur longiori oratione refellere sit necesse : incredibilis est enim eorum absurditas, ut nulla esse possit aut pertinacia, aut imperitia tanta, quæ non ista aspernetur atque refugiat. Imbres autem, nimbi, procellæ si a nostris consecratæ sunt, id antiquissimis populi romani ritibus ac cærimoniis receptum et confirmatum est : quæ tolli, aut perturbari, quum et satis firma ratione nitantur, et usu jam ipso confirmata et approbata sint, sine nefario scelere non possunt. Græciam vero, quam paullo ante laudibus ornavimus, hoc loco non sane laudare possumus, quæ Cupidines et Amores satis audacter et temere in gymnasiis ædibusque publicis consecrarit. Quid enim Cupidini, aut Amoribus cum gymnasiis? aut, quid ea consecratio vel ad considerandum, vel ad imitandum afferre potuit honestatis, aut boni? Nihil enim temerarium, nihil insipiens in deorum consecratione esse debet, nec, quod ullam vel levissimam aut turpitudinis, aut ullius omnino imprudentiæ suspicionem afferat : quales videri possunt eorum consecrationes, quorum in rebus probitati pudorique contrariis numen esse potentiaque creditur.

XLV. Qui ergo ad hominum vitam vel adjuvandam, vel excolendam atque exornandam aliquid attulerunt, quique virtutibus, rerumque gestarum gloria præstiterunt, eos nemo dubitet jure deos habitos, divinoque cultu affectos esse. Neque ego ullo pacto auderem hoc primus prodere : non enim tam studiose, quæ laudari possunt, appeto, quam reformidare ea soleo, ex quibus possit aliquid vel levioris culpæ redundare. Quum vero et mares, et feminas complures in deorum numero esse videamus, et eorum in urbibus atque agris augustissima templa veneremur: assentiamur eorum sapientiæ, quorum ingeniis et inventis omnem vitam legibus et institutis excultam constitutamque

Digitized by Google

habemus. Tantis enim ducibus aberrare non possumus; nec a nobis, sed ab illis ipsis, quos sequimur, rei tam justæ ac debitæ ratio reposcetur. Jure enim fecisse putandi sunt, qui, ne quem virum, aut feminam præclare meritam debito honore spoliarent, eorum memoriam sanctam venerandamque esse voluerunt. Nos autem injuste ageremus, si, quos pari cultu venerationeque dignos cognovimus, eos pateremur silentio præteriri.

Neque hoc de te una, mea Tullia, dictum volumus, cujus exstabunt virtutis, prudentiæ, doctrinæ, continentiæ, ad omnem æternitatem impressa vestigia, sed de iis omnibus, quos tali honore dignos aut ipsi vidimus, aut futuro tempore posteritas intuebitur. Nunc autem de te loquar, quam non ego amissam, aut mihi penitus ademptam, velim dicere, quum illucescat menti meæ quotidie magis præclarissima nominis tui tuarumque virtutum gloria. Vigebis autem memoria, quamdiu monumenta exstabunt illa, quibus eximia consignata sunt tam excelsæ laudis testimonia; quæ sempiterna fore, quum præstantissima sint, plane confidere debemus. Tibi igitur numquam me debitum persolvisse officium putabo, nisi de me optime meritam, quem eximie coluisti, ac de patria, quam semper ornasti, supremo honore decoravero. Id autem facile consequar, quum is locus, quem tibi delegi, sempiternam habiturus sit religionem. Nostra vero si qua erit ex ea re consolatio, quæ magna certe erit; aut, si qua laus ex paterna pietate, mihi certe jucundissima acciderit. Nihil enim aliud vel audire, vel memoria repetere libentius possum, quam me in eam, quam summe dilexerim, summeque diligendam merito suo censuerim, quam maxime pium gratumque esse : quum præsertim in alienos, quia de se optime erant meriti, tam prolixos liberalesque sese, et majores nostri, et exteri præbuerint. Quod si ullum umquam animal consecrandum fuit, qualia multa consecraverunt Ægyptii, quod nullum profecto fuit; si Cadmi, aut Amphitryonis progenies, aut

Digitized by Google

Tyndari in cælum tollenda fama fuit; huic idem honos certe dicandus est. Quod quidem faciam, teque omnium optimam doctissimamque, approbantibus diis immortalibus ipsis, in eorum cœtu locatam, ad opinionem omnium mortalium consecrabo. Tu ergo in eo ipso fano, quod ad nominis tui memoriam ac cultum, votum dedicatumque est, et laudari te, et coli senties. Maxime autem lætaberis in eo, quod et eum tibi, quem maxime debui, honorem persolverim, et me simul iniquissimo fortunæ imperio penitus exsolverim. Nosti enim, quam semper alacri fortique animo cunctis casibus restiterim: ut ne me quidem, pulsum patria, omnique plane dignitate spoliatum, tam acri impetu frangere ac dejicere fortuna potuerit. Cum inimicis autem quanta contentione decertaverim, quæque mea fuerit in iis refutandis frangendisque virtus et constantia, norunt omnes, qui varios civitatis nostræ casus curiose notaverunt. Quum vero, Tullia, te mihi extremo loco fortuna ademisset, tum equidem intellexi, quantum illa in rebus posset humanis, quantaque adversus me ipsum vi ac potestate niteretur. Itaque nihil habui, quod dicerem, nisi, Cedo, et manum tollo, quum tam gravi accepto vulnere, plane dolore perculsus atque afflictus essem. Nunc autem et præceptis sapientiæ adversus omnem fortunæ vim confirmatus, et, te consecrata, in cælumque recepta, tanta affectus voluptate ac lætitia, quantam animo capere maximam possum; exsultare plane videor, victorque de fortuna, ac de omni prorsus dolore triumpho. Tu ergo, quando me insigni et excellenti tuarum laude memoriaque virtutum tam præclare juvisti, nunc ab hominibus sejuncta, non me deserens, sed aliquando respectans, perduc eo, ubi tua tandem collocutione conspectuque fruar: ut et parenti tui amantissimo, quam potissimum optare debes, gratiam referas, et ego multo mihi gratiorem, multoque jucundiorem congressum nostrum futurum intelligam, quam insuavis et acerbus digressus fuit.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

INDEX EDITIONUM

www.libtool.com.cn

CORPORIS TULLIANI

AUCTIOR ILLIS, QUOS EXHIBENT FABRICIUS IN BIBLIOTHECA LATINA ET ERNESTIUS IN SECT. II PRÆF. AD CIC. OPP. A SE AN. 1774 EDITA, TOM. I, SECUNDUM ÆTATES DIGESTUS.

Ætas I natalis 1467-98-1519 refertur fere ad duumviros artis typographicæ in Italia, Conradum Sweinhemium et Arnoldum Pannarz, utrumque Germanum, qui artem suam primum in monasterio Sublacensi, deinde Romæ exercuere ab an. 1467. Quamvis vero his non principio fuerit consilium, ut unum corpus operum Tullianorum facerent, edidere tamen omnes Ciceronis libros, præter eos, qui sunt de Inventione (primum cum illis ad Herennium editi Venetiis 1470, fol. per Nic. Ienson). In monasterio quidem Sublacensi ediderunt libros de Oratore et Epp. ad Fam. ceteros Romæ : neque tamen omnes eadem formæ magnitudine; quorum indicem Jo. Andreas, Aleriensis Episcopus, epistolæ ad Xystum IV (Sixtum IV Papam) an. 1472 datæ et t. I Bibliorum cum glossis Nic. de Lyræ præmissæ subjunxit, indeque excerpsere Mættarius, t. I Ann. Typogr. et J. A. Fabricius, Biblioth. lat. t. III edit. Ern. ad calcem notitiæ typogr. p. 562-566.

1. Epp. ad Famil. 1467, ad Atticum 1470, de Oratore cum ceteris 1471, Opp. omnia in philosophia 1469, Oratt. cum invectivis in Ant. Verrem, Catil. et ceteros 1471.

Sed primus omnium proprie corpus fecit Alex. Minucianus, Professor Mediolan. ex cujus officina prodiere

2. Opera Cic. Mediol. 1498 et 99, voll. 4 formæ maximæ.

Digitized by Google

Is vero, singulorum librorum exemplа prius edita sequutus, non omnes ad ordinem temporis edidit, sed prout vetustiora exempla nactus esset.

www.intoo1.com.cn

3. Ascensiana I Paris. ap. Badium 1511 et 1512, fol. repetitio fere est prioris : a qua, teste Clar. Ernestio, in paucissimis abit ; quamvis ejus corrector Ger. Vercellanus multa mutata dixerit de judicio Guil. Budæi, itemque Guil. Maini, præceptoris puerorum Budæi. In margine Varr. lectt. undecumque ductæ, nominatim Becichemi Scodrensis in Rhetor. conjecturæ annotatæ sunt.

Ætas II Aldino-Basiliensis 1519-1537 ; qua primum MSS conferri cœpere.

Aldus avus in præf. ad epp. ad Atticum 1513 receperat, se omnia Ciceronis reliqua editurum sic emendata, ut pauca in iis desiderari possent : idque exsequi cœperat an. 1514, edito Rhetoricorum volumine Venet. in æd. Aldi et Andreæ soceri, quarta forma. Sed mors ejus 1515 insequuta irritum fecit consilium : quod quum dein repetiisset socer, Andreas Asulanus, negotium mandavit Andreæ Naugerio. Is quidem in quibusdam libris textum meliorem fecit : sed in aliis lectiones minus hodie probatas induxit ; neque satis curavit, ut operarum vitiis immunis esset editio, quæ ex offic. Aldina ab an. 1519 ad 1523 prodiit. Fama vero officinæ fecit, ut huic editioni, cujus pagg. sequutus quoque est Marius Nizolius in Lexico Ciceroniano an. 1535 edito, mox principatus tribueretur : hinc eam sequutæ aliæ, sed Basilienses Cratandri et Hervagii bonitate sua superarunt.

4. Aldina I, s. Naugèriana, Venetiis in ædibus Aldi et Andreæ Asulani soceri 1519-23, in-8 : 1519 prodiere oratt. voll. 3, epp. 1521, philos. quorum ultimum volumen nobis ad manus est, 1523. Ad hæc 9 voll. accessit ex eadem offic. an. 1522 Asconii Pediani Expositio in aliquot oratt. Victorini comm. in Cic. de Inv. et Ge. Trapezuntii in or. pro Ligario, vol. 1, in-8.

Digitized by Google

5. Ascensiana II Paris. 1522, fol. Aldinam sequuta prioris exempli lectt. in margine servavit.

6. Basiliensis I Andr. Cratandri, 1528, 3 voll. fol. quæ basin fecit Aldinam, ejusque in oratt. recepit ordinem, sed in Rhetoricis veterem Badii retinens, Topica et Partitiones præmisit libris de Oratore. Ceterum multis Aldinam vincit novis bonis, quæ in eam contulit Mich. Bentinus, in ipsa hac cura mortuus. Is ex vetustioribus codd. in quibus et Palatini fuere, textum pluribus locis meliorem dedit, orationes quasdam pleniores fecit, varias lectiones in margine adnotavit, excerpta e priscis et recentt. scriptt. ad interpretationem locorum difficilium præmisit, addiditque Indices copiosos.

7. Basiliensis II Jo. Hervagii 1534, IV tomis, 4 voll. fol. max. priore splendidior. Sequitur ea quidem Cratandrinæ textum, sed cum judicio: collatisque prioribus librorum exemplis Romanis, Florent. ac Venetis, sed et codice Gabr. Florentii Talenti, Senatoris Mediolanensis, ex quo oratio pro P. Sextio tertia prope parte auctior facta est, nonnulla in ipso textu emendata habet; varietatem vero lectionis e marginibus amotam peculiari libello in calcem rejecto complectitur.

Exempla thesauri Ciceroniani, quæ ex Hervagii offic. prodiere 1546, 1551 et 1568 Cælii Sec. Curionis aliorumque curis aucta, etiam Hervagianæ cum Aldina collationem præmissam habent.

Ex eadem officina 1535 prodiere Macrobii in Somnium Scip. libri II, edente Joach. Camerario.

Ætas III binos principes habet, Petr. Victorium primum ab an. 1534, alterum P. Manutium, A. F. ab an. 1540; comitem utrique se fecit, Victorio Joach. Camerarius, P. Manutio Rob. et Car. Stephani. Præter hos multum quoque boni attulit hac ætate Seb. Corradus, tum singulis libris illustrandis, tum libro eruditissimo, qui inscribitur Egnatius sive Quæstura, Venet. 1537, in-8 (recus. Lips. 1754, in-8),

Digitized by Google

cujus pars I major vitam Cic. undique collectam habet, altera Ciceronis loca emendat et explicat. Is maxime in Epp. operam egregiam posuit.

www.libros.com.ch

Recensemus primum Victorianas cum suis.

Petrus Victorius, ob novam recensionem, qua textum vulgatum partim ex collatis MSS, in quibus Mediceus præstat, et libris editis, partim conjectura usus, maxime in epistolis, emendavit, Sospitator Ciceronis dici meritus est. « Uni Victorio, inquit Grævius, plus Cicero debet, quam reliquis omnibus, qui in eo perpoliendo operam posuerunt». Reprehenditur tamen in eo affectatum antiquitatis studium et insolentior verborum scriptura. Prodiere vero ex ejus recensione opera Cic.

8. Venetiis ap. Luc. Ant. Juntam 1534-1537, 4 voll. fol.

9. Parisiis III apud Rob. Stephanum (I) 1538-1539, 4 voll. fol. quæ se Victorianæ filiam profitetur, additasque habet Victorii castigationes suarum castigationum.

10. Lugdun. ap. Seb. Gryphium I, 1540, 9 voll. in-8: habet ea et Victorii castigg. quæ dein quoque ap. Gryphios recusæ sunt.

11. Basiliensis III Hervagii, ex castig. P. Victorii, cura Joach. Camerarii, cum P. Victorii castigg. et notis Camer. etc. 1540, 4 voll. fol. inter præcipuas edd. numeratur. Quamvis enim Victoriani exempli fidem in plerisque sequutus sit, priores tamen lectt. et ipsas e MSS ductas sæpe prætulit Victorianis: primusque observavit, lectiones quasdam librorum diversas esse ejusmodi, ut suspicio esse vel possit, vel debeat, non alteram ex altera, commutatione aliqua vel librariorum vel correctorum factam, sed utramque esse a Cicerone per duplicem libri alicujus editionem et novam ejus castigationem; quam observationem fecit quoque suam Car. Stephanus in ed. dein nominanda.

12. Florentiæ prima Victoriana repetita est 1571, sed novis adornata scholiis; qua usus est Græv.

B. Paulus Manutius Aldi F. alter Ciceronis vindex, idem-

Digitized by Google

que intelligentissimus interpres et felicissimus ipse imitator, quum admodum juvenis (natus enim erat an. 1512) nullis sumptibus, nullique studio pepercisset, in antiquis Ciceronianorum libris indagandis, iisque cum superioribus exemplis, etiam Victoriano, conferendis : edidit tandem formatum a se ex Aldino textum, scholiaque addidit in epp. ad Div. jam ante separatim edita. Et invenit ille etiam plures asseclas, quam Victorius, in quem ipse primo subiniquior, mox tamen æquior exstitit.

13. Aldina II, Pauli I, 1540, 10 voll. in-8, quæ editio in numeris fere convenit cum Aldina I, quos sequutus est Nizolius.

14-16. Aldina, Pauli repetita, 1550 sq. 1554, 1557, 1563 sq. Huic ultimæ edit. jungimus Asconii Pediani Explanatt. in oratt. 8. Venet. ap. Aldum 1563.

17-22. Argent. editio post Naugerianam et Victorianam emendata a Jo. Sturmio ap. Wendelin. 1540, pagg. numeri et versuum Aldinis respondent. Eadem post postremam Nauger. et Victor. emend. a J. St. 1548, 1557, 1571 et 1574, * 1578 ap. Jos. Rihelium repetita est. Aldinam maxime sequitur; sed et oratt. pro Sextio et Ligario, uti Aldina II integriorem exhibet. Præmissæ sunt Sturmii et Naugerii præfatt.

23. Rob. Stephani (II) Parisiis (IV) 1543 sq. in-8 voll. 8, literis currentibus nitidissime exscripta. Hujus quidem basin fecit Stephanus textum Manutianum, sed et Victorianam lectionem aut MSS nonnumquam præfert; ceterum se multa diligenti vetustorum exemplorum collatione emendasse profitetur. Voll. prima tria habent Oratt. 4 et 5 Epp. 6 et 7 libros philos. ultimum, quod nobis ad manus est, rhetoricos, cum rejectis ad calcem variis lectt.

Henrici Stephani in Cic. quam plurimos locos castigg. ann. 1557, in-8, partim ex ingenio, partim ex vetustissimo et emendatissimo exemplari MS. Ejusdem Lex. Cicer. Græc. Lat. et Obss. Paris. Morell. 1557, in-4.

Digitized by Google

24. Paris. V ap. Sim. Colinæum 1545, 10 voll. in-12, repetitio Stephanianæ nitida, quæ refertur in Fabr. Bibl. lat. ed. Ern. t. I, p. 219. Sed et Ern. in præf. Cic. Sect. II, 33, se exemplum editionis ap. Colinæum factæ an. 1553 sq. 11 voll. in-12 habere dicit.

25. Opera Ciceronis 1551, Basil. 10 voll. in-8.

26. Caroli Stephani Paris. VI, 1555, 4 voll. fol. Editio splendida textum prioris a fratre Roberto editæ maxime sequitur; suam tamen etiam lectionem habet : quam etsi Clar. Ernestius plerumque in deterius ivisse, collatis prioribus capp. Divin. in Cæcilium, colligat; habita tamen est isto ævo hæc editio omnium emendatissima, habetque ad calcem cujusque tomi lectt. varias. Proposita hinc fuit præstantioribus sequentis ætatis curatoribus, in qua porro recognoscenda elaborarent, ut Dion. Lambino, Al. Scoto, etc. Scotus quidem in præf. s. ep. nuncup. edit. suæ, quam ad an. 1588 recensebimus, inquit « Textu Caroli Stephani, qui et a doctis viris maxime probatur, et inter vulgares codices videtur integerrimus, conservato, præter admodum pauca loca, in quibus aperte mendum esse constabat ».

27, 28. Gryphiana II ex Victorii et Manutii castigg. 1546, 1548, 9 voll. in-12, repetita 1551 et 1559 sq.

29. Lugdun. ex castigatione Jo. Boulierii ap. Jo. Frellonium l. Ant. Vincentium [socios] 1560-1568. Nullum certum sequitur exemplum, et nullo in pretio est.

Fragmenta Cic. ex veterum monumentis post Rob. Stephanum collegere Car. Sigonius Venet. 1559, in-8, et, qui horum industriam vicit, Andr. Patricius, Striceco-Polonus ibid. apud Ziletum 1560, in-8, 1565, in-4, et 1577, in 4, cum commentt. Inde ea suis edd. subjecere Dion. Gothofredus et Jan. Gruterus, etc. quos dein recensebimus.

Sub hanc ætatem accessere duo, qui Ciceronis editoribus sqq. lumen præferrent suis emendationibus, M. Ant. Muretus in Varr. lectt. quæ primum prodiere Venet. ap. Ziletum 1559, in-4; dein Antverp. ap. Plantin. 1580, in-8, et

Digitized by Google

Francof. 1604, in-8; et Adrianus Turnebus in Adversariis tom. duobus, quibus tertium addidit filius post mortem patris. Prodiere junctim Paris. 1580, 2 voll. et Basil. 1581, fol.

Ætas IV Manutio-Lambiniana et Brutina.

Hortatu viri illustrissimi Errici Memmii excitatus et suppeditatis ab eodem aliisque instructus codicibus, Dion. Lambinus, illustris ingenio et omni genere doctrinæ ad sensum veri elegantiamque Tullianam excultus, a vulgi superstitione alienus, summo studio in recognoscendis Ciceronis libris per biennium ac sex menses versatus, Manutianum textum, uti a Car. Stephano partim repetitus, partim emendatus erat, ita correxit, ut principatum ei mox decernerent alii, ut Jo. Mich. Brutus, Facciolatus; alii, ejus in ipsum textum ausa [audebat autem multa pro ingenio, etiam sine codd. ut intelligibilem daret textum], vituperarent, ut Muretus et Gruterus. Hinc factum, ut quem dederat novi exempli textum, mox editores desererent, retinentes vel Aldinum Pauli, vel Stephanianum, ita tamen ut Lambini lectt. et notæ accessio fierent meliorum hujus ætatis editionum. Quamvis autem Lambinus sæpe ingenio nimium tribuisse videatur, multæ tamen ejus lectiones hodie præ illis a Grutero postea restitutis probantur iis, qui inscite contumaces esse nolunt. Alterum attulere ornamentum commentarii P. Manutii in Oratt. Epp. et Offic. libros, quibus editio Aldina major 1584 aucta est. Præter hosce duumviros de Cicerone promereri studuerunt Jo. Mich. Brutus denuo, Dion. Gothofredus Jctus, et, quem omiserunt editionum censores, Alex. Scotus, et doctus Wechelianæ curator.

30. Prima eaque una vera ex Lambini recognitione et cum notis ejusd. Parisiis ap. *du Puys* 1566, 2 voll. fol.

*31. Aldina III, Venetiis ex bibliotheca Aldina 1569, 9 voll. in-8, cujus curator, Hieron. Turrisanus [Andreæ Asulani nepos, Francisci filius, qui se P. Manutii patruelem dicit] Aldinum quidem Pauli textum reddidit, sed vitam Cic. a Lambino conscriptam præmisit, et cuique vol. Lam-

Digitized by Google

bini adnotationes adjecit. Servatur ea in Biblioth. Bipont. Ducali.

32-34. Gryphiana III Jo. Mich. Bruti Lugd. ap. Ant. Gryph. 1570 sq. repetita ibid. 1578 et 1585-87. Brutus in hac edit. adhibito etiam Lambino cum prioribus edd. Victorio, Camerario, Manutio, Turnebo aliisque textum sic emendavit, ut sæpe lectiones Lambini reciperet; suasque animadversiones addidit ad calcem, quibus maxime textum suum tueretur.

www.libtool.com.cn

35. Parisina Lambini [an. 1572 mortui] 1573, fol. textu Stephaniano substituto lectiones Lambini e textu in marginem ejectas habet; cura, ut videtur, Lambini filii.

36. Eadem ibid. 1573-1580, 9 voll. in-8.

*37. Eadem Lugduni ap. Petrum Santandreanum 1577-1578, 4 tomi fol. maj.

38. Eadem Argentor. 1581, 9 voll. in-8.

39. Eadem Paris. 1584, 2 voll. fol.

40. Aldina IV major, c. comm. exquisitis et elaboratissimis Pauli et Aldi Manutiorum Venet. 1578-1583, 5 voll. fol. Textum fere Aldinum Pauli habet, sed operarum vitiis inquinatum. Omne igitur pretium est a P. Manutii comm. in Oratt. Epp. et officiorum libros. Aldinæ vero notæ, nisi ubi lectiones MSS memorat, parum laudis invenere. Aldus Nepos etiam Nizolii Lex. Cic. repetierat 1570.

41. Genevensis c. n. Lambini et Ursini 1584, 2 voll. fol. Fulvii Ursini, doctissimi viri et codd. MSS usi, notæ jam ante Antverp. 1581, in-8 editæ, multis locis egregiam lucem afferunt.

*42. Dion. Gothofredi I, « Præter hactenus vulgatam D. Lambini editionem accesserunt D. Gothofredi JC. notæ: in queis variæ lectt. Synopses generales et speciales singg. l. libris l. pagg. adjectæ : Cic. loca præcipua et difficiliora inter se primo, aliis deinde authoribus gramm. Rhett. poetis, hist. Jctis maxime collata : ut et formulæ, quæ ad jus, LL. Scta et actiones pertinent, explicatæ. Index gener. adjectus

Digitized by Google

est. Lugd. sumptibus Sibyllæ ». A Porta 1588, 4 tomi, 2 voll. fol. min. l. 4.

* 43. Scotina : variis Dion. Lambini et aliorum doctissimorum quorumque virorum lectionibus opera Alex. *Scot*, Scoti ad marginem illustrata et in sectiones apparatui latinæ locutionis respondentia. Acc. D. Lambini et F. Ursini emendationum rationes singulis tomis distinctæ. Lugd. sumptibus Jo. Pillehotte, 1588, in-12. Rhetorici libri duos primos tomos habent. Scotus fuit nobilis Scotus Abirdonensis Acad. A. L. Mag. et in Univ. Turnonensis S. Jesu Theol. Cand. qui sub idem fere tempus Apparatum latinæ locutionis olim per M. Nizolium ex Cic. libris collectum, nunc denuo auctiorem factum, et ad Sectt. in quas Cic. opera sunt distincta, accommodatum, Lugd. ap. eumdem edidit. [Col. Allobr. recus. 1612, in-4; Paris. 1624, et Gen. 1627.] Textum vero C. Stephani maxime sequutus lectt. Lambini, Man. Mureti, Victorii, Ursini, etc. cum suis notis in marginem reposuit : Lambini [quem unum plura quam omnes in hoc opus contulisse ait] annott. ad cujusque vol. finem adjecit. Est igitur hæc editio non contemnenda.

44. Wecheliana ad Manutianam et Brutianam conformata ap. her. Wechel. Francof. 1590, 10 voll. in-8. Præmissa est Fr. Fabricii historia Cic. Ad calcem vero cujusque tomi annotationes et castigg. ex variis doctorum virorum scriptis selectæ [a docto sane viro, nescio an Frid. Sylburgio]. Laudantur in iis post Victorium, Manutios, Brutum aliosque maxime D. Lambinus et ipse Janus Guilelmius. Ed. præstans.

45-47. Eadem repetita 1606, et Francof. 1609, typis Wechel. ap. Cl. Marn. et her. Jo. Aubrii totidem voll. in-8, itidemque Hanoviæ 1603, in-12.

48. Genev. ex rec. Lambini 1594, in-8, cura Gothofr.

49. D. Gothofredi c. ejusdem notis repetita Genev. ap. Guil. Læmarium 1596, 4 tomi, 2 voll. in-4.

50. Eadem repetita Genev. ap. Petrum *de la Rowière*, 1606, 4 tomi, 2 voll. fol.

Digitized by Google

51-53. Eadem c. n. Lambini et Gothofr. Colon. Allobr. s. Genevæ, 1616, fol. ea sectiones Scotinas habet. 1633 et 1646, 4 tomi, 2 voll. in-4.

www.intool.com.cn

54-56. Lambiniana cum sectionibus Scoti textum sine notis exprimens Genev. 1608, 1624, 1626, ap. Henr. Fetherson, 2 tomi in-8.

57. Eadem Lugd. 1616, 2 tomi in-8.

58. Aug. Munatianæ [h. e. Basileæ] 1620, 9 voll. in-12.

Ætas V Victorio—Gruteriana.

Initia hujus ætatis posuerat Janus Guilelmius Lubecensis, qui juvenis doctissimus, quum esset XXVII annorum, excerptis scriptorum, quæ itineribus per Galliam, Belgium et Germaniam factis collegerat, meditatus erat novam recensionem Ciceronis, sed operis m. Jun. an. 1584 immortuus est, cf. Thuan. Hist. lib. LXXX, sub fin. Cum eodem sua excerpta ejus generis Car. Langius, Canonicus S. Lamberti Leodiensis idemque eruditissimus librorum Ciceronis de officiis editor, et Suffridus Petri, Leowardiensis, communicaverant. Triumvirales has schedas post XXX nactus Jan. Gruterus, præterea codd. Palatt. tum ipse contulit, tum opera usus duorum juvenum, Jani Gebhardi, Palatini, et Dav. Clerici, Genevensis, illius in epp. ad Div. hujus ad Attic. « Erat » vero, ut Clar. Ernestii [in præf. Sect. II, p. 42] verbis utar, « Gruterus in re critica eo, quo Victorius sensu, ita libris scriptis addictus, ut manifesta sæpe menda etiam accuratissimis et evidentissimis virorum doctorum emendationibus præferret, eaque etiam explicare tentaret. Itaque basin suæ editionis voluit esse textum Victorianum : quem tamen ille non modo e libris scriptis sæpe mutavit, sed etiam interdum e conjecturis eorum quidem, quorum apud eum esset peculiaris quædam auctoritas, ut Simeonis Bosii in epistolis ad Atticum. Editiones antiquiores et ipsas subinde commemorat, sed satis negligenter, non modo hanc in partem, quod primas illas Romanas et alias non requisivit, nec consuluit, sed quod etiam pro primis laudat, quæ

Digitized by Google

non sunt, ut subinde in notis monuimus et in singulorum voluminum præfationibus. Et quoniam ipse omnino in conferendis libris antiquis aliorum opera usus est, veremur, ne non certa sint omnia, multa etiam prætermissa. Notas ipse suas addidit, nisi in epistolarum, ut ante dictum, item in Tusculanarum libris, ubi Gebhardi sunt». Lallemandius sic porro: «Iniquior est Gruterus in Lambinum, in quem, sæpius etiam sine causa, invehitur, ut quum in Philippicis depromptas ex optimo cod. Vaticano Faerni et Mureti emendd. quas ipse non viderat, acerbe tamquam Lambini conjectanea respuit». Neque nobis omnino probatur Gruteri ὀρθοδοξία seu potius ζηλοτυπία, qua tum ipse Lambino injuriam sæpe intulit, tum ejus adjutores, maxime juvenis Janus Gebhardus, in excellentioris ingenio et doctrina viri rationes invecti sunt. Verum sua cuique placent scripta, suum cuique ingenium. Fama tamen Gruteri fecit, ut textus ejus pro optimo haberetur, et editiones ex eo tempore obtineret. Textum Gruterianum paullo emendatiorem Jac. Gronovius, et qui hunc sequutus est, Is. Verburgius ediderunt. Ætatis hujus sub initium Andr. Schotti, Novorum Ciceronis emendatorum libri IV prodiere Antverp. 1613, in-8, et cum ejus observatt. humanis Hanov. 1615, in-4.

59. Gruteriana I ex recogn. et cum notis Jani Guilelmii et Jani Gruteri. Hamburgi ex bibliopolio Froben. 1618, 4 tomis, 2 voll. fol. sed ineleganter excusa, ad cujus pagg. refertur *Penu Tullianum*, collectore Geo. Lud. Frobenio, quod ibidem prodiit 1619, fol. In hac ed. primum est divisio in capita a Grutero instituta.

*60. C. optimis ac postremis exempl. accurate collata. Lugd. Bat. ex offic. Elsevir 1642, 10 vol. in-12, sine capp. distinctione.

Ex eadem offic. 1644 prodiere Q. Asconii Pediani Commentt. in Cic. Oratt in-12, et jam ante Hist. Cic. a Fabricio scripta ex edit. Heidmanni 1640, in-12.

61. Amstelod. Blaw. 1658 sqq. 10 tomi in-12.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

62. Basil. 1659, in-4. Gruterumne, an superius exemplum sequatur, non habemus.

63-65. Schreveliana c. n. Gruteri et Varr. Lugd. Batav. 1661, in-4, repetita Basil. (l. Genev.) sumptibus Leon. *Chouet* et Jo. Ant. Crameri, typis l. R. Genathii 1687, in-4, et Venetiis 1687, 4 tom. in-4 maj.

66. Gruteriana II Londin. 1681, fol. recusa pulchrius quam prima, sed omissa capitum distinctione.

67. In usum Delphini explanata Parisiis 1684-1689, 4, haud tamen prorsus absoluta editio, neque laudata. Singula igitur volumina eorumque editores indicamus.

a. Oratorii per Jac. Proust, Paris. 1687, 1 vol.

b. Orationes per Car. *Mérouville*, ib. 1684, 3 voll. repetita Venetiis 1724.

c. Epp. ad Fam. per Phil. *Quartier* S. I. ib. 1685.

d. Opp. philosophica per Franc. *Honore* ib. 1689, tomus I. Intercessit enim mors editoris, quo minus et alter in lucem ederetur. Desunt vero etiam epp. ad Atticum, Q. fratrem et Brutum.

68. Ex rec. nova Jac. Gronovii Lugd. Bat. 1692, 4 partes et voll. 4, cum notis integris Jani Guilelmii et Jani Gruteri. Acc. Jac. Gronovii emendd. ut et Asconii Pediani et doctissimi veteris scholiastæ (neutiquam tamen cum Asconio comparandi) scholia. Ceterum editor textum Gruteri etiam cum vitiis typogr. repetiit, nisi quod paucis locis suas intulit emendd. Nonnullos enim libros contulerat ad MSS. Fecit vero nomen Gronovianum, ut exemplar hoc crederetur emendatissimum, et ab aliis repeteretur.

69. Eadem ibid. prodiere forma 12 quinque voll.

70-72. Isaaci Verburgii editio triplex Amstelod. 1724, fol. voll. 4 voll. in-4 et 12 voll. in-8, textum habet Gruterianum, qualis a J. Gronovio editus est : tum notas integras Victorii, Camerarii, Ursini et selectas, quæ vulgariter et absque ingenio conscriptæ dicuntur. Etiam in excerptis Lectt. Varr. judicium desiderant eruditi. Consuluit tamen

Digitized by Google

étiam Zach. Pearcii et Davisii edd. priores in libris de Oratore et Philos.

73. Verburgiana repetita Venetiis 1731, 12 voll. in-8 med.

Ætas VI. Eclectica, cujus princeps est Jo. Georg. Grævius, cui conjungendi sunt Zach. Pearcius et Jo. Davisius Angli. Tum sequuti Josephus Olivetus, eclecticam rationem præ aliis sequutus, Nic. Lallemand Galli, et novissime Jo. Aug. Ernestius prof. Lipsiensis. Professus erat in præfat. ad libros de Officiis et epp. ad Fam. a se editis criticus eruditione, industria et modestia præstans J. G. Grævius, Victorii lectionem maxime sequutus, sed MSS et edd. usus, se omnia Tulliana eadem ratione editurum esse; edideratque orationum et epistolarum volumina, cum illo de officiis, etc. quum mors viri intercederet, quo minus et reliqua prodirent. Itaque opportune accesserunt Davisius, qui in libris philosophicis corrigendis et illustrandis operam laudabilem posuit; Zach. Pearcius libros de Oratore egregie curavit, et P. Burmannus, qui illos incerti auctoris et Herennium et Cic. de Inventione novissime edidit. Supersunt Brutus et Orator, in quibus quis ingenium ac studium exerceat. Placet vero singulas has quatuor virorum editiones conjungere, ut unum corpus idque præstantissimum efficere videantur.

* 74. *a.* M. T. Cic. epp. ad Fam. ex rec. J. G. Grævii, c. ejusd. animadv. auctis et notis integris P. Victorii, P. Man. Hier. Ragazonii [h. e. Car. Sigonii], D. Lamb. F. Ursini, nec non sel. J. F. Gron. etc. Amstel. ex off. Elzevir. P. et J. Bleav 1693, 2 voll. in-8. Habet hæc editio auctiores Grævii notas, quam prior a. 1677.

b. Ejusd. epp. ad Atticum ex rec. Grævii c. ejusd. animadv. et notis integris Victorii Man. Leon. Malespinæ, Lamb. Urs. Simeonis Bosii, Fr. Junii, Auson. Popmæ, nec non selectis Seb. Corradi, Is. Casauboni, J. F. Gron. et aliorum, Amst. 1684, 2 voll. in-8.

c. Post Grævium, sed ad ejus modum, vir quidam doctus

Digitized by Google

curavit reliquas epp. ad Q. Fratrem lib. III, et ad Brutum lib. I, cum notis integris Vict. Man. Malesp. Lamb. Urs. Junii, Grut. et Jac. Gronovii, nec non Fr. Hottomanni Comm. in ep. I de prov. administranda. Adjectus est ad M. Tullium fratrem de petitione consulatus liber cum integro comm. Valerii Palermi Veronensis. Hagæ Com. ap. Is. *Vaillant* 1725, 1 vol. in-8.

d. Ej. Oratt. ex rec. Grævii c. ejusd. animadv. et notis integris Franc. Hottomanni, D. Lambini, F. Ursini, P. Manutii ac selectis aliorum, ut et Q. Asconio Pediano et Anon. scholiaste, etc. Amstel. ex typogr. P. et J. Bleav, 1699, tomi 3, singuli bipertiti, unde 6 voll. in-8.

e. Ej. de Officiis lib. tres, Cato major, Lælius, Paradoxa, Somnium Scip. ex rec. Græv. cum ejusd. notis, ut et integris animadv. D. Lambini, F. Ursini, C. Langii, Fr. Fabricii, A. Manutii nec non sel. aliorum. Acc. Favonii Eulogii Rhet. Carth. in Cic. Somnium disp. nec non Cælii Calcagnini disq. in de Officiis libros, M. Ant. Majoragii disquis. Jac. Griffioli defensiones Cic. contra Calcagninum, ibid. ex eadem off. 1688, 1 vol. in-8. [Voluminum Grævian. ex bibl. I. Phil. Crollii, quondam Rectoris, in bibl. Gymnasii translatorum copia nobis est.]

f. Ej. Opera philos. (præter libros de Officiis) ex 8 codd. collatione recensuit notisque integris Victorii, Manutii, Camerarii, Lambini, Ursini, etc. addidit Jo. Davisius. Cantabr. 1724-1733, 6 voll. in-8.

(Acadd. Quæst. edidit Davisius Cantabr. 1725; de fin. bon. etc. 1728; Quæst. Tuscul. primum Cantabr. 1709, dein auctius 1723; tertio notis denuo auctis et emendatius 1730. Præfertur tamen prima, quod in novioribus conjecturæ Bentleii in textum receptæ sunt. De Nat. Deorum Cantabr. 1718, 1723 et 1733; de Divinat. et de Fato Cantabr. 1721; de Legibus Cantabr. 1727. Quum quoque Davisii curæ in libros de Officiis cum igne interiissent, hos uti et illos de Nat. Deorum edidit cum eruditis notis Zach. Pearcius, 1745, in-8.)

Digitized by Google

g. De Oratore libros tres Zach. Pearcius edidit Oxon. 1716 et iterum 1732, in-8, emendato e MSS et edd. vett. duabus textu, et locis difficilioribus explicatis.

h. Libros de Invent. cum illis ad Herennium P. Burmannus Sec. edidit Lugd. B. 1661, in-8, cum notis integris Lambini, Urs. Grut. J. Gron. et excerptis aliorum, item Lectt. Varr. et notis posthumis Grævii; additis in fine notis Bruti et ineditis Fr. Oudendorpii.

* 75. Ernestina I Lips. 1737 sq. 5 voll. in-8 med. ex rec. Jac. Gron. accedit varietas lectionis Pearcianæ, Grævianæ et Davisianæ, cum singg. librorum argg. et indice legum geogr. hist. verborumque philologico-critico. Præmissa vero etiam est Fr. Fabricii hist. Ciceronis. Ipsa quidem textus Grutero-Gronoviani editio mendis scatet. Adjecta in notis varietas parum sufficiat ad deligendam lectionem, neque non desiderabiles facit lectionum Manutii et Lambini varietatem, ejusvemodi notas critt. quales olim Wechelianæ edit. adjunctæ sunt. Una igitur hujus edit. laus est a clave Ciceroniana [s. indicibus illis] quæ etiam separatim divendita plurimum adjuvit studium latinitatis, maxime Tullianæ.

* 76. Ernestina II repetita Halæ, 1757 sq. parum differt a prima, nisi quod a parte vitiorum repurgata est.

* 77. Berolinensis ad exemplar Londinense [1681] 1747, in-8, textum Gruterianum exhibet nitide quidem, sed et mendose recusum.

78. Cum delectu commentariorum cura Jos. Oliveti Paris. 1739-1743 in 9 voll. distributa sic, ut primus habeat rhetoricos libros, alter et tertius philosophicos, tres sqq. orationes, VII epistolas ad Fam. VIII ad Atticum, nonus et ultimus epp. ad Q. fratrem, Brutum, et fragm. poem. aliorumque librorum. Tomus IX duas habet appendices, prima Rhet. ad Herenn. et Q. Cic. de pet. Consul. altera 1° historiam Cic. a Franc. Fabricio scriptam cum indd. 2° Indd. voc. gr. in Cic. occurrentium. 3° Ind. latin. 4° Ind.

Digitized by Google

hist. et geogr. 5° Ind. rerum. Textus nulli certo exemplo adstrictus, sed ex quatuor exemplis, Victorii, Manutii, Lambini, Gruteri ita mixtus, ut in quibus omnes consentirent, numquam discederet; in quibus autem dissentirent, *suum judicium* sequutus est, quod criticis nostratibus parum probatur, sed tamen ceterorum lectt. adnotavit, præterquam in Epp. quod casu periissent. Dedit vero separatim varias lectt. e Grævianis decerptas. Textum deinde notis instruxit delectis e comment. in Cic. adjecto ejus nomine, qui primus dixisset; quæ ratio non plane improbanda sit. Tum præmisit tomis præstantiores aliorum præfatt. præter suam; variumque apparatum, qui ad usum Cic. sit. In conscribendis indd. usus est clave Ernestii Ciceroniana.

79. Oliveti editio repetita Genev. 1758, 9 voll. in-4 maj.

* 80. E recens. J. N. *Lallemand*, Paris. apud *Saillant*, *Desaint*, *Barbou*, 1768, 14 voll. in-12 med. Editio nitida multa habens sua bona. Ex collatis codd. MSS cum Grævii, Davisii, Pearcii Lectt. et Varr. eosque maxime et alios præstantiores criticos cum sensu veri suo sequutus textum emendatiorem dedit; haud tamen æque diligenter in edd. antiquis conferendis versatus, pro novis etiam vendit, quæ illis pridem recepta. Videtur Verburgianam ed. maxime contulisse et simul Olivetum sequutus: in Rhetoricis, quæ Grævii aut Pearcii curam non experta erant, ipse, collatis codd. tribus et Beiotii excerptis optimi codicis, emendavit, eoque præ ceteris consulendus fuit. Cuique tomo adjecit notas de genere critico non contemnendas, et sæpe alias, quæ ad intelligentiam faciunt. Orationibus præmisit indiculum Legum et de romana vetere pecunia; Epp. ad Fam. addidit ind. chronol. Volumini ultimo adjecit indicem latinum ex Ernest. clave Cicer. excerptum.

81. Patavina 177... in-8.

82. Wirceburg. ad ed. Paris. et Patavin. etc. 1776, 8 voll. in-8. Editio mendosissima.

Digitized by Google

* 83. Ernestina III ex rec. Jo. Aug. Ernestii, cum ejusdem notis et clave Ciceroniana, Halæ Sax. in Orphanotropheo 1774. Vol. I continet Rhet. vol. II bipartitum Orationes, vol. III bipartitum epistolas, et vol. IV bipartitum philos. unde exsistunt VII tomi et clavis Cicer. Atque hæc editio haud paullo differt a prioribus. Omissa primum hist. Cic. quam scripserat Fabricius, præmisit corpori præfationem suam, in duas sectiones dispertitam; quarum prima ideam critici Ciceroniani informat pro ingenio suo; eamque revocat ad quinque virtutes; singulorum verborum formarumque dicendi scientiam; et linguæ universæ analogiam, ut in temporibus, modis, similibusque; et sensum venustatis, concinnitatis, numeri atque soni orationis Ciceronianæ; et usum rectum et accuratum librorum antiquorum, tam MSS quam editorum; et, quod ultimum est, ingenium ad veriorem lectionem, cujus vestigia tantum in MSS supersunt, festive odorandam doctum. Primam quidem virtutem concedit Victorio, Manutio, Lambino, Gronovio et Grævio. [Jac. Gronovius certe ceteris multum inferior videri potuit.] Alteram virtutem, quæ sensu tota percipiatur, vulgatiorem demum Gesneri suaque disciplina factam ait. Tertiam laudem vix Lambino, et, qui eum non æquet, P. Manutio tribuit. In quarta laude dicit esse plures, ita tamen, ut qui in iis principes sunt, Victorius, Gruterus et Gebhardus [Guilielmium præstare Gebhardo credimus] reprehensionem mereantur, præsertim quod editiones veteres parum diligenter adhibuerint: ipse vero clarissimus vir se in iis conferendis diligentius versatum profitetur. In iis, qui ingenium felicius et doctrinam cum judicio attulerint ad emendandum Ciceronem, neminem nominat. Atque certe in eo genere præstat Lambinus omnes. Itaque nos quidem arbitramur, criticum, qualis hodie ad Ciceronem recognoscendum cum auctoritate accedere debeat, virum, Manutio doctrina, Lambino acumine ingenii similem esse, eumque Victorii, sive, quamvis

Digitized by Google

eo minoris, Gruteri religionem cum libertate sequi, denique Grævii industriam, aut Ernestii peritiam sermonis Ciceroniani cum patientia in colligendis stipulis, suam mature fecisse oportere. Sed discessimus a præfatione Ernestina, cujus altera sectio notitiam curatiorem editionum corporis Tulliani exhibet; quam nos vel tertia parte auximus. Porro clar. vir singulis voluminibus præfationes præmisit, quibus et scriptos et editos libros ad novam recensionem textus Gruteriani suam adhibitos ceteraque ejus præcipua ipse pluribus indicat. Sic igitur hæc editio, quamvis non nitore, prioribus tamen ejus multum præstat. Quæ in illas subrepserant menda, sublata pleraque videntur, sed nova admissa; quorum indicem ipse subjecit voluminibus oratt. ep. et philosoph. sed in rhetoricis desideres.

Iterum prodiit Ernestina Lipsiæ 1776 et seqq. in-8; Oxforti apud Collingwood 1810; et Londini curavit R. Priestley 1819, 8 voll. in-8, quibus idem addidit delectum commentariorum, etc. ex editione Oliveti, 3 voll. in-8, et Nizolii lexicon Ciceronianum juxta ed. Facciolati, 3 voll. in-8, 1819.

84. Neapolit. 1777, quam Gasp. Garatonius sumptibus et typis Mariæ Porcelli publicandam curavit, cum integris plerumque commentatorum notis, quibus ipse suas subjecerat. Quod quidem opus omnium quæ in Ciceronem exstant præstantissimum, et in quo textus accuratissime ab editore ad fidem optimorum codicum excutitur, post XVII volumen interruptum (1) pependit 1788. Ita autem digestos Ciceronis libros habet: Vol. I, de Off. lib. I et II, cum integro Samuelis Rachelii et Aldi Manutii commentario. Vol. II, de Offic. lib. III, Cato Maj. Lælius et Paradoxa cum Ciceronis defensionibus per Majoragium et Griffolum.

(1) Ceterum audio hanc editionem in Italia continuari, quod quidem faxit Deus, ut magis quam voti fidem obtineat. Quamquam enim fusiores sæpius et laxiores discursus in ea legentium animis offunduntur, locupletissimum tamen est ac pulcherrimum Ciceronis gloriæ exstructum monumentum.

Digitized by Google

Vol. III, orat. pro P. Quintio, Roscio Am. Roscio com. cum integris Menardi et P. Manutii commentariis. Vol. IV, Divinatio, Actio prima, lib. I et II in Verrem. Vol. V, in Verrem liber III, IV et V. Vol. VI, pro Fonteio, A. Cæcina, lege Manilia, A. Cluentio. Accedunt ad calcem Hieron. Arloti et Franc. Modii ep. ad Man. 4, et Garatonii excurs. ad Cluent. 53, 54. Vol. VII, de lege agrar. lib. III, pro C. Rabir. perduell. reo, in Catilinam orat. IV cum excursibus nonnullis jureconsultorum Neapolit. in difficiliores Ciceronis locos. Vol. VIII, pro L. Murena, Flacco, P. Sulla, Archia poeta, cum duabus Ferratii epist. de comœdia et de C. Antonii accusatione. Vol. IX, 1786 (1), ad Quir. post Redit. post Red. in senatu, pro Domo, de Harusp. resp. pro Cn. Plancio. Vol. X, 1787, pro P. Sextio, in Vatinium, pro M. Cœlio. Vol. XI, 1788, de provinciis consularibus, pro L. Cornelio Balbo, in Pisonem. Accedunt ad orationem pro Balbo Alexis Symmachi Mazochii notæ, et ad calcem M. Antonii Ferratii ep. de lege Ælia et Fufia.

Cetera orationum volumina desiderantur, præterquam quod 1821 et 1822 Lipsiæ Greg. Gottl. Wernsdorf. Garatonii in Philippicas integrum commentarium edidit.

Quod ad epistolas attinet, exstant IV voll. ad Famil. ut vulgo vocant, an. 1777, et Rhetoricorum duo. Alterum ad Herennium, ex recens. Bumanni secundi; alterum de Inv. Rhetor. et de optimo genere dicendi.

85. Bipontina editio, 1780-87, 13 voll. in-8, non omnia edidit, sicut Ernestius. Textus, qui nullis commentariis explicatur, ab Extero et Crollio fuit collatus cum optimis editionibus, et præsertim cum Aldis et Grypho 1560, Lambino 1577, Grutero et Lallemandio. G. C. Crollius præposuit operi optimam translationem vitæ Ciceronis a Plutarcho

(1) Hujus voluminis initio excusat Garat. quod a. 1778 ad 1786 nihil emiserit, cogente chartarum pretio, nunc vero se largius regio beneficio, et novis Germanorum laboribus usurum profitetur.

Digitized by Google

scriptæ; et omnia procœmia maxima cum cura sunt exarata: sed tamen fatendum est textum, quæ pars erat operis præcipua, fuisse sæpissime temere restitutum.

85. Chr. Dan. Beckius ex anno 1795 Lipsiæ edidit quatuor prima volumina Ciceronis, quem ipse recensuit et commentariis ornavit. Hac editione orationum principia continentur. Editor lexicon quoddam Ciceronianum promiserat: videtur autem non perfecisse promissa.

87. Mussius Parmensis, Mediolanensis typographus, edere instituit opera Ciceronis absque ullo commentario. Tomus autem primus (de Offic. Cato major, Lælius, Paradoxa) solus in lucem prolatus est anno 1808, fol. quod quidem volumen accurate impressum dedicatum est Imperatori Regi Napoleoni Magno Pio Felici Augusto. Postrema autem critica editio, quæ hanc nostram antecesserit, prolata fuit a Christ. God. Schützio, Lipsiæ 1814, 1823, viginti voll. in-8, quorum nonnulla pluribus sunt divisa partibus; unde fit, ut totum opus viginti et octo voluminibus constet. Ad caput verba illa leguntur: « Magnæ Britanniæ, magnorum ingeniorum matri fecundissimæ, etc. quod gliscenti Napoleonis dominationi statim ab initio fortiter et constanter restitit, etc. » Lucro apposuit editor ille quidquid ab eo fuerat annotatum in opera rhetorices (1804) et in Epist. (1809); sed hic non ultra criticam verborum progreditur, et multo magis temere multa immutat contra manuscriptorum omnium auctoritatem: sententias totas delet, omniaque ad nutum digerit ac componit: Creuzer. etiam qui hac in re non ita consideratus est, eum quod sic agat vituperat (Præf. ad lib. de Nat. Deor. p. IX). Pars autem melior hujus editionis, novum est Ciceronianum lexicon, quod quatuor voluminibus continetur. Schützius viam ab Ernestio propositam sequutus est, sed multum amplificavit et auxit. Attamen infelici quodam fato desiderantur nova verba quæ ex fragmentis recens detectis haurire potuisset.

Digitized by Google

Nunc sumus indicaturi editionem principem omnium Ciceronis operum an. 1814 prolatorum. Nova autem fragmenta hoc ordine fuere in lucem emissa:

M. Tull. Cic. sex orationum partes ineditæ, nimirum pro Scauro, pro Tullio, pro Flacco, in Clodium et Curionem, de ære alieno Milonis, de rege Alexandrino; item antiquus commentarius ineditus, etc. ed. Angelus Maius, Mediolani, 1814, 2 voll. in-8. Altera editio prodiit Mediolani 1817, 1 vol. in-4, et in-8.

M. Tull. Cic. orationum pro M'. Fonteio et pro C. Rabirio fragmenta, etc. edita a B. G. Niebuhrio C. F. Romæ 1820, 1 vol. in-8.

M. Tull. Cic. de Republica quæ supersunt, edente Angelo Maio, etc. Romæ 1820, 1 vol. in-8.

M. Tull. Cic. orationum pro Scauro, pro Tullio, et in Clodium fragmenta inedita; pro Cluentio, pro Cœlio, pro Cæcina variantes lectiones; orationem pro T. A. Milone a lacunis restitutam, ex membranis palimpsestis bibliothecæ R. Taurinensis Athenæi edidit, et cum Ambrosianis parium orationum fragmentis composuit Amedeus Peyron, Stuttgard. et Tubing. ex libraria J. G. Cottæ, 1824, 1 vol. in-4.

Superest nunc, ut loquamur de nova editione Ciceronis a Jos. Vict. *Le Clerc* composita, Paris. *Lefevre*, 1821-1825, 30 vol. in-8. Altera editio, Paris. *Lequien*, 1823, et annis sequentibus, 37 vol. in-18. Hujus editionis textus, ex variantibus lectionibus constans, et ex meliorum manuscriptorum auctoritate scriptus, omnia novæ recensionis præ se fert indicia. Circumdatus omnibus iis quæ in Germania prolata sunt, et commentariis tum veteribus, tum recentioribus adjutus, editor nihil neglexit, ut mansurum opus conderet. Quidquid annotavit, comprobat eum nihil nisi ex manuscriptorum auctoritate immutavisse, et postquam attente perpendisset quid melius, quid pejus esse videretur.

Hæc nova recensio origo est editionis novæ a J. A. *Amar*

Digitized by Google

prolatæ Paris. *Lefèvre*, 1823-25, 18 voll. in-32. Hæc autem editio doctissimo viro J. V. *Le Clerc* dedicata, non inelegánter ejus vestigia est prosequuta : habenda est tamquam prima, quæ omnium operum textum tantummodo complectatur. Editor notas latinas servavit, et argumenta ac tabulas latino sermone expressas adjecit.

Digitized by Google

NOTITIA LITERARIA

www.libtool.com.cn

DE

M. T. CICERONE

EX JO. ALB. FABRICII BIBLIOTHECA LATINA A. JO. AUG. ERNESTI AUCTIUS EDITA, TOM. I, LIB. I, C. 8, AUCTIOR ET EMENDATIOR.

I. Ciceronis ætas. II. Laus. III. Scripta quæ exstant Rhetorica.

I. M. Tullius Cicero (1), Romanus, ex equestri familia, natus est in villa Arpinate (2), ann. U. C. 648, Q. Servilio Cæpione et C. Atilio Serrano coss. die (3) tertio januarii. An a rege Tullio duxerit originem, disputant Dausquius et N. Heinsius ad Silium, VIII, 407. Pater fuit eques, mater Helvia. Nam calumnia est Fufii Caleni ap. Dionem, lib. XLVI, patre fullone natum dicentis. Sed de majoribus Ci-

(1) Plinius, XVIII, 3 : « Jam Fabiorum [nomen] Lentulorum, Ciceronum, ut quisque aliquod optime [leguminis] sereret ».

(2) Idem Plinius, XXXIII, 18 : « Cicero Arpinas, municeps C. Marii ». Quamquam vero non natus Romæ Tullius, tamen ad decus romani sermonis plus contulit, quam sexcenti alii etiam e disertis. Sed nec Varro, nec Lucretius, nec Cæsar Romæ geniti, et multi alii insignes auctores latini aliud quam Romam natale solum habuere. Nimirum, ut Cardinalis Bembus observat, sæpius cultiores videmus scriptores prodiisse, non natos iis in locis, ubi linguæ elegantia tamquam in patria sua viget : quo majorem illi adhibent diligentiam, ut effugiant vitia et sermonem castigent, cultumque ejus ac nitorem, quem negligentiores urbani non dubitant congenitum sibi esse, studio et attentione assequantur.

(3) Cf. illustris doctrinæ viri Steph. Baluzii diss. de die natali Cic. et epist. ad Em. Cardinalem Norisium, quæ exstat ad calcem nott. in lib. Lactantii de mortibus persecutorum, ed. Trajectinæ Pauli Bauldri 1693, in-8, p. 118 sq.

Digitized by Google

ceronis v. Interpr. ad or. II in Rullum. Vitam ipsius e veteribus, ne perditos Tullii Tironis et Cornelii Nepotis libros memorem, Plutarchus scripsit, et brevius Aurelius Victor, cap. 81. Inter recentiores copiose eam atque diligenter singulari libro tradidit Franciscus Fabricius, Marcoduranus, digestam per annos ætatis, qua vixit Cicero quatuor et sexaginta. Prodiit hæc vita primum separatim Colon. an. 1563, in-8 (1), ac deinde sæpius recusa est variis formis locisque, ut notatum Tho. Crenio, parte II, animadvers. p. 193, seq. novissime Budingæ 1727, in-8. Etiam adjuncta legitur melioribus quibusdam editionibus Ciceronis, ut Gruterianæ, Hamb. 1618, fol. apud Frobenium. Ante Fabricium hoc argumentum tractaverunt Leonhardus (Bruni) Aretinus [† 1444] qui pro Plutarchi interpretatione novam ipse vitam Cic. dedit, inter Plut. parallelas latine editas plus semel excusam; tum Jac. Angelus de Scarparia, cujus narrationem de vita Ciceronis Romæ repertam an. 1553 edidit Wolffg. Peristerus, Porussus, Berol. in-8; tum Darius Tibertus, eques Cæsenas, in epitome vitarum Plutarchi edita Florent. 1501, emendatius Basil. ap. Oporinum 1541, recusa Parisiis ap. Hier. Marnes. 1560; tum Constantinus Felix Durantinus Jctus libris II de exsilio et glorioso reditu Cic. Lipsiæ 1535, in-4; tum Henr. Bullingerus, qui teste Jos. Simlero in ejus vita, fol. 8, b. vitam et encomium Cic. scripserat; tum

(1) Prima Ciceronis historiæ per Fabricium scriptæ editio prodiit Colon. ap. Maternum Cholinum, 1563, in-8, recusa est ib. an. 1570 et 1587. Repetita etiam in Veneta Manutiorum commentt. illustrata edit. opp. Cic. 1578 sqq. fol. in Wechelianis Francf. 1590, in-8, tom. I. Hanov. 1603, in-12, Francof. 1606 et 1609, in Gruteriana I Hamb. 1618, fol. Tum eam separatim rursus edidit Christoph. Heidmannus, prof. Helmst. cum breviario vitæ, actionum et scriptorum Cic. et Indd. novis 1620, in-8, quæ Amstelod. recusa 1640, et Helmst. 1672. Adjunxere hanc historiam dein J. Gronovius cum suis adnott. editioni suæ Cic. 1692, in-4. Ernestius edd. I, 1737, et II, 1752. Separatim novissime prodiit Fabricii H. C. c. adnott. Gronovii, accessit Chr. Cellarii historia explicandis epp. Cic. accommodata, cura Jo. Mich. Heusingeri, Budingæ 1727, in-8. Ca.

Digitized by Google

Christoph. Mylæus Jctus, cujus liber de vita et imit. Cic. Basil. ap. Oporinum prodiit; tum Christoph. Preyssius Pannonius, Basil. 1555, in-8; tum Seb. Corradus, vir pereruditus in Egnatio sive Quæstura, qua Ciceronis etiam mores adversus Plutarchum aliosque tuetur, Bononiæ anno eodem (1); tum Petrus Ramus in Ciceroniano, Paris. 1556. Post Fabricium memorandus etiam Lambinus in sua Cic. editione : Benedictus Herbestus, an. 1568 (2); tum Jo. Brantius, qui cum elogiis virorum illustrium e Cicerone collectis Tullii vitam chronologico ordine digessit, Antverp. 1612, in-4. Davidis Chytræi tabula Chronologica, cum Scarpariæ libello edita Berolin. 1588, in-8. Sim. Vallambertus in vita Cic. Paris. 1587, in-8. Masenius in palæstra orat. Col. Agr. 1659, tom. II, p. 229-84. Rudolphus Capellus in Protheoria Ciceroniana, Hamb. 1683, fol. Casp. Sagittarius libro de vitis Plauti, Terentii, ac Ciceronis, Altenburg. 1671, in-8; libro de lectione et imitatione Ciceronis, ibid. et in Historia vitæ ac mortis Tulliæ filiæ, Jen. 1669, in-4. Tulliæ vita nescio quo auctore Parisiis edita 1681, in-8. Vide sis etiam Petrum Lambecium lib. II de Bibl. Vindob. p. 726, seq. His accessit « The History of the Life of M. T. Cicero, by Conyers Middleton, D. D. principal Librarykeeper of the University of Cambridge, the 2d. edition Lond. 1741, in-8, in III Volumes, in præf. p. 22, as I have borrowed my Plan, so I have drawn my materials also from Cicero », ubi speciatim laudat Epistolas ad familiares et ad Atticum, velut memorias istorum temporum. Hujus loca quædam exami-

(1) Hujus Corradinæ Quæsturæ, quum sint duæ partes, una tantum vulgo edita est, nempe major, quæ de vita Ciceronis est : alteram minorem, quæ tractat loca Ciceronis, emendat, explicat, et per eorum occasionem etiam aliorum scriptorum, ignoratam fere, sed dignam lectu addidit editio Lipsiensis an. 1754, in-8, ex editione Venet. 1537, in-8.

(2) Cic. vita e scriptis et verbis ejusdem descripta opera et studio Ben. Herbesti, Roxolani, s. Rutheni patria, Noviomastensis Jesuitæ, cum diligenti chronologiæ omniumque Cic. actorum et scriptorum observatione. Francof. apud Nic. Bassee, 1568, in-4.

Digitized by Google

navit Jac. Tunstallus in Epist. ad Middletonum, de qua infra. Erudite per Middletonum compilatam scriptionem melius digessit *Prevost*, Gallus, in hist. Cic. gallice edita, quæ secundo prodiit Paris. 1749, in-4 voll. 8. His accessit Morabinus, scriptor vitæ Cic. 1745 editæ, de qua v. not. sq. Præter hos ex Germanis Georg. Lud. Goldner edidit: «M. T. Cic. patria, genus, ingenium, studia, doctrina, mores, vita, facta, res gestæ, mors»; omnia fere ex ipso Cic. ac D. Lambino collecta: tum quoque ejusd. *scripta*, etc. istorumque editt. Geræ. 1712, in-8, et I. M. Gesnerus in Chrestomathia Ciceron. Vinariæ, 1717, in-8, recusa Jenæ 1734, in-8 (1).

Ciceronis effigies exstat in nummo Magnesiorum apud Tristanum, tom. II, 429, et in alio apud Lambecium, tom. II, p. 726, ubi de corona ejus laurea, quam in Cilicia promeruit, p. 628, atque in veteri Cyriaci Matthæi marmore ibid. nec non in gemma apud Laur. Begerum, p. 71 thesauri Palatini: et in veteri anaglypho porticus serenissimi Ducis magni Hetruriæ apud Jac. Gronovium, tom. III thesauri Græcar. Antiquitatum. In plerisque tamen horum desideratur vestigium nævi sive cicerculi sub sinistro oculo, a quo Ciceronis nomen aiunt tulisse, et quem in veteri statua marmorea thoracide Venetiis vidisse se testatur Georg. Hieron. Welschius in actis naturæ curiosor. Decade I, anno 3, p. 54. Sed nomen a majoribus transmissum, ab ejusmodi Ciceronis nævo derivandum esse merito negat Conyers Middleton, «History of the Life of Cicero», t. I, p. 6 sq. rationem appellationis petens, duce Plinio, Hist. Nat. XVIII, 3, 1, ex eo, quod majores in colendo hoc genere leguminis nobiles fuerint: ut Fabii, Lentuli, etc. unde sculptores etiam veteres Ciceroni nævum ejusmodi affingentes reprehendit. De peregrinatione sua et studiis Cicero

(1) Nos Ciceronis vitam a Leonardo Aretino diligenter scriptam, infra p. 519 subjicere maluimus, quia pleniore magni viri notitia, quam ipse Plut., et maturiore rerum digestione Ciceronem expressisse nobis videtur. Ed.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

ipse in Bruto, cap. 91 seq. cui jungendæ V. C. Jo. Georgii Walchii amœnitates historicæ et geographicæ de Ciceronis peregrinatione, Lips. 1715. Quis vero non miretur Ciceronem, hominem novum, de quo ipse fere gloriatur orat. pro L. Muræna, c. 8, primo statim, quo petere eum licebat, tempore, hoc est, tertio et quadragesimo anno ætatis, consulatum Romæ et petiisse et impetrasse et gessisse tanta cum auctoritate? Cf. orat. contra Rullum, c. 1, sq. et de Catilina a Cicerone consule oppresso Excerpta Peiresciana, p. 797, et Oratt. Catilin. Plutarchum, Sallustium, etc. Consulatus sui res gestas breviter celebrat Cicero in Pisonem, c. 2, 3, et reditum ab exsilio, c. 15. Historiam exsilii Ciceroniani gallice diserto stylo scripsit Morabinus, Paris. 1725, in-12, vitam integram pollicitus (1) ususque notis ineditis Abbatis *de San Real* in librum tertium et quartum Epistolarum ad Atticum. Eadem anglice etiam versa prodiit Lond. 1726, in-8. Ante Morabinum de exsilio Ciceronis latine scripserat Hortensius Landus et Constant. Felicius Durantinus, cujus alter etiam libellus exstat de glorioso ejus reditu, quem composuit annos natus non plures quam septemdecim. Observationes de vita Ciceronis separato libello Lond. 1731, in-8, nescio quo auctore anglice editæ. Nummus in Ciceronis ex Cilicia triumphum apud Begerum, tom. II thesauri Brandenburg. Consulere etiam juvabit ejusdem Begeri examen dubiorum quorumdam, ubi Ciceronem Proconsulem non Ciliciæ tantum, sed Cypri (2) quoque et (partis) Asiæ fuisse disputat. Berolin. 1704, fol.

Uxorem ipsius Terentiam fuisse, sororem Fabiæ Terentiæ virginis Vestalis, notat Plutarchus in Catone minore, p. 768. Filius Ciceronis, Marcus Tullius, ex paterno in-

(1) Promisso stetit. Edidit enim ille *Histoire de Cicéron, avec des remarques historiques et critiques.* Paris. 1745, 2 voll. in-4, et 1746, 2 voll. in-12, apud Phil. Nic. Lottin.

(2) Cicero de Divinatione, libro et capite I: « Cilicum autem et Bithynorum gens, et his finitima Pamphylia, quibus nationibus præfuimus ipsi, etc. »

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

genio nihil admodum habuit præter affectationem urbanitatis, sive jaciendi joci, cujus exemplum affert Seneca suasoria ultima. Non minus tamen ac pater consulatum obtinuit, gessitque eodem quo Augustus an. U. C. 723, suffectus ex idibus sept. Et in consulatu suo auctor fuit, ut statuæ, imagines, ornamenta M. Antonii omnia dejicerentur, sancireturque edicto, ut ex Antoniorum familia nemo Marcus nominaretur. Vide Plinium, XXII, 6, et Plutarchum in Ciceronis patris vita, p. 886; Appianum quarto Civilium, p. 619; Dionem, p. 456 seq. etc. Nummus Ciceronis filii, triumviri monetalis, apud Lambecium, tom. II, p. 738. Multi sunt in hujus Ciceronis filii laudibus efferendis scriptores duo recentiores, quorum unus latine, alter gallice vitam ejus consignarunt, et simul nonnulla attigerunt de rebus patris, fratrisque ejus Quinti, et quem hic habebat filium cognominem, Quinti Ciceronis. Latinus quidem, raro obvius, scriptus diligenter tersoque stylo, non indignus mihi visus, quem prelo iterum subjici curarem Hamburgi 1729, in-8, una cum Andreæ Schotti Cicerone patre a calumniis vindicato. Titulus libri est (1) : « M. Tullii Ciceronis vita, continens rerum quum ab aliis, tum ab ipso domi forisque præclare gestarum historiam, Simone Vallamberto, Heduo Avalonensi auctore ». Paris. apud Barthol. Macæum, 1587, in-8. Auctor posterioris, quæ gallice lucem vidit Hagæ, 1715, in-12 (2), *Histoire des quatre Cicérons*, ex Vallamberto profecit, licet vix usquam commemoret nomen, nisi p. 222, vitiose Valember pro Vallamberto.

De Tullia Ciceronis filia et genero Dolabella (3) eruditam observationem leges in Acerra Philologica Hallensi germanice ann. 1715, in-8, edita p. 533, seq. De fano, quod Tulliæ filiæ suæ defunctæ Cicero monumentum dedicasse se innuit XII, 25, 27, ad Atticum, dissertatio Nicolai Mongalti in-

(1) Henr. Jo. Butemeisteri programma Witeb. 1720.

(2) Acta Erud. a. 1715, pag. 155; *Journal littéraire*, tom. V, pag. 118; *Neue Bibl.* XXXIX, pag. 188.

(3) Duo Dolabellæ, de quibus Grævius ad Suetonii Cæsarem, p. 776.

Digitized by Google

serta Memoriis Academiæ Regiæ inscriptionum, vulgatis gallice tom. II, p. 473. Sed de Ciceronis uxore, liberis, videndus inpr. Corradus in Quæstura.

www.libtool.com.cn

In Academiam et thermas Ciceronis, quæ oculis medebantur, argutum Epigramma Laureæ Tullii, ejus liberti, servatum est a Plinio, XXX, 2.

De clade Ciceronis patris vid. Plutarchus in vita ejus, p. 884 seq. Joannes Antiochenus in excerptis Peirescianis, p. 798; Valerius Max. V, 3, 4; Martialis, III, 66, et quæ ex Livio et Severo Seneca suasor. VII, e recentioribus Jo. Conradus Dietericus in vita Augusti Imp. p. 78 seq. et Theodorus Gorallus sive Jo. Clericus ad fragmentum Cornelii Severi dedere.

Desiderii Lignaminei, Patavini ad Jo. Baptistam Privitellium Cenetensem descripta et Venetiis ann. 1557, edita facies monumenti Ciceronis, reperti, ut aiunt, ann. 1544 in Zacyntho insula cum inscriptione «M. Tylli Cicero Have et tu tertia Antonia», cumque urna inscripta verbis «Mar. Tul. Ave», et vasculo excipiendis lacrymis, recusa exhibetur in ampliss. Viri Burchardi Gotthelf Struvii Bibliotheca librorum variorum, theca I, Jen. 1719, in-4.

S. Hieronymus (cujus Epistolæ selectæ sub Tullii Christiani nomine a Monacho quodam Benedictino vulgatæ sunt Parisiis ann. 1718, in-12.) Eustochio suæ Epist. 22, narrat, febricitanti sibi visum se coram divino tribunali vapulare, quod Ciceronianus magis esset quam Christianus. Pro re vere gesta accipiens Blæsensis Epist. 140: «B. Hieronymus, inquit, fere usque ad internecionem flagellatus est ab Angelo, quia rhetorici lepore sermonis illectus vanitati operam dabat». In corpore Canonico Can. legimus 7, distinct. 37: «Legimus de B. Hieronymo, quod quum libros legeret Ciceronis, ab Angelo est correptus eo, quod vir Christianus paganorum figmentis intenderet». Aliis somnium, quod ipse alibi firmat Hieronymus: aliis, ut Heumanno(1), merum

(1) Anno ætatis Hieronymi XXXII. Vide Tillemont. Memor. Histor. Eccles.

Digitized by Google

est commentum Hieronymi. Sed nihil impedit, quo minus fuerit somnium ex iis, quibus videmur nobis vigilare et tamen somniamus, quod febricitantibus sæpius accidere est notissimum.

II. Verissime prodidit Velleius, I, 17: « perfectum prosæ eloquentiæ decus sub principe operis sui Tullio erupisse»: atque S. Hieronymus, « in arce eum Romanæ stetisse eloquentiæ ». Quæ enim vis, quæ suavitas, quanta copia in ejus oratione, quæ dignitas, quanta rursus abundantia rerum, honestas sententiarum! quumque familiariter agit cum amicis ac necessariis suis, quantus in simplicitate inimitabili nitor, quantus delectus verborum! ecquod porro doctrinæ genus, quæ pars, quam ille ingenio suo non dicam attigerit, sed mirifice illustrarit et amplificarit! quid tam abstrusum aut difficile, quod pro illo usu rerum et doctrinæ, qua abundabat, ubertate non potuerit explicare facillime atque quam pulcherrimis luminibus exornare! Ex innumerabili autem multitudine eorum, quibus admirabilis semper Cicero visus est, Stephano Doleto etiam *Deus*, unum dumtaxat adscribemus testimonium Plinii, Hist. VII, 30 : « Salve primus omnium parens Patriæ appellate, primus in toga triumphum linguæque lauream merite, et facundiæ latinarumque literarum parens : atque ut dictator Cæsar, hostis quondam tuus, de te scripsit, omnium triumphorum lauream adepte majorem, quanto plus est ingenii romani terminos in tantum promovisse, quam imperii ». Antonii Schultingii erudita oratio de Jurisprudentia Ciceronis subjuncta est viri illius clarissimi dissertationibus editis Franequ. ann. 1708, in-4, et recusa ad calcem dissertationum ejus de recusatione judicis Lugd. Bat. 1714, in-4, nec non post Cujacii, Ruperti et Bynkershoekii notas ad Pomponium de origine juris, p. 309 seq. Halæ 1735, in-4. Quamquam, Ciceronem JCtum non fuisse, disputat. Nempe non

tom. XII, pag. 24 sq. Cherubini a S. Josepho apparatum Biblicum, tom. I, pag. 380 sq.

Digitized by Google

fuit professione, et qui ab aliis consuleretur et operam scribendo, cavendo, respondendo navaret, sed juris peritum fuisse nemo negat: nam alias causas civiles in foro agere non potuisset. Add. Cornelium van Bynkershoek in Opusculis varii argumenti, p. 83-90, de quibus opusculis vide Acta Erud. an. 1720, p. 111 et 116 seq. Nicolai Harscheri diatribe de divinatione Ciceronis (Reip. mutationem præsagientis) in exemplum divinationis civilis proposita Marpurg. 1710, in-8. Jac. Perizonii oratio inauguralis lectu dignissima, de Ciceronis eruditione et industria, proposita in exemplum juventuti Academicæ. Franequ. 1682. Jo. Sam. Bergeri Cicero Medicus, Witeb. 1711. Jo. Casp. Haferungii Cicero Theologus, Witeb. 1701. Jo. Philippi Treuneri diss. de Theologia Tullii, Jenæ edita. Ex utroque horum, sed longe magis ex ipsa Ciceronis lectione constare puto, alienum fuisse ipsum ab errore Epicuri, quem illi impingit Jo. Matthias Gesnerus, qui in Chrestomathia Ciceroniana, libro utilissimo alioqui et commendando adolescentibus, p. 277, providentiam divinam ab Cicerone negatam fuisse affirmat.

Vim dictionis Tullianæ innuere videtur Ennodius, Epist. V, scribens de Avieno : « Aurum Demosthenis et ferrum Ciceronis expendit ». Idem Epistola XVI : « Adhibita, credo, adversus me fuisset Tulliani profunditas gurgitis, Chrysippi proprietas, Varronis elegantia ». Manus Ciceronis, sive chirographa ejus, adhuc superabant temporibus Quintiliani, quo judice, X, 1, Tullius effinxit vim « Demosthenis, Platonis copiam, et Isocratis jucunditatem »; atque, ut ait Vell. effecit, « ne quorum arma vicerant Romani, eorum ingenio vincerentur ». Hieronymus prologo quæstionum Heb. « Sed et Tullius, qui in arce eloquentiæ romanæ stetit, rex oratorum et latinæ linguæ illustrator, repetundarum accusatur a Græcis ». Similiter *Regem eloquentiæ* appellat Paschasius Ratbertus prologo in Evangelium Matthæi. Et Themistio græco scriptori oratione XIII ad Gratianum Imp.

Digitized by Google

p. 173, audit ὁ πάνσοφος Τούλλιος, ὁ τῆς παλαιᾶς Ῥωμαίων σοφίας ἡγεμών, « qui nihil ignoraret, dux et auctor veteris Romanorum sapientiæ ».

www.libtool.com.cn

III. Ex scriptis Ciceronis exstant :

1. Libri II, qui vulgo de Inventione inscribuntur, soli tulere ætatem e libris quatuor, quos fecerat adolescens de arte Rhetorica. Confer Vossium de natura Rhetoricæ, cap. 13, p. 91. In duos illos libros edita sunt commentaria rhetoris antiqui Fabii Marii Victorini (de quo infra libro IV) cum variis Ciceronis scriptis, Venet. 1490, Mediolano 1498, et separatim Paris. apud Rob. Stephanum 1537, in-4, atque una cum variorum Commentariis in universos Rhetoricos Ciceronis libros, additis Marini Becichemi castigationibus Basil. 1541, fol. ac denique inter antiquos Rhetores latinos collectos et editos a Francisco Pithœo, Paris. 1599, in-4.

Libri duo de Inventione, ab initio sub titulo *Rhetoricæ veteris* prodierunt, quemadmodum libri ad Herennium nuncupantur *Rhetoricæ novæ*. Itaque et a Georgio Trapezuntio per Rhetoricam veterem libri de Inventione denotantur, non libri ad Herennium, ut sibi persuasit Balthasar Gibertus (1) : idque recte observatum in Diario Lipsiensi (2). At verba hæc, Commentarii in libros ad Herennium, non sunt Marii Fabii Victorini, qui in illos non scripsit, sed recentis scriptoris : « Nova Rhetorica (vocantur libri ad Herennium) ad differentiam veteris, quam in adolescentia scripsit [Cicero] de qua in Oratore ait : *Qui libri nobis exciderunt*, etc. » Hos libros cum iis, qui sunt ad Herennium, primum editos habemus Venetiis, 1470, fol. per Nicolaum Jenson, cum his versibus ad calcem :

Emendata manu sunt exemplaria docta
Omniboni, quem dat utraque lingua patrem.
Hæc eadem Jenson Veneta Nicolaus in urbe
Formavit, Mauro sub duce Christophoro.

(1) *Jugements sur les auteurs de la Rhétorique*, tom. I, Paris. 1713.
(2) *Neuer Bucher Saal*, XXIX, pag. 319.

Digitized by Google

Ejus editionis exemplum repetitum est sæpe etiam cum ipsis illis versibus, ut Mediol. 1474, et sine loci et anni notatione 1476. Venet. 1479, per Phil. Condam; 1481, per Baptist. de Tortis; 1483, per Jo. de Fortivio, item 1486, 1488, 1490, 1493, etc. Post correctio adhibita est paullatim textui horum librorum maxime ab Aldo in editione Rhetoricorum Ciceronis 1514, in-8, qui tamen textum nimis multis locis, sæpe non bene mutavit. Ante ann. 1508, in-8, Florentiæ ap. Juntam eosdem libros ediderat Laur. Romuleus Flor. qui textus fere consentit cum textu Mediolanensi Operum Ciceronis 1498. Ceterum textus Aldinus deinde basis omnium editionum factus est. Habemus et ed. s. l. et a. 8, quæ videtur initio sæc. XV, facta esse Lugduni. Nam iisdem literis et eodem insigni habemus editionem Quintiliani, quæ se Lugdunensem profitetur.

Posthæc hos libros edidere separatim, etiam emendare studuerunt Nascimbenus Nascimbenius Venet. 1563, in-4, additis etiam notis, item J. Mich. Brutus Lugd. 1570, in-12. Recentissime Lugd. B. 1761, in-8, cum libris ad Herenn. editi sunt a P. Burmanno sec. cum not. integris Lambini, Ursini, Gruteri, Jac. Gronovii et excerptis aliorum, item Lect. Var. et notis postumis Grævii: additis in fine notis Bruti, et ineditis Fr. Oudendorpii, in quibus textus emendationes e libris scriptis et edd. pr. propositæ sunt diligenter collatis.

2. *Dialogi III, de Oratore*, ad. Q. Fratrem, quos ipse laudare non dubitavit: et est iis nihil excellentius in hoc genere: ad Att. XIII, 19; et Div. I, 9, Top. 25, 26.

Prima editio facta est in monasterio Sublacensi per Sweinhemium et Panarz. 1466 aut 1467, f. ut docet Mermannus Origg. typogr. p. 246. Sequuta est altera Romana 1468, per Ulricum Han, de Vienna. Hanc excepit Waldarferiana, ann. 1470, quæ et repetita est 1472. Huic proxima esse videtur Mediolanensis 1477, f. per Lavagniam: nam ea, quæ exstat s. l. et an. utrum præcesserit eam, an sequuta sit, in-

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

certum est. Mihi tamen illud placet, sed hæc, quæ est s. l. et a. correctior est superioribus, quam et Mediolanensis in Operibus 1498, plerumque sequuta est. De ea vid. et Maittaire, t. IV, part. II, p. 750. Exemplum ejus est in Bibliotheca Lips. Paullina. Porro 1478 editi sunt Venetiis per Andr. Katharensem, qua usus est Pearcius. Cum Omniboni Comm. rursus 1485, f. Sæculo sequente Lucas Robia Flor. 1414, in-8, ap. Juntas edidit. Basin fecisse videtur textum Mediolanensem 1498 (in Opp.), quem passim tamen mutavit: sed moderatius Aldo, qui eodem anno hos libros inter ceteros rhetoricos edidit. Separatim etiam edidit Phil. Melanchthon Hagenoæ 1525, in-8, cum notis brevibus, et, nescio quis, Lipsiæ 1517, f. non certe indoctus vir. Post operæ pretium fecit Jac. Lud. Strebæus, qui hos libros edidit cum docto Commentario Paris. 1540, f. Paucis annis ante 1533, ibidem cum notis ediderat Audomarus Talæus (1), ut alios obscuros mittamus. Oxonn. 1696, in-8, edidit hos libros Thom. Cockmannus additis excerptis lectionum e MSS, edd. et notulis: haud paullo melius Zach. Pearcius, post Episcopus Oxon. 1716, et iterum 1732, in-8, emendato e MSS et edd. vett. duabus textu, et locis difficilioribus explicatis. Nam Jac. *Proust* ed. in usum Delphini Paris. 1687, in-4, repetita etiam Oxon. ea vero nihil est (2). Præter Strebæum etiam alii loca quædam vel emendare vel explicare instituerunt, ut Marinus Becichemus Scodrensis, cujus castigationes exstant in corpore Basileensi Commentariorum in Ciceronis libros Rhetoricos: correctiones ipsas fere in margine indicavit Ascensius ed. 1511. Ben. Averanni Diss. in lib. I de Or. in Opp. ejus t. II, multas res illustrant, quarum in iis mentio est: suntque lectu jucundæ et utiles.

(1) In Aud. Talæi opp. quæ Basil. ex offic. Pernæa per Conr. Waldkilch. 1584 prodiere, reperiuntur Cic. III libri de Orat. Ejusdem Topica et Partitt. Orat. cum Talæi commentt.

(2) Novissime cum animadversionibus interpretumque suisque edidit Theoph. Cph. S. Harles, Norimb. 1776, in-8.

Digitized by Google

Locum *de jocis* lib. II, 54, separatim illustravit Adr. Turnebus (1). Libertus ejus M. T. Tiro collegerat libros III jocorum Ciceronis, Is. Voss. de Hist. lat. I, 17. Jonsius de Script. Hist. Phil. III, 17. Multos e Plutarcho, Quintiliano, Macrobio aliisque collegit F. Vavassor de dictione ludicra, p. 328, sq. adde Passeratii præfationem de ridiculis Ciceronis, et A. Schottum in Cicerone vindicato a calumniis, cap. 5, 6. Exstat horum librorum versio Italica Ludovici Dulcis cum paucis ejus notis, subjectis ad calcem voluminis, quæ lucem vidit Venetiis 1554, in-12 (2). Gallica versio Paris. 1673, in-8 (3). Anglica auctore G. P. Lond. 1725 (4).

3. Brutus sive dialogus *de claris Oratoribus*, quem, fuisse olim, qui in tres partes secarent, quum unus a suo auctore sit editus, testatur Hieronymus præf. in Paralipom. Hunc primum ex codice MS descripsisse se, et in manus hominum dedisse gloriatur Blondus Flavius in Italia illustrata, p. 346 : « Quum in Quintiliani Institutionibus et ad Atticum Epistolis nostrorum Italia adolescentium ingenia desudarent, Gasparinus Bergomensis, grammaticus rhetorque celeberrimus, Venetiis meliori solito doctrina nonnullos erudivit, plurimos ad ea imitanda studia incitavit : florebantque jam et fama celebrabantur Petrus Paulus Vergerius, Omnibonus schola Patavinus, et natu majores Leonardus Aretinus, Robertus Rossus, Jacobus Angeli et Poggius ac Nic. Mediceus, quem præceptor domi assiduus erudierat Aretinus, Guarinusque Venetiis et Victorinus Feltrensis Mantuæ multos cœperant erudire, quum Philippus Mediolanensis dux tertius, Casparinum a Bergomo subditum

(1) Joci lib. II de Orat. explicati per A. T. Paris. 1555, in-4.

(2) Repetita ibid. 1745, in-4. Novissime vertit *P. Contova*, S. I : *I tre libri dell' Oratore di M. T. Cicerone recati in lingua Toscana a riscontro del testo Latino.* Mediol. 1771, t. III, in-8. Auctor simul obss. variasque lectt. addidit.

(3) Adde : *Traduction du traité de l'Orateur de Cic. avec des remarques, par l'abbé Collin*, Paris. 1737, in-12.

(4) Germanicam versionem publici juris fecit Jo. Mich. Heintze. Helm. 1762, in-8.

Digitized by Google

hominem invitum Mediolanensibus edocendis Padua et Venetia evocavit. Ubi id maxime adjumenti studiis eloquentiæ attulit, quod repertus Laude a summo viro Gerardo Landriano tunc ibi Episcopo multis maximisque in ruderibus codex Ciceronis pervetustus, et cujus literas vetustiores paucissimi scirent legere, ad ejus perveniens manus interitum evasit. Continebat is codex præter rhetoricorum novos et veteres, qui habebantur, tres quoque de Oratore integerrimos, Brutum de Orr. claris et Oratorem ad Brutum M. Tullii Ciceronis : unde liberatus est bonus ipse vir Gasparinus ingenti, quem assumpserat, labore supplendi, quoad poterat, librorum de Oratore defectus : sicut diu antea in Quintiliani Institutionibus multo labore suppleverat. Et quum nullus Mediolani esset repertus, qui ejus vetusti codicis literam sciret legere, Cosmus quidam egregii ingenii, Cremonensis, tres de Oratore libros primus transcripsit, multiplicataque inde exempla omnem Italiam desideratissimo codice repleverunt. Nos vero quum publicis patriæ tractandæ negotiis adolescentes Mediolanum adiissemus, Brutum de claris Oratoribus primi omnium mirabili ardore ac celeritate transcripsimus, ex quo primum Veronam Guarino, post Leonardo Justiniano Venetias misso, omnis Italia exemplis pariter est repleta ». In hac narratione sunt quædam partim falsa, ut mox videbimus, partim incerta. Nam in hoc quidem, de quo nunc agitur, contrarium habet Decembrius in Polit. lit. p. 33, qui primum innotuisse Brutum, ait, per Guarinum Veronensem : sed id non multum refert.

Typographorum quidem arte primum publicatus est Romæ per Sweinhemium et Panartium, una cum ceteris minoribus rhetoricis libellis : idque corpusculum repetitum est, ut putamus Venet. 1485, ap. Andream Asculanum. Separatim postea editus non est. Proprium enarratorem habuit insignem Seb. Corradum, cujus Comm. editus est Flor. 1552. Exstat et Cœlii Sec. Curionis Comm. editus

www.libtool.com.cn
Digitized by Google

Basil. 1564. Addantur Jo. Rivii Castigationes, qui editione Rom. usus est et Veneta : ut taceamus Aul. Ant. Palmyreni Scholia, quæ in collectione Basil. reperiuntur. Idem Brutus gallice a Girio versus est Paris. 1670, in-12, exstantque et *Entretiens de Cicéron sur les orateurs illustres*, Paris. 1725, c. selectis e Vet. Test. historiis in usum scholarum, *Mém. de Trév.* 1725, p. 1207, et cum Or. anglice a M. L. Jones, Lond. 1776, in-8.

4. *Orator*, sive *de optimo genere dicendi*, ad M. Brutum scriptus est ann. Urb. 708, quum M. Brutus Galliam cis Alpes teneret. Vide Henr. Norisium ad Cenotaphia Pisana, p. 271. Exemplum primum repertum est a Gerardo Landriano, Laudis Pompeiæ Episcopo, missumque Gasparino Barzizo, ut describeretur et corrigeretur. Sunt, qui hoc de libris de Oratore tribus tradant, etiam veteres, Sabellicus de L. L. reparatione, et Blondus antè memoratus, item ipse Furiettus, vitæ Barzizianæ scriptor. Sed Barzizius ipse in epistola ad Gerardum, in qua ei gratias agit, et apographum (a Cosmo Cremonense factum) mittit, diserte *oratorem* appellat, eumque unum. In eadem Epistola est descriptio codicis, quem vocat « vetustissimum, sed pæne ad nullum usum aptum ». Ex eo porro exemplo, sic descripto, omnia alia et scripta et formulis expressa exempla fluxere : unde de textu ejus libri judicare in promptu est.

Editiones antiquissimæ sunt eædem, quæ Bruti : quas sequutæ sunt eæ, quæ sunt in universorum Ciceronianorum Corporibus, Mediolanensi, etc. Præter has habemus Lipsiensem, factam ann. 1515, f. ab Hermanno Tulichio, ex ed. Rom. factam maxime, variis Lectt. in marginem rejectis : Parisiensem, 1542, in-4, ap. Fr. Gryphium : quæ tamen nihil profuerit cuiquam. Profuere ei libro Strebæus, Victor Pisanus, Jo. Rivius et Melanchthon, quorum notæ sunt in Corpore Comm. Basileensi.

5. *Topica* ad C. Trebatium JCtum primum cum Oratore edita sunt Romæ et Venetiis. Separatim a ceteris quum

Digitized by Google

prodiere, fere adjunctum habuere Boethii Commentarium, ut Paris. 1542 et 1547, 1557, 1561, in-4. Sic et Phil. Melanchthon edidit additis Scholiis suis, Viteb. 1524, in-8; et Hagenoæ, 1533, in-8. Illustrarunt Topica etiam Achilles Statius, qui cum eruditis notis Topica edidit, Lovan. 1552, in-8, atque Antonius Goveanus, Paris. 1545, in-8. Ed. Camerarii c. commentatiunculis, Lips. 1549, cujus dedicatio scripta 1544. Appendix quoque ad explanationes Statii exstat edit. Antverp. 1553, in-8. Alios interpretes reperies in Collectione Basileensi, ut Georgium Vallam, Jo. Visorium, Barth. Latomum et Hegendorphium. Cum Jo. Visorii et Barth. Latomi comm. prodiere Lugd. 1541, in-8. Cum commentariis Georgii Vallæ, sine anno et loco fol. Cœlii Secundi Curionis in Topica commentarius Basil. 1553, in-8. Denique Joannes a Reberteria Turonensis, JCtus Parisiensis, dignus Duareni discipulus, vulgavit libros quatuor Topicon juris, Paris. 1575, in-8; Viteb. 1590, in-8, quibus Ciceronis Topica illustrantur supplenturque.

6. *De partitione Oratoria* Dialogus, quo filius e patre Cicerone latine accipit, quæ eidem de ratione dicendi græce tradiderat. Hunc conjecturis quibusdam, sed levibus, judice Vossio, Ciceronis esse negat Angelus Decembrius, lib. I de Politia literaria, p. 62. Majoragii Commentarius in Tullii partitiones lucem vidit Venetiis, 1587, in-4. Scripsere etiam in hunc librum Jo. Sturmius, rhetor sua ætate insignis (cujus 4 dialogi partitionum contextum habent insertum, Arg. 1539 et 1558, in-8. Deinde accessit J. Bentzii epitome partitionum M. T. C. cura Jo. Sturmii recognita et perspicuis exemplis illustrata. Arg. 1593, in-8), Vitus Amerbachius, Cœlius Secundus Curio, et, qui in collectione commentariorum Basileensi occurrunt Georgius Valla, Jac. Ludovicus Strebæus, Barthol. Latomus (Colon. 1558, in-12), et Christophorus Hegendorphius. Prodiere etiam partitiones cum tabulis Claudii Minois Paris. 1582, in-4. Editiones primæ sunt eædem, quæ Oratoris et Topicorum. Exstat vero

www.libtool.com.cn
Digitized by Google

etiam ed. an. 1472, in qua Topicis junguntur; vid. *Maittaire*, Ann. typ. tom. III, p. 319, t. V, p. 282.

7. *De optimo genere Oratorum* brevis disputatio, quam Cicero *prologi* vicem (1) præmiserat orationibus contrariis Demosthenis atque Æschinis latine a se conversis. Hanc translationem intercidisse, vehementer dolendum est, quoniam Cicero illas orationes, velut exemplar Atticæ ejusque consummatissimæ eloquentiæ, de industria delegerat, ac Romanis suis ad imitandum proposuerat. Achillis Statii Commentarius in hunc libellum editus est Lovanii 1562, in-8. Jo. Antonii Viperani Antv. 1581, in-8 (2).

8. *Libri quatuor Rhetoricorum ad C. Herennium* (3) cognatum ac familiarem suum, quos Ciceroni diserte tribuit S. Hieronymus libro I in Rufinum atque præfat. ad Abdiam, itemque non uno loco Priscianus, sed et Lupus Ferrariensis (ut videtur) Epistola prima ad Eginhartum : atque Ciceroni præter Antonium Marinellum aliosque singularibus diatribis vindicatum ivere Georgius Caspar Kirchmaierus, et Jo. Petrus Ludovicus in Academia Hallensi professor, Leonardus Aretinus, Dionysius Lambinus, Marinus Becichemus Scodrensis, qui ab adolescente scriptos (4) putat in diss. quod libri ad Herennium a familia Ciceronis amoveri non debeant, et Angelus Bucinensis in defensione

(1) Asconius Pedianus in orat. pro Milone tamen librum appellat : « Non tantum ex oratione et annalibus, sed etiam ex libro apparet, qui Ciceronis nomine inscribitur de optimo genere Oratorum ». Respicit autem hæc verba, quæ capite 4 leguntur : « Sed si eodem modo putant, exercitu in foro et in omnibus templis quæ circum forum sunt collocato, dici pro Milone decuisse, ut si de re privata ad unum judicem diceremus, vim eloquentiæ sua facultate, non rei natura metiuntur ».

(2) J. P. Rami prælectt. in Cic. de opt. gen. or. prodiere Basil. ap. Pernam, 1575, in-4, et accessere ejusd. præl. in octo consulares oratt. ibid. 1580, in-4.

(3) Lib. IV, cap. 69 : « Nam et simul libenter exercemur, propter amicitiam, cujus initium cognatio fecit, cetera philosophiæ ratio confirmavit ».

(4) Huic sententiæ repugnat quod lib. I, cap. 20, exempli loco affertur : « Tullius heres meus Terentiæ uxori meæ triginta pondo vasorum det quæ volet ». Atqui Tullius Ciceroni natus anno ætatis quadragesimo tertio.

Digitized by Google

pro Rhetoricis ad C. Herennium Philippo Strozæ dicata. Becichemi et Bucinensis diatribæ occurrunt in collectione Commentariorum Basileensi in libros Ciceronis Rhetoricos. Audacter etiam pro Cicerone auctore pugnat Tranquillus Tamyras in Hexasticho, quod in antiquis editionibus legitur :

www.libtool.com.cn

Dic quibus, o lector, validis rationibus instes
Hoc non esse, sacri est quod Ciceronis opus?
Non hic ingenium, non spectas flumina linguæ?
Non cernis variis dicta ministeriis?
Qui negat hoc, cæli tandem, reor, astra vetabit,
Et maris esse undas, et gramen esse soli.

Sed viri in lectione Ciceronis versatissimi, tum avorum nostrorum memoria, tum nostra ætate, e quibus vel unum juvat honoris causa appellare Conr. Samuelem Schurtzfleischium, communibus suffragiis, Tullio hos libros abrogant, tribuuntque vel L. Cornificio (1) patri, ad quem Ciceronis Epistolæ exstant, vel L. Cornificio filio, qui anno Urb. cond. 719 consul fuit, et de rhetorica arte scripsisse e Quintiliano intelligitur : vel Ciceroni filio (2), aut Laureæ Tullii Ciceronis liberto, qui et ipse Cicero vocabatur, vel Tullio Tironi, quem inter rhetores memorant Plinius ac Suetonius : vel M. Gallioni (3), cujus nomen in antiquissimo codice librorum ad Herennium romano, licet ab alia manu deletum, comparuisse refert Aldus Manutius Pauli F. Epi-

(1) Ita P. Victorius, Paulus et Aldus Manutii, Adr. Turnebus, Muretus, Sigonius, Riccobonus in diss. adversus Marium Martium, Barthius in Advers. et Glandorpius in Onomast. Andr. Dounæus ad Chrysost. tom. VIII, pag. 340. Vide etiam Jo. Rainoldum, prælect. XX, de libris apocryphis, t. I, p. 166, et Vossium de natura Rhetoricæ, cap. 13, pag. 92, 93, qui pro Cornificio filio, librorum ad Herennium auctore, disputat.

(2) Hæc sententia placuit Nascimbenio in lib. II Cic. de Invent. ut eidem Vossio notatum.

(3) Gallionis inter rhetores meminit Seneca et auctor dialogi de causis corruptæ eloquentiæ. Idem forte ad quem Ovidius, IV, 11, de Ponto. Gallioni libros ad Herennium tribuit et Jul. Cæsar Scaliger.

Digitized by Google

stola ad A. Naugerium : vel Virginio Rufo (1), quem voce et scriptis eloquentiam docuisse Neronis temporibus, tradunt Tacitus et Quintilianus ; vel Timolao denique, uni e xxx tyrannis, quem ad Herennium fratrem scripsisse auctor est Trebellius Pollio. At enim quicumque demum sit auctor, quem uti Ciceronem esse vehementer negat, ita « non mediocriter doctum virum fuisse et Rhetorica arte diligenter scripsisse », recte profitetur Franc. Floridus Sabinus, libro I lectionum subseciv. cap. 4 [pag. 1033, tom. I facis Artium Gruterianæ], certe non longe abfuisse ab ætate Ciceronis, libenter mihi persuadeo : tametsi ante ætatem Augusti scriptos non esse ex Gellii XIII, 6, colligit Christianus Falsterus, parte III amœnitatum philol. p. 286. Herennius, ad quem scripti sunt hi libri, qui fuerit, dici non potest. Contra non Cicerone modo, sed etiam Cornelio Celso et vel mediocri Celsi auditore [qui et ipse de Rhetorica scripsit] indignos esse ad Herennium libros disputat Franciscus Floridus Sabinus, libro I lect. subseciv. c. 4, tom. I Lampadis artium Gruterianæ, p. 1037. Sed totam hanc rem, qui accurate explicatam et disputatam cognoscere velit, adeat P. Burmannum Secundum V. C. in præfatione ad editionem eorum librorum, de qua mox. Quisquis vero fuit auctor (certe non Cicero), doctore Hermete se usum innuit, lib. I, cap. 11 : « Causarum constitutiones alii quatuor fecerunt, noster Hermetes tres putavit esse ».

Horum librorum editiones antiquæ pleræque sunt eædem, quæ librorum de Inventione, quibuscum sub titulo, *Rhetoricorum veterum et novorum* conjuncti sunt. Separatim editorum exempla hæc cognovimus. 1° Romæ, an. 1474, fol. per Vendelinum de Vila in artibus magistrum ; 2° 1477, f. Paris. et Papiæ ; 3° Mediol. 1479, per Henr. de Cataneis, ap. Scinzeler et Pachel. 4° Friburg. an. 1492, in-4, editore Jo. Curto de Eberspach ; 5° S. l. et a. f. ejusdem sæculi,

(1) Hæc Raphaelis Regii conjectura est in diss. an Rhetorica falso sit inscripta ad Herennium.

Digitized by Google

sed sine dubio in Germania facta, cujus exemplum e bibliotheca Comitis Wernigerodani missum est; 6° Cracoviensis an. 1500, in-4, cum præf. Raph. Regii, unde patet esse repetitionem exempli Italici Jo. Mich. Toxitæ, cum ipsius notis Basil. 1558, in-8. 7° Giberti Longolii cum brevibus scholiis in margine Antverp. 1536. 8° Ulr. Zasii, Bas. 1537, in-8.

Interpretes multos nacti sunt hi libri, toties ad usum studiosorum eloquentiæ editi, fere eosdem cum libris de Inventione. Veteres reperiuntur in Collectione Basileensi: qui vix hodie leguntur. De ceteris, qui exemplis suis notas addidere, dicere separatim, non est necesse.

Corpus quoddam facere vel plurium vel universorum horum operum rhetoricorum mature cœptum est: primum in libris ad Herennium et de Inventione: deinde in ceteris minoribus libris, Bruto, Oratore, Topicis, Partitionibus, et a Sweinhemio et Andr. Asculano. Ad extremum omnes conjuncti sunt, primum ab Aldo seniore Venet. 1514, in-8, maj. Cujus textus pro basi deinde fuit editoribus horum librorum; idque institutum imitati sunt alii extra corpus universorum operum, Venet. 1533, in-8 (1); Genev. 1621, in-8, cum Lambini notis; Paris. 1681, in-4, in usum Delphini a Jac. *Proust.*

(1) Adde c. n. Varr. Basil. ex of[illegible]. Winter. et Plat. 1541, fol. Paris. apud R. Steph. 1546, in-16. Colon. 1557, in-12.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn



Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn



Digitized by Google

BREVIARIUM (1)

www.hbtool.com.cn

VITÆ, ACTIONUM ET SCRIPTORUM CICERONIS.

ANN. MUNDI 3876.
AN. U. C. CAT. 647, VARR. 648. ÆT. 1.

Natus est M. Tullius Cicero III non. jan. votis ipsis, matre Helvia, patre Arpinate; Plutarch. cap. 1. Eodem anno natus quoque Pompeius prid. kal. oct.

5 Archia poeta Romam venit; quo præceptore post usus Cicero.

Ciceronis ingenium elucescit et honoratur.

Poema Pontius Glaucus versibus tetrametris puer componit. Plutarch. cap. 2.

16 Toga pura sumpta.

17 Exercet se legendo, scribendo, commentando, dicendo.

Arati carmina de cælo stellisque convertit (de Nat. Deor. II, 41), quorum fragmenta exstant.

Marium, tragicum carmen, scribit. De Legg. I, 1, et de Div. I, 47.

18 Juri civili operam dat, et assiduus est apud Q. Mucium Scævolam augurem (Læl. 1). Militat, Sullæ legatus, bello Marsico. Philipp. III.

19 Philonem Academicum Romæ audit, et philosophiæ studet acerrime. Scævola augure mortuo ad Mucium Scævolam pontificem transit, atque in studio juris se confirmat. Plutarch. cap. 3, et Cic. in Bruto, cap. 89, et Læl. cap. 1.

20 Apollonio Moloni, Rhodio, rhetori et oratori ope-

(1) Operæ pretium facturos nos duximus, si breviarium hoc vitæ et scriptorum, ad annos Ciceronis et U. C. digestum adjungeremus; quod quidem a Fabricio inchoatum, a Christoph. Heidmanno, prof. Helmstadiensi, perfectum recognovimus et auximus. ED.

Digitized by Google

AN. ÆT.

ram dat, Romæ. De Invent. commentarios rhetoricos inchoatos et rudes edit. De Orat. I.

www.libtool.com.cn

21—23 Triennio, quo fuit urbs sine armis, in omnium doctrinarum meditatione versatur, dialecticis in primis exercetur a Diodoto Stoico; declamat quotidie, quum latine, tum græce; Cic. in Bruto, c. 90. Xenophontis OEconomicum latinum facit; Cic. de Offic. II, 24 extr. item forsan Platonica quædam; Quint. X, 5.

26 Ad causas et publicas et privatas adire cœpit; Cic. in Brut. cap. 90. Causam privatam pro Quintio dicit; Gell. XV, 28. Moloni iterum operam dat.

27 Primam causam publicam dicit pro Sexto Roscio Amerino, eumque contra Chrysogonum, Sullæ libertum, et ipsam dictatoris potentiam defendit; in Bruto, l. c. et Plut. cap. 3.

28 Ob habitum corporis parum firmum, forsan etiam metu Sullæ, in Græciam profectus, Athenis Antiochum Ascalonitam, ex Academico Stoicum, et Phædrum atque Zenonem, Epicureos, audit; Plut. cap. 4.

29 Sulla mortuo, precibus amicorum, et cohortatione Antiochi philosophi, ut remp. capesseret, motus, dicendi facultatem studiosius denuo exercet apud Demetrium Syrum, post Asia peragrata cum Menippo Stratonicensi, oratore tota Asia disertissimo, Dionysio Magnete, Æschylo Cnidio, Xenocle Adramyteno, rhetoribus, tum Rhodi rursus se applicat ad Apollonium Molonem, et Posidonium audit; in Bruto, cap. 91; Plut. cap. 4; Strabo, lib. XIII et XIV.

30 E Græcia domum redit exercitatior et prope mutatus, magna spe; sed oraculo repressus timide remp. attingit; unde « græculus atque otiosus appellatur ». Pronuntiationem et gestum conformat, magistris Roscio Comœdo, et Æsopo Tragico; Plut. cap. 5. Æmulus fit Hortensii.

31 Quæsturam petit, et accipit volente populo, quum causas nobiles egisset, interque eas illam pro Q. Roscio Comœdo, quæ hodieque exstat.

Digitized by Google

AN. ÆT.

32 Quæstor Lilybetanus in Sicilia omnibus se probare, et de civibus suis bene mereri studet. Nobiles adolescentes apud prætorem Siciliæ (Sextum Peducæum) defendit; Plut. cap. 6.

33 E Sicilia, oratione Lilybæi habita (teste Asconio), decedens omnia a Romanis sperat, sed se falsum pulchre in itinere discit. Romam venit eloquentia, ut videbatur, jam matura; Brut. cap. 92. Coss. tum Romæ erant L. Lic. Lucullus, et M. Aur. Cotta; et Verres prætor urbanus.

37 Post quæsturam in plurimis causis et in principibus patronis quinquennium fere versatus, hoc magis in admiratione fuit, quod ab iis, quorum causas agebat, nulla dona aut munera (auctore Plut. cap. 7), accipiebat, mediocri sua fortuna contentus. Designatus ædilis curulis, rejecto Cæcilio Nigro, in judicium vocat Verrem, qui ex prætura Siciliam per triennium tenuerat, et crudeliter in ea versatus erat. In hoc judicio fatigavit Hortensium; Plut. cap. 7. Verrina III convictus Verres sua sponte in exsilium discedit. Reliquas Verrinas V Cicero non dixit, sed domi scriptas edidit; teste Asconio.

38 Ædilis Cicero ludos populo facit; pro Fonteio et A. Cæcina dicit, ut fert opinio.

40 Prætura candidatus designatur primo loco; Plut. cap. 9; ad Attic. I, ep. 8 et 9 scripta.

41 Prætor judicia integerrime exercet; Licinium Macrum, hominem potentem, damnat; Plut. l. c. Legem Maniliam suadet; pro Cluentio dicit; pro M. Fundanio item, et Q. Gallio, ut vult Sigon. Scholam M. Antonii Griphonis frequentat (auctore Suet. de ill. Gramm.); P. Vatinium, patronum asperum, acri dicto pungit, quod refert Plut. cap. 9. Manilio, Pompeii amico, accusato diem petenti dat unum, qui prætura superat; idque factum suum, in concionem productus, populo approbat; Plut. l. c. ad Attic. I, ep. 3.

42 Omissa provincia prensat consulatum: pro C. Cornelio quatriduo dicit; ad Attic. I, ep. 1.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

AN. ÆT.

43 Filius Marcus nascitur ex Terentia; ad Attic. I, ep. 2. Consulatum petit. Competitores fuere sex, in iisque duo patricii, P. Galba, vir optimus, et L. Catilina, homo improbissimus. Orationem in toga candida habet, cujus fragm. apud Asconium exstant; Quint. III, 9. Consul designatur magno populi studio, cum C. Antonio; Plut. c. 10 sq. Q. Gallium, ambitus reum, defendisse videtur ex Ascon. Tulliam filiam despondet C. Pisoni L. F. Frugi; ad Attic. I, ep. 2.

www.tibtool.com.cn

44 Consulatum init difficili reip. tempore (Plut. c. 11) propter molitiones tribunitias et C. Antonii collegæ sui. Orationes XII, quas ipse consulares vocat ad Attic. II, ep. 1, habet: quarum I et II legem agrariam evertit (Plut. c. 12); III tumultum plebis et equitum in theatro ortum ob legem theatralem sedat, ejusque auctorem, Othonem, in gratiam populi reducit (Plut. c. 13); IV Rabirium, perduellionis reum, defendit; V proscriptorum filios ab honorum petitione repellit; VI provinciam sibi decretam, quum Antonio collegæ Macedoniam concessisset, Galliam in concione deponit. Refert legem de ambitu; quam Catilina contra se latam putans, Ciceronem occidere parat, ut ipse consul fieret. Quem contra rempublicam molientem defert ad senatum, et interrogat; tum armatus SCto illo nobili descendit ad Comitia, tectus lorica et præsidio. Catilinam iterum repellit a consulatu; Plut. cap. 14. Dein insidiis domi suæ appetitus, sed monitus a Fulvia, et literis acceptis, quibus Crassus aliique monebantur, ut evaderent pericula Urbi futura (Plut. cap. 15); Senatum in ædem Statoris vocat: quo quum ipse quoque venisset Catilina, habet Cicero Catilinariam I, consularium VII, qua eum ex Urbe emisit. VIII habet ad populum postridie quam Catilina profugit: quo profecto ad Manlium in castra, uterque hostes judicati, decretumque, ut eos Antonius bello persequatur, consul Urbi esset præsidio; Plut. c. 16. L. Murenam, cos. des. ambitus reum, defendit. Lentuli Suræ consilia

ANN. U. C. 690. VARR. 691.

Digitized by Google

AN. ÆT.

contra patriam indagat; Plut. cap. 17. Allobrogum legatos, quos conjurati participes illorum fecerant, sibi conciliat, et discedentes cum T. Vulturcio et literis ad Catil. deprehendit; Plut. c. 18. Tum principes conjurationis ad se vocat, et senatum in ædem Concordiæ; ubi conjuratio tota detegitur, ejusque auctores, qui Romæ erant, in custodiam traduntur. Supplicatio decernitur Ciceroni cos. togato, qui populo ea omnia exponit, et hæc est consularis IX in concione, quo die Allobroges involgarunt; Plut. cap. 19. De conjuratis refert in senatu; et quum Cæsaris mitiorem sententiam vicisset severior Catonis, et ipse Cicero habuisset consularem X, ex SCto supplicium de iis sumit nonis decembr. Honores summi ob id meritum Ciceroni habentur, qui pater patriæ dicitur; Plut. cap. 20–22. Legem quoque tulit de legationibus liberis, ne, sicut antea, infinitum, sed annuum earum tempus esset; Cic. de Legg. III. Consulatum Ciceronis, a bonis viris laudatum, alii exagitare conantur, in iisque tribuni pl. novitii, præsertim Q. Metellus Nepos, cui tamen animose resistit; et ab illo dicere prohibitus, quum consulatu abiret, juramentum novum juravit, « Remp. et Urbem sua unius opera esse salvam »: idque populo jurato approbatum est; Plut. cap. 23; ad Attic. I, ep. 16 scripta. Anno hoc natus est Octavius.

45 Multum nimis de gestis suis prædicans Cicero, et simul facetiis multos offendit; sed tamen auctoritate tum fuit summa; Plut. cap. 24–27. Metello tr. pl. eum ad populum calumnianti, fortiter repugnat, scripta etiam oratione Metellina; ad Attic. I, ep. 10, et III, ep. 13, et ad Fam. V, ep. 1 et 2. P. Sullam, conjurationis reum, defendit. Domum in Palatio emit (Gell. XII, 12; Cic. ad Attic. I, 10) concessa fratri domo paterna; Plut. cap. 8, extr. « Atque ab hoc tempore incipiunt Epp. M. Cic. quæ ad familiares s. diversos vocantur: quarum aliquot hoc anno scriptæ. Tempora illarum notavit Ad. Theod. Siberus in sua ed. qui

Digitized by Google

AN. ÆT.

ordo chronol. a recentioribus editt. adjungi consuevit».

46 In Clodium, de sacris violatis accusatum, Cicero testimonium dicit; unde ei orta cum illo contentio; Plut. cap. 28 sq. Pro Archia dicit hoc aut superiore anno : hoc quoque anno frater Q. Cicero, prætor, Asiam sortitur, eamque dein per triennium obtinet; ad Attic. I, ep. 10 et 14.

47 Commentarium de consulatu suo, græce scriptum, ad Atticum et Posidonium mittit; ad Attic. I, ep. 16, et II, ep. 14. Scribit de eodem versibus libros III; ad Attic. I, ep. 6, et II, ep. 3. De Prognosticis, quæ Atticum exspectare jubet II, ep. 1, res est ambigua. Scripsit quoque hoc anno I, 15 sq. et lib. II Ep.

48 C. Antonium defendit, itemque A. Thermum bis; et L. Valerium Flaccum. Cæsar cupit Ciceronem esse in numero XX virorum de agro Campano plebi lege Julia dividendo; sed is locum repudiavit. Quum vero Clodius oppugnatum iret Ciceronem, legationem Cæsaris in Galliam ituri primum accipit, mox Clodio reconciliationis cupidinem simulante, eamdem renuntiat : unde iratus Cæsar Clodium corroborat et Pompeium a Cic. alienat. Tum Clodius tr. pl. factus in Cic. se convertit; Plut. cap. 30. Hoc anno pulcherrima ep. 1 ad Q. fratrem cum sequente scripta ; itemque ad Attic. II, 4, cum multis sqq.

49 Annus funestus Ciceroni, L. Calp. Pisone Cæsonino
A. U. C. et A. Gabinio coss. Pactus enim cum his Clodius tr.
695. pl. legem tulit, «qui civem rom. indemnatum intere-
VARR. 696. misset, ei aqua et igni interdiceretur», qua quum se unum peti videret Cicero, vestem mutat et populo supplicat; idemque faciunt equites. Senatus ne faciat, a coss. et Clodio prohibetur. Igitur furoribus Clodianis cedens, cum præsidio ab amicis accepto Urbe exit, Lucaniam percurrit, Siciliam petiturus; Plut. cap. 31. Tum Clodius sciscit ei exsilium edictumque proponit, ne intra 500 millia passuum reciperetur : hinc ille a Sicilia exclusus Dyrrachium petit, inde Thessaloni-

Digitized by Google

AN. ÆT.

eam; sed quamvis ab aliis amicis et civitatibus Græcis officiose coleretur, animo molliori exsilium fert; Plut. cap. 32. Q. Cicero ex Asia decedit, Clodius villas Ciceronis inflammat, et Romæ domum, in cujus area templum Libertatis exstruit: his peractis vellicat quoque acta Pompeii; quo favente et adjuvante senatus frequens decernit, ut de nulla ante re ageretur, quam de Ciceronis reditu latum esset; Plut. cap. 33. Tribuni pl. legem promulgant et referunt eadem de re. Thessalonica Dyrrachium se recepit Cicero. Roma vero exierunt paludati coss. Piso in Macedoniam, Gabinius in Syriam. Ad Attic. I, ep. 3 et 4; III, 5, 6, 7, 8 sqq. ad Terentiam aliquot priores. Lib. XV ad Fam.

50 Agitur in senatu de Ciceronis reditu; quem Clodiani cædibus intercludere conantur. Tribuni pl. vulnerantur, et Q. Cicero inter cadavera latet. Milo tr. pl. Clodium de vi in judicium frustra vocans, vim in subsidium advocat. Itaque Pompeio suadente et post SC. de salute Cic. factum, lata a Lentulo cos. lex de Cic. reditu summo consensu omnium centuriarum accipitur. Cicero non. sext. ipso die natali filiæ suæ, in Italiam redux Brundisio iter facit Romam magna celebritate et gratulatione omnium; quasi Italiæ humeris reportatur Romam, ibique incredibili populi studio excipitur, pridie non. sept. Plut. cap. 33. Orationes post Reditum habet in senatu, ad Quirites, pro Domo. Is etiam decernit Pompeio potestatem rei frumentariæ in toto orbe per quinquennium; unusque ex Pompeii legatis fit Q. Cic. in Sardinia. Ad Attic. IV, 1, 3, 4; ad Q. fratrem, II, 1, scriptæ.

51 Acta Clodiana rescindit, cum offensione Catonis; Plut. cap. 34. Tulliam filiam, quum eluxisset Pisonem anno priori mortuum, despondet Furio Crassipedi; ep. ad Q. fratrem, II, 5. Orationem de rege Ptolemæo, cujus apud veteres fit mentio, habet ineunte anno, quum regis restitutionem P. Lentulo decerneret. P. Sextium defendit et Vatinium accusat; pro Bestia

Digitized by Google

AN. ÆT.

dicit; de Haruspicum responsis disputat; de provinciis consularibus sententiam dicit; pro Corn. Balbo ac pro Cœlio. Ad Q. fratrem, II, 2-10; ad Attic. IV, 5-8; ad Lentulum, lib. I Famil.

www.libtool.com.cn

52 Scripsit libros III de Oratore; conf. procem. lib. II, et ad Attic. IV, 12; ad Fam. I, epist. 9, 73; Orat. in Pisonem dicit.

53 Scribit libros sex de Republica, seu de optimo statu civitatis; quos simul ac editi erant, avide se legisse dicit Cœlius ad Cic. VIII, ep. 1, et ipse Cicero in lib. de Legibus sæpe respicit. Causis multis distinetur; ad fratr. II, 15. Defendit Cn. Plancium, ambitus reum, et C. Rabirium Postumum. Scriptæ ad Q. fratrem, II, 11-15, et ult. III, 5 sqq. omnes in Britanniam missæ; ad Attic. IV, 13 et seqq. ad Fam. lib. I, epist. longa ad Lentulum; V, 8 et 9; VII, 5, et ad Trebatium, 6-10.

54 Cicero fit augur in locum P. Crassi jun. competitore Hirro. Scriptæ ad Famil. II, epist. 1 et 5 ac sqq. ad Curionem.

55 Clodium occidit T. Ann. Milo, quem defendit Cicero. M. Saufeius, defendente Cic. et M. Cœlio, absolvitur; sed T. Munatius Plancus Bursa a Cic. accusatus, a Pompeio defensus, damnatur. Lib. VII ad Fam. ep. 2. Hoc anno fingitur habitus sermo de finibus bonorum et malorum, quem postea lib. V perscripsit. Scripsit etiam de Legibus, certe post Clodii cædem, ut ex lib. II cognoscitur.

56 Cicero Ciliciam provinciam cons. cum exercitu sortitur, Appio Claudio successurus, itinere per Italiam et Græciam facto venit in Asiam, Ephesum, Tralles et mox Laodiceam, inde in castra ad Iconium Lycaoniæ, quo tempore Cassius quæstor M. Crassi ante adventum Bibuli Syriam a Parthorum impetu liberat. Cic. vero Ariobarzanem jun. regem Cappadociæ præsentibus insidiis liberat; deinde iter in Ciliciam faciens Tarsum venit, indeque contra hostes perpetuos in Amano monte profectus, eos a. d. III id. octob. cædit, et

Digitized by Google

AN. ÆT.

Imperator appellatur; Plut. cap. 36. Castra apud Issum habet, quæ olim Alexander, Pindenissum capit. Multæ hoc anno scriptæ epp. ad Fam. quæ apud Siberum videantur, et quæ lib. V ad Att. continentur.

57 Supplicationes Ciceroni Romæ decernuntur. Ipse provinciam integerrime obire pergens Tarso, abit in diœceses Asiaticas. Tullia filia vidua nubit P. Corn. Dolabellæ. Cicero quæstore C. Cœlio provinciæ præposito a. d. III kal. sext. decedit in Græciam. Rhodum appellit. Athenis commoratur. Tironem Patris ægrotantem relinquit: ipse Brundisium venit et Romam pergit; Plut. l. c. lib. V ad Attic. ep. ult. lib. VI, 1, 2, 4, 6, et lib. VII priores octo. Ad Famil. lib. II et III aliquot ad Cœlium et Appium, lib. XVI, plures ad Tironem; neque pauca ex reliquis libris.

58 Ad Urbem veniens pridie non. jan. honorifice excipitur; sed in ipsam flammam belli civilis incidit; ad Fam. XVI, 10. Kal. enim jan. in Q. Metelli Scipionis sententiam factum erat SC. «uti ante certam diem Cæsar exercitum dimitteret. Si non faceret, eum adversus remp. facturum videri»: cui quum intercessissent M. Antonius et Q. Cassius tr. pl. senatus magistratibus negotium dedit, ut curarent, ne quid resp. detrimenti caperet. Antonius et Cassius cum Curione ex Urbe fugiunt. Cicero quidem est utrique parti auctor pacis (quod profitetur ad Famil. XVI, 11, et in oratt. pro Marc. Ligario et Dejot. item ad Fam. IV, 6, VII, 3; conf. Plut. cap. 37), sed frustra. Itaque descriptæ Italiæ regiones, quam quisque partem tueretur, Cicero Capuam sumit: ab Urbe discedit, ἐπίσκοπος oræ maritimæ a Formiis, quum coss. atque optimates omnes Urbem reliquissent. Evocatur deinde literis Pompeii in Apuliam; mox Brundisium, quo itinere Ciceronem et Cæsarem convenit; ad Att. IX, 21. In villas suas recedit. Arpini filio togam puram dat. Profecto Cæsare in Hisp. Cicero ad Pompeium navigat in Græciam; Plutarch. cap. 38. A Catone propterea reprehenditur.

Digitized by Google

AN. ÆT.

Itaque et quum ibi vidisset multa vitia, pœnitet venisse; ad Fam. VII, 3. Cæsar Hispania potitus a M. Lepido prætore dictator dictus. Huc referendæ Epp. ad Att. VII, 9, 10 et seqq. hujus ac duorum proximorum librorum.

59 Cæsar Brundisio in Epirum contra Pompeium trajicit. Cicero e Græcia primum, dein ex castris scribit ad Att. X, epp. 2, 3 et sqq. Prælio Pharsalico non interest. Cato, qui copias et classem habebat Dyrrachii, imperium et copias offert Ciceroni, ut consulari; sed ipse recusat magno suo periculo. Romam, certe in Italiam contendit. Brundisii Cæsarem exspectat (Plut. cap. 39); neque Antonium inimicum experitur. Tulliæ morbo affligitur. Epp. ad Atticum, XI, priores octo missæ.

60 Tullia ad patrem venit Brundisium. Cæsar dignitatem ei suam, datis ex Ægypto literis, conservat; in Italiam adveniens occurrentem sibi Ciceronem comiter excipit. Redit in Urbem et cum libris in gratiam; ad Famil. IX, 1, et Plutarch. cap. 39; ad Attic. lib. XI, ep. 10 et sqq. missæ.

61 Romæ vivit et in villis : conquiescit in studiis; Plut. cap. 40. Scribit Partitiones Oratorias, et Brutum, seu de claris Oratoribus. A Cæsare ornatur. Scribit Catonem, cui Cæsar opponit Anticatonem, sed cum Ciceronis laudibus; Plut. cap. 39. Cicero scribit Oratorem; gratias Cæsari agit de Marcello; et pro Ligario apud eumdem agit feliciter. Divortium facit cum Terentia, quod domum Ciceronis exinaniverat; Plutarch. cap. 41. Vitam Terentia dein produxit ad CIII annum (Val. Max. VIII, 14), lib. XII ad Attic. epp. priores.

62 Virginem Publiliam (al. Popiliam) uxorem ducit, cujus opibus æs alienum dissolveret; ad Fam. IV, 14. Filiam Tulliam amittit, quæ ex partu decesserat; hinc mœret nimium Cicero, ad quem consolandum philosophi confluunt, et amici literas mittunt M. Brutus, Ser. Sulpicius, L. Lucceius, C. Cæsar. Ipse quoque

Digitized by Google

AN. ÆT.

scribendo librum de Consolatione se consolatur. Publiliæ, morte Tulliæ lætari visæ, nuntium remittit; Plut. cap. 41. (Ea dein, non quod alii volunt, vetula Terentia, Vibio Rufo nupsisse videtur.) Domo abest et in villis suis philosophiæ operatur. Scribit Hortensium. tum Academicos libros IV, et V de Finib. laudationem Porciæ. Filium Athenas mittit. Pro Dejotaro apud Cæsarem dicit. Pleræque Epp. libb. XII et XIII ad Attic. scriptæ; ad Brutum, epist. 9. Hoc anno vel seq. scribit Quæst. Tusc. lib. V.

63 Romæ est initio anni; sed conjurationis in Cæsarem particeps non est, quamquam a M. Antonio, ut conscius, arguitur. Cæsare interfecto [idibus mart.] in Capitolium cum aliis adscendit, neque adduci potest, ut ad Antonium eat. Liberalibus, id est, XVI kal. april. in æde Telluris, quod in ipso est, fundamenta pacis jacit; sed ea effectu caruere; Plut. cap. 42. Post Brutum et Cassium ipse quoque ex Urbe discedit, et villas suas lustrat. Scribit libros III de Natura Deor. duos de Divinatione, et dial. de Senectute, seu Catonem majorem; mox Lælium, seu de amicitia. Dolabellæ factum de eversa Cæsaris ara, s. columna, valde probat. C. Octavium mense apr. ruri secum habet, qui tum præter sententiam matris et vitrici hereditatem Cæsaris avunculi adit: Hirtium quoque cos. des. in Puteolano; ubi sermo de Fato habitus, forte et Timæus Platonis conversus. Sub finem maii Romam versus proficiscitur, neque tamen in Urbem pergit, nisi post aliquot menses, ut videtur. De Officiis scribere instituit libros, quos post reditum e cursu Achaico absolvit. Antonium scil. vitandi causa iter in Græciam ingreditur. Inter navigandum sine libris Topica ad Trebatium scribit. De Gloria duos [qui deperditi hodie] jam ante ad Atticum miserat. Syracusas in Siciliam transgressus, in Græciam trajicere frustra nititur; rejicitur enim adversantibus ventis ad Leucopetram, promontorium Rheginorum. Audito ibi, Antonium immutatum omnia

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

AN. ÆT.

ex sen. auctoritate agere, ac desiderari ipsius præsentiam, festinantius Romam contendit. Ibi incredibili studio et gratulatione populi excipitur; sed Antonio in senatum vocanti excusat languorem; quod ille ira amens ægre et impatienter fert; Plut. cap. 43. Postridie in senatu satis libere loquitur, habita Philippica I. Antonius ei inimicitias denuntiat, inque Tiburtino Scipionis de eo declamitat; in senatu etiam XIII kal. oct. in absentiam invehitur. Ciceroni autem in senatum venire cupienti per amicos non licet; respondet tamen Antonio, Philippica II, nobili illa et divina, ut Juvenalis ait, scripta quasi in præsentem. Rusticatur deinde et perficit libros de Officiis. Forte etiam Paradoxa scribit hoc tempore. Quum Antonius Urbe excessisset, Romam redit V id. dec. et XIV kal. jan. vocatu tribunorum pl. in senatum venit, sententiamque dicit, quæ est Philippica III. Mox populo in concione exponit, quid in senatu actum sit, Philippica IV. Epp. pleræque lib. XIV et XV; quædam etiam lib. XVI ad Attic. scriptæ.

64 AN. U. C. 710, s. 711. AN. MUNDI 3940.

Cicero amplectitur C. Octavium, jam tum potentem, quo uteretur adversus Antonium; pugnatque in senatu, ut Antonius hostis judicaretur, et ejus adversariis honores decernit, Philippica V; Plut. cap. 44 et 45. SCtum de legatis ad Ant. mittendis populo in concione exponit Philippica VI. In senatu pacem cum Antonio dissuadet Philippica VII. In Q. Fufium Calenum invehitur et disputat contra alios, qui *tumultus* nomen, non *belli*, in sententia ponendum censuerant, Philippica VIII. Ser. Sulpicio, in legatione ad Antonium mortuo, statuam æneam pedestrem in Rostris ponendam decernit Philippica IX. Cicero filius apud Brutum militans rem bene gerit, eique legio Pisonis se tradit. M. Cic. pater Calenum oppugnat Phil. X. Cicero filius C. Antonium prælio victum in M. Bruti potestatem redigit. Cicero pater bellum contra Dolabellam C. Cassio decernit Philippica XI. Minerva,

www.ippool.com.cn

Digitized by Google

AN. ÆT.

quam Cic. pridie quam in exsilium iret, ante cellam Minervæ posuerat, turbinis vi dejecta et fracta, ex SC. Quinquatribus facto, restituitur. Legationem sibi ad M. Ant. decretam dissuadet Philippica XII. Pacem cum Antonio et Antonianis esse non posse, demonstrat Philippica XIII. Calumnia appetitur, quasi ipse fasces appeteret; quam diluere P. Apuleius trib. pl. studet; etsi nihil necesse erat. Populus enim universus testimonium integritati ejus et amori in patriam perhibet. Nuntiata mox victoria Mutinensi [a. d. XVIII kal. maii] concursus ad eum mirificus populi fit: a quo in Capitolium maximo clamore et plausu deductus atque in Rostris collocatus, domum reducitur. Supplicationem L dierum trium imperatorum [Hirtii, Pansæ et Octavii] nomine decernit Philippica XIV. Quum uterque coss. Hirtius in prælio, Pansa ex vulnere obiissent, rumor it, de Cicerone cos. facto [ad Brut. ep. 8, et Plut. cap. 45], sed falsus fuit. Cicero hortatur D. Brutum et L. Plancum, ut bello Antonium persequantur: legatis vero exercitus nomine impudenter in senatu consulatum Octavio deposcentibus, in iisque centurione, ostenso gladii capulo, dicente, «hic faciet, si non feceritis vos»; libere respondet Cic. «Si ita consulatum peticritis, eum accipiet»; Sueton. in Octav. cap. 26, et Dio, lib. XLVI. Octavius tum ad Urbem movet: ad eum venit Cic. in castra; sed paullo post ex Urbe fugit. Octavius X kal. oct. cum Q. Pedio consul fit, et facta cum Antonio et Lepido triumvirali pactione valere jubet Ciceronem; ob cujus proscriptionem contentio triumvirorum. Antonius eum perditum vult; Lepidus accedit. Octavius per biduum repugnat; sed tertio die cedens, salutem Ciceronis deserit; Plut. cap. 46. Qui quum sub adventum triumvirorum Urbe cessisset, tum in Tusculano agens cum fratre Quinto, certior de sua utriusque proscriptione, primo cum fratre fugit, dein quum hic viatici causa rediret, ab eo digressus mirabiliter, Asty-

www.hbook.com.cn

Digitized by Google

AN. ÆT.

ram, villam suam, petit, marique fugam tentat; sed frustra. Interea Q. frater cum filio occisi. M. autem Ciceroni, multum fluctuanti tristiaque cogitanti eveniunt portenta infausta in villa Caietana. Servi quidem fideles, eum eripere gestientes, ad mare portant in lectica; Plut. c. 47. Sed superveniunt percussores, quorum ducibus nefariis Popillio Lænati tribuno, et Herennio centurioni, Philologus ingratus, Q. Cic. libertus, iter Marci indicat. Herennium quum instare sibi sensisset Cicero, animo constanti servos lecticam ponere jubet, et immotam cervicem extra lecticam præbet præcidendam. Sic trucidatur patriæ parens VII id. dec. Caput et manus præciduntur, Antonio afferenda; Plut. cap. 48. Quæ membra ubi Romam allata, Antonius improbe lætus, jamque finitam proscriptionem dicens, illa poni jubet in Rostris, horrendum Romanis spectaculum; Plut. cap. 49. Vixit vero annos LXIII, menses XI, dies V, sive annos LXIV, minus XXVI diebus; victurus per omnium sæculorum memoriam; cf. Vell. II, 6, elogium Ciceronis. Filius ipsi superstes M. T. Cicero an. U. C. 723 cos. suffectus ex id. sept. consulatum gessit cum Augusto, in eoque auctor fuit, ut statuæ, imagines, ornamenta M. Antonii omnia disjicerentur, sancireturque edicto, ut ex Antoniana familia nemo Marcus nominaretur; Plut. cap. 49, et Plin. Hist. Nat. XXII, 6.

www.tibtool.com.cn

Digitized by Google

CICERONIS VITA

A LEONARDO ARETINO SCRIPTA.

www.libtool.com.cn

I. Otioso mihi nuper ac lectitare aliquid cupienti oblatus est libellus quidam ex Plutarcho traductus, in quo Ciceronis vita contineri dicebatur. Illum ego etsi sæpe alias diligenter et accurate in græco legeram, tamen latine quoque videre gliscens quum percurrere cœpissem, animadverti statim (neque enim obscuri erant errores) eum qui transtulerat bonum quidem virum, sed non satis eruditum, partim ignoratione græcarum literarum in multis prolapsum, partim ariditate quadam ingenii parum respondenter parumque concinne ea ipsa, in quibus non prolapsus fuerat transtulisse.

II. Itaque indolui equidem Ciceronis vicem, et mecum ipse indignatus sum, quod in eo viro literæ nostræ adeo mutæ reperirentur, qui vel solus ne mutæ forent sua diligentia præstitisset. Huic ego deformitati latinæ linguæ pro virili mea succurrere agressus, confestim græco volumine requisito traductionem ex integro inchoavi. Et opus sane ab initio satis luculenter procedere videbatur : mox vero ut progredior, et ad convertendi diligentiam singula quæque magis considero, ne ipse quidem Plutarchus desiderium mei animi penitus adimplevit. Quippe multis prætermissis, quæ ad illustrationem summi viri vel maxime pertinebant, cetera sic narrat, ut magis ad comparationem suam, in qua Demosthenem præferre nititur, quam ad sincerum narrandi judicium accommodari videantur.

III. Nos igitur et Plutarcho et ejus interpretatione omis-

Digitized by Google

sis, ex iis quæ vel apud nostros, vel apud Græcos de Cicerone scripta legeramus, ab alio exorsi principio vitam et mores et res gestas ejus maturiore digestione et pleniore notitia, non ut interpretes, sed pro nostro arbitrio voluntateque, descripsimus. Est autem nihil a nobis temere in historia positum, sed ita ut de singulis rationem reddere et certa probatione asserere valeamus. Tu ego, Nicolae (1) censor et judex rerum nostrarum, Ciceronem hunc novum diligenter leges, et si non indignum putabis, aliis quoque legendi copiam ejus facies. Hortamur autem et provocamus omnes qui ingenue eruditi elegantius et probabilius de iisdem rebus scribere poterunt, ut parenti et principi literarum nostrarum suum quisque scribendi studium certatim exhibeat. Nam neque ulli magis literæ nostræ debentur, quam illi qui eas nobis tradidit : et mihi tanti est Ciceronis honor, ut vehementer exoptem a multis de hoc ipso scribentibus superari.

IV. Tulliorum familia, quæ et Ciceronis postea cognomentum recepit, ex municipio Arpinati originem traxit : principium vero generis in Tullium Volscorum regem satis constanti opinione hominum referebat. Sed quamquam a regibus orta, tamen ut res mortalium fluxæ ac labiles sunt, procedente tempore claritate nominis exstincta, ignobilitatem adusque consenuisse videtur. Non tamen adeo demersa, quin et Romæ supra vulgus emergeret, ac equestrem locum, qui medius inter patres et plebem habebatur, obtineret. Qui primus ex ea familia Cicero cognominatus est, in extrema nasi parte eminens quiddam in figuram ciceris habuit, a quo sibi cognomen inditum, ac per eum in posteriores gentilesque transfusum. Ex hac itaque familia Cicero orator natus est patre Tullio, matre Olbia, quæ et ipsa honestis parentibus orta memoratur. Natum illum ferunt III nonas januarias, Q. Cæpione et Serrano consulibus. Nec multo

(1) Intelligit Nicolaum Nicolum, ad quem exstant plures Leonardi epistolæ.

Digitized by Google

post nutrici ejus phantasma visum dixisse, magnam reip. salutem ab illa nutriri. Hæc autem ab initio spreta et pro nugis habita, ipse mox fuisse vera oracula ostendit.

V. Nam ut primum discendi per ætatem capax fuit, extemplo magnitudine indolis inter æquales excellens tantam ingenii famam consequutus est, ut plerique graves viri rumore puerorum conciti ludum adusque proficiscerentur ad eum Ciceronem, de quo tam multa audiverant, intuendum. Pueri autem ipsi tanto in honore illum habebant, ut constet quosdam ex nobilitate romana a parentibus rusticioribus objurgatos, quod honoris causa medium per vias traducerent. Prima ejus commendatio circa poeticam eluxit: nam et puer adhuc libellos quosdam versibus edidit, et fuit ejus studium prima ætate ad carmen poetasque ardentius. Crescentibus mox annis solutam orationem, utpote ampliorem et disertiorem et naturæ suæ magis consentaneam, adamavit: præceptaque dicendi avidissime prosequutus est. Sed et ceteris literarum studiis ita inhæsit, ut nihil prætermitteret, quod ad institutionem summi viri pertinere videretur. Puerilibus studiis peractis, philosophiæ et juri civili operam dedit. Et in philosophia quidem Philonem Academicum Clitarchi discipulum tunc Romæ commorantem præceptorem habuit, in jure autem civili a Mutio Scævola jurisconsulto viro præstantissimo institutus est.

VI. Post hæc sub Sulla duce Marsico bello militavit, perseverassetque in armis diutius, nisi eversionem reip. et Sullæ dominatum jam inde prospiciens improbasset. Finita igitur militia et in Urbem reversus exitum rerum quietus exspectabat: donec Sulla jam rerum potito Sex. Roscium parricidii reum et ab ipso Sulla vehementer oppugnatum in judicio defendit. Hanc primam causam publici judicii egisse ferunt tres et viginti annos natum, ut Cornelius Nepos tradit (1); ut autem alii quidam scripserunt, septem et vi-

(1) Apud Gellium, XV, 28.

Digitized by Google

ginti : quum tamen annum ante causam privatam pro Quintio apud Gallum Aquilium judicem dixisset. Ego Cornelio Nepoti, utpote coætaneo et in primis familiari et cum diligentia hominem observanti magis crediderim.

VII. Metuens inde Sullam, quem in Rosciana defensione offendisse cognoverat, in Græciam abiit, dissimulata causa veluti curandæ valitudinis gratia proficisceretur. Res opportuna videbatur, quod gracilis et valitudinarius erat ob stomachi debilitatem nonnisi quædam levia cibariola et ea sero tandem admittentis. Ut igitur Athenas pervenit, pædotribis et gymnasiorum magistris se tradens corpus ad robur valitudinemque redegit : vocem etiam, quæ sibi prius asperior fuerat, ad dulcedinem ornatumque emendavit. Ibi studiis ardentius incumbens Antiochum Ascalonitem audivit, ejus in dicendo copia suavitateque illectus : nam ea, quæ philosophus innovare instituerat, haudquaquam probabat. Jam enim Antiochus, deserta Academia, Stoicorum inventa plerumque fovebat.

VIII. In his itaque studiis egregie florentem et jam philosophiam profiteri ac perpetuo in ea persistere meditantem, nuntius de obitu Sullæ et frequentes amicorum literæ ad remp. revocantium excitarunt. Ipse quoque Antiochus gravissimis adhortationibus remp. capessere suadebat. Quibus tandem victus quum redire ad civilia certamina statuisset, organum illud rhetoricum, quod per philosophiæ studia intermiserat, rursus temperare et renovare aggressus, omnes dicendi magistros qui per id tempus Athenis erant, diligentissime audivit, seque apud illos exercuit. Nec iis contentus in Asiam et Rhodum navigavit, ut clarissimos rhetores qui in iis partibus erant conveniret. In Asia itaque Xenoclem Adramantinum, Dionysium Magnesium et Menippum Carem : in Rhodo Apollonium Molonis clarissimum dicendi magistrum et Possidonium philosophum audivit. Per tot ille viros, tam longa itinera, tam varias regiones, tanto exercitio, tanta cura, tantis laboribus eloquentiam

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

persequutus est; et tamen sibi ipsi interdum non satisfacere in ea arte fatetur: at nostræ ætatis homines si semel libellos legerint, si iterum ac rursus pulpitum ascenderint, oratoriam facultatem se possidere arbitrantur.

IX. Fertur Apollonii insigne illud ac memorabile de Tullio judicium. Nam quum Rhodum advenisset, ac rogatu Apollonii, quoniam *hic* latine nesciret, græce declamasset, ceteris qui aderant in stuporem tantæ eloquentiæ adductis certatim eum laudantibus; Apollonius ipse nec eo dicente signum aliquod lætitiæ præ se tulit, nec perorata causa utique laudavit, sed diu secum tacitus perstitit. Quum itaque, ut par erat, omnes Apollonium intuerentur ac judicium ejus exspectarent, tandem rupto silentio sic inquit: « Ego te laudo equidem et admiror, Cicero; quod autem te dicente, causa etiam perorata, diutius tacuerim, dolor et commiseratio quædam effecit. Repetebam namque ipse mecum superiora tempora, et armis et gubernatione rerumpublicarum et institutis domesticis Græcos præ ceteris nationibus floruisse: quibus in rebus nobis Romani palmam jampridem vera et incredibili virtute superantes confessione omnium abstulerunt. Reliqua una ac sola supererat doctrinæ et eloquentiæ gloria, quam et ipsam per te nobis auferri et ad Romanos transferri video, ut nihil jam præcipuæ laudis apud nostros relinquatur ». Hæc Apollonius graviter simul divineque loquutus est. Sic enim revera fuit.

X. Ceterum quum peractis studiis in Italiam rediens ingenti spe plenus ad remp. properaret, oraculo Apollinis Delphici pæne aversus est. Consulenti siquidem quemadmodum sibi maximam gloriam pararet? Respondit, si naturam suam, non opinionem multitudinis ducem vitæ sequeretur. Quod ille reputans, per prima sui reditus tempora valde pigre et diffidenter remp. attingebat, et magistratus sibi commissos quodammodo horrere formidareque videbatur. Græcum denique et scholasticum, ut vulgo solet, plerique vocitabant. Quum tamen cupiditate honoris et ipse per se

Digitized by Google

natura ardens et a parente amicisque incensus causis orandis animum appulisset, non gradatim ut ceteri, sed repente omnibus qui in foro versabantur post se relictis ad fastigium evasit. In actione tamen non minus quam Demosthenes laborasse fertur, donec per Roscium comœdiarium et Æsopum tragœdiarium actores, præbita illis diligenter opera, vocem et gestum corporis emendavit.

XI. Quæstor inde factus et Siciliam sortitus summa cum integritate et diligentia magistratum gessit, provincialibus gratus, civibus romanis qui in Sicilia negotiabantur benignus, erga omnes communis et justus. Romam vero per id tempus penuria rei frumentariæ laborantem tantum frumenti transmisit, ut caritatem annonæ sua diligentia sublevaret. Excogitata erant a Siculis in memoriam ejus quæsturæ honores quidam novi. Itaque et conscientia benefactorum et secundo favore rerum suarum tanta spe plenus e provincia discedebat, ut putaret apud populum romanum nulla de re magis quam de quæstura sua sermonem haberi, et jam omnes magistratus sibi ultro conferri. Qua de re quam se ipse falleret mox intellexit per ea quæ sibi paullo post ridicula evenerunt.

XII. Nam quum Sicilia discedens Puteolos venisset, audivit esse multos cives romanos qui lavandi gratia in ea loca convenerant, adeoque pro illa transmissione frumentaria et sublevata penuria populi romani ceteraque suæ quæsturæ fama, ita se receptum iri existimavit, ut omnes sibi gratulabundi occurrerent. Egressus itaque navi et circa balnea profectus cives in corona stantes colloquentesque offendit. Illi statim in eum utpote tunc primum venientem conversi, quæsiverunt qua die Roma exisset et numquid ibi esset novi. Ad hæc indignans, quum non ex Urbe, sed ex provincia sua venire respondisset; quidam ex iis qui aderant, An nescitis, inquit, istum jam annum in Africa quæstorem fuisse? Hæc ab initio eum turbarant vehementer: postea vero se ipsum ridens, quod spem in beneficiis

www.libtool.com.cn
Digitized by Google

vulgo collatis posuisset, stomachari destitit, et unum se fecit ex iis qui ad balnea venissent. Ceterum animadvertens hoc habere populorum naturam, ut præsentia quidem acriter intueantur, absentia vero non multum discernant, statuit de cetero in oculis populi romani vivere, externos autem magistratus ut minus efficaces ad gloriam obmittere.

www.libtool.com.cn

XIII. Hinc itaque robustius ad remp. versus turpe quidem existimavit si opifices ipsi nomina et vim instrumentorum omnium, quibus in officina utuntur, cognoscerent; ipse autem nomina et res civium suorum, quibus tamquam instrumentis quotidie uti habebat, ignoraret. Itaque et homines et familias et propinquitates et clientelas, mores denique et vitam uniuscujusque curiosissime didicit : nec erat ulla Italiæ via, de qua non facile referre posset, cujus villæ, cujus agri, cujus clientelæ (1) per eam essent.

XIV. Mortuo patre domum paternam Q. Ciceroni fratri concessit : ipse quo facilius aditus ad eum foret circa Palatium habitavit. Adeuntium sane multitudo tanta erat, ut non plures Crassum pro divitiis aut Pompeium pro summa potentia frequentarent. Circa valitudinem curandam ita diligentissimus fuit, ut non solum intervallis horarum, verum etiam deambulationibus enumeratis passibus uteretur. Per hunc modum habitudinem domans ad multos et magnos labores sufficiens corpus effecit. Ædilis inde factus, et mox post ædilitatem præturam petens, omnium competitorum (et erant quidem multi ac magni viri) optimus suffragiis populi romani prætor creatus est : quumque urbana sibi obvenisset, jus dixit summa diligentia, nec minori integritate, ita ut nec timore cujusquam neque gratia flecteretur.

XV. Sed quum jam auctoritatis in eo tantum esset, ut ad petendum consulatum idoneus videretur, omni diligentia adhibita, ad petitionem amplissimi honoris descendit. Ardebat tunc maxime ambitio, petentibus simul nobilissimis

(1) Ita codd. Confer ad orat. pro Scauro, cap. 3.

Digitized by Google

viris P. Galba, L. Catilina, C. Antonio, Q. Cornificio. Ciceroni vero in ea petitione variæ spes variaque consilia fuerunt. Nonnumquam Catilinæ magis adhæsit, eumque tunc judicio impeditum defendere statuerat. Verba ejus in epistola quadam ad Atticum (1) ista sunt : « Ego de meis detractoribus scripsi antea diligenter. Hoc tempore Catilinam competitorem nostrum defendere cogitamus. Judices habemus quos volumus, summa accusatoris voluntate. Spero, si absolutus erit, conjunctiorem illum nobis fore in ratione petitionis ». Credo nondum orta erat conjurationis suspicio, quæ paullo post intellecta vel præcipue suffragata Ciceroni putatur, quod ejus prudentiam sufficere credebant ad omnia quæ imminere videbantur pericula propellenda. Creatur itaque consul una cum C. Antonio, M. Antonii oratoris filio. Hic est ille gloriosissimus consulatus, per quem Cicero pater patriæ primus omnium Romanorum appellatus est, quam appellationem romani imperatores postea usurparunt. Sed Ciceroni libera adhuc civitate, et non ab hoc vel illo adulatore, sed ex sententia M. Catonis hic tantus honor accessit.

XVI. Prima ejus industria circa depulsionem legis agrariæ conspecta. Nam res quidem Catilinæ ab initio consulatus in occulto adhuc manebant. Ceterum magni dehinc motus in rep. parabantur. Etenim proscriptorum dudum a Sulla filii ad honores restitui postulabant, non tam injuste quam alieno tempore : et tribuni plebis ob hoc et alia legem promulgarant de decem viris cum imperio creandis. His quidquid publici erat agri per Italiam, Syriam, Asiam dividendi, delectus habendi, stipendia solvendi, in exsilium ejiciendi potestas per legem dabatur. Huic legi non solum plebs in spem novarum rerum erecta, verum etiam quidam amplissimi favebant viri, et in primis C. Antonius consul, sperans, si lex ferretur, facile se unum ex decem viris fu-

(1) Lib. I, ep. 2.

Digitized by Google

turum. Videbatur etiam de conjuratione quæ circumferebantur non invitus audire propter magnitudinem æris alieni.
www.libtool.com.cn

XVII. Igitur ad comprimendam hanc reip. turbationem conversus Cicero, ante omnia collegam a cupiditate rerum novarum retrahendum, et sibi ac reip. vindicandum ratus, repudiata Gallia provincia, quæ sibi ultro delata fuerat, ut Macedonia Antonio decerneretur, effecit. Sanato per hunc modum collegæ animo et in suam voluntatem traducto, jam posthac fortius rem aggressus tribunos plebis ferendæ legis auctores in senatum vocatos sic fregit, ut victi obmutescerent, nec respondere quidquam auderent. Sed quum iidem tribuni paullo post eum apud populum accusassent, et irritatis multitudinis animis in concionem vocassent, nihilo magis deterritus, sequutis patribus in concionem descendit. Ibi quanta in eo fuerit eloquentiæ vis manifeste apparuit. Habita siquidem gravi oratione sic mentes hominum mutavit, ut plebs ipsa, deposita cupiditate, legem improbaret, et auctores ferendæ omnino desereret. Per hunc modum lex agraria, quæ primum a Tib. Graccho introducta, et per singulos fere annos tribunitiis furoribus et summis contentionibus agitata patres et plebem assidue collidebat, per Ciceronis prudentiam et eloquentiam facile sopita.

XVIII. Huic egregio ac memorabili facto aliud longe gloriosius et memorabilius adjunxit, pulso ex Urbe Catilina, et sociis deprehensis atque necatis. Qua de re quia vulgaris historia est, et ab optimis auctoribus diligentissime scripta, non erit mihi curæ nisi pauca et ea ipsa quæ singulari aliqua notatione digna videbuntur repetere. Conjuraverant contra remp. corruptissimi cives, et suæ amentiæ ducem Catilinam habebant. Is enim cupiditate dominandi post L. Sullam incensus et jampridem quemadmodum remp. invadere posset meditatus, omnes cujusque generis homines, qui vel publice vel privatim fortunæ infensi res novas opta-

Digitized by Google

bant, in suam amicitiam familiaritatemque pellexerat. Itaque omnes qui damnati judiciis, qui ordinibus amoti, qui pro commissis judicia formidabant, qui patrimonia absumpserant, postremo omnes perditos, infames, egentes, audaces, facinorosos ad se traxerat. Inter hos erant senatorii et equestris ordinis complures, et in primis P. Lentulus Sura, vir patricius ex gente Cornelia, qui post consulatum probri causa senatu amotus fuerat. Præterea multi ex Sullanis militibus, qui olim circa Fesulas in colonias deducti, consumptis divitiis, pro novarum spe rapinarum bellum optabant. Horum singulis Catilina et tandem universis in unum coactis animum suum aperuit, eosque cohortatus et præmia pollicitus, statuerat una cum illis remp. occupare, et trucidatis bonis et locupletibus, quorum auctoritas in rep. valebat, sibi dominationem, illis magistratus, provincias, dignitates arripere. Sed quo facilius ea patrare posset consulatum petebat.

XIX. Fama jam quædam licet obscura vulgarat conjurationem magnam contra remp. esse initam, cædem ingentem parari : sed neque auctores certos ea fama habebat, neque per quos homines ea pararentur aperiebat. Ceterum ea suspicio, ut supra diximus, petitioni Ciceronis maxime profuit, quod ejus prudentiam facile resistere posse tantis periculis arbitrabantur. Igitur ab initio consulatus sui famam conjurationis sagaciter obsequutus, ubi ex Fulvia muliere nobili ortam comperit, per eam ad se clam accitam multa pollicendo effecit, ut Q. Curius Fulviæ amator, qui unus ex conjuratis erat, totam sibi conjurationis seriem et omnia Catilinæ consilia proderet. Quibus per hunc modum cognitis, custodiæ reip. vigilantius incumbebat : tempus autem referendi ad senatum nondum idoneum existimabat; sed privato consilio et diligentia illius conatus ubique frustrabatur : quo quidem facto, omnia pæne Urbis pericula in se unum convertit. Nam Catilina, quoniam ipsum valde officere suis consiliis et ubique obstare sentiebat, et

Digitized by Google

incolumi eo quidquam perficere posse verebatur, ante omnia ipsum occidere satuit : et insidias die noctuque ei tendere non cessavit, quas tamen Cicero non minori astu semper vitabat.

XX. Postremo quum occultæ insidiæ sæpius tentatæ nequaquam procederent, proximis comitiis, quibus consulatum petebat, aperta jam vi et magna armatorum manu in ipsa comitiorum turba Ciceronem occidere statuit. Quæ præsentiens Cicero, et simul existimans, si ille consul designaretur, omnia haud dubie peritura, in ipsa comitiorum die armatus in campum descendit : data etiam opera ut subtracta parumper ab humeris veste thorax conspicuus esset, quo periculum imminens civibus ostentaret. Cives ea re perculsi et de salute consulis solliciti eum circumstant. Ita clarorum virorum et robustissimorum adolescentium caterva stipatus comitiis præsidens effecit, ut, iterum Catilina repulso, Murena et Silanus consules crearentur.

XXI. Hac itaque spe destitutus Catilina, quum bellum facere ac extrema omnia experiri decrevisset, Manlium quemdam in Etruriam ad movenda arma præmisit : ipse in Urbe remansit ad cetera obeunda. Ibi quum in dies plura moliretur, Urbi incendia, consuli necem maturaret ; Cicero, qui privato consilio longius remp. sustinere non poterat, et quod motus jam ex Etruria nuntiabatur, non amplius cunctandum ratus, totam rem ut cognoverat in senatu patefecit. Senatus magnitudine periculi commotus decrevit ut consules providerent, ne quod resp. detrimentum caperet. Hæc erat summa potestas et nonnisi extremis periculis dari consueta : quam tunc nactus Cicero tanta multitudine armatorum stipatus incedebat, ut magnam fori partem, quoties eo descenderet, occuparet. Formidans tamen invidiam nobilitatis Catilinam occidere differebat, donec manifestioribus indiciis conjuratio teneretur.

XXII. At Catilina, quoniam magna circa consulem præsidia cernebat, alia via agendum ratus, C. Cornelio et

Digitized by Google

L. Vargunteio equitibus romanis negotium dat, ut mane veluti salutatum ad Ciceronem ingressi, ex improviso eum domi confodiant. Quo per Fulviam propere cognito, eos paullo post ad se venientes Cicero janua prohibuit. Sed eo periculo majorem in modum excitatus postridie in ædem Jovis Statoris senatum vocavit. Eo quum ipse quoque Catilina sive dissimulandi, sive sui purgandi causa venisset, præsentia ejus commotus Cicero gravissima oratione corripuit, et in exsilium ire jussit. Ipse autem Catilina quum respondere nesciret, sed in maledicta adversus consulem prorumperet, jurgio senatorum incensus demum veluti furens e curia domum minabundus evasit. Ibi multa secum agitans, tandem optimum factu ratus exercitum adire, Lentulo, Cethego, et aliis quorum promptam audaciam cognoverat, mandat ut opes conjurationis quantum possint confirment, insidias consuli maturent, cædes et incendia diligenter parent, se propediem cum exercitu affuturum promittit. Hæc mandata quum dedisset, intempesta nocte porta Flaminia egressus, in cástra ad Manlium contendit.

XXIII. At Lentulus et ceteri conjurationis principes, uti Catilina præceperat, quoscumque moribus aut fortuna novis rebus idoneos credebant, sibi adsciscere conabantur: paratisque magnis, ut putabant, viribus constituerant, ubi primum cum exercitu Catilina appropinquare nuntiaretur, ut L. Bestia tribunus plebis concione advocata quereretur de Ciceronis actionibus, in eumque causam belli totam refunderet, quo magis animi plebis adversus illum accenderentur: inde, quasi signo dato, proxima nocte Statilius et Gabinius cum magna manu duodecim opportuna Urbis loca incenderent: Cethegus januam Ciceronis obsideret eumque aggrederetur; alii item alios quos ad cædem destinaverant.

XXIV. Erant per id tempus in Urbe legati Allobrogum, quos, quia publice privatimque magno ære alieno oppressos sciebant, ad societatem belli requirunt. Liberationem

Digitized by Google

et præmia insuper amplissima civitati eorum pollicentur: victoriam in manibus esse ostendunt: participes consilii nominant: et, quo facilius inducantur legati, quosdam falso adjungunt. Illi diu secum volventes tandem per Fabium Sangam, cujus patrocinio utebantur, rem totam Ciceroni pandunt. Ille tempus manifeste deprehendendi venisse ratus, legatis imperat, ut studium conjurationis vehementer simulent, dentque operam ut illos quam manifestissimos habeant. Igitur ex præcepto consulis operam promittunt, literas a singulis postulant, quas ad cives suos perferant: non enim de tantis temere credituros affirmant: tandem a Lentulo, Cethego et Statilio literas obsignatas accipiunt. Mittit præterea cum illis Lentulus Titum Vulturcium, qui, antequam domum pergant, ad Catilinam eos perducat: ipsi Vulturcio literas et mandata ad Catilinam dat, in Urbe parata esse omnia, ne cunctetur propius cum exercitu accedere.

XXV. His rebus ita paratis, constituta nocte qua proficiscerentur, Cicero per legatos cuncta edoctus, apud pontem Milvium dispositis insidiis, eos capi et ad se cum literis duci jussit. Ipse ubi captos intellexit, statim Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium et Q. Cæparium ad se vocat: Lentulum, quia erat prætor, manu tenens secum duxit: reliquos cum custodibus in ædem Concordiæ venire jubet: eo senatum convocat: signis, literis, indiciis etiam Gallorum et T. Vulturcii (nam ei fides publica data erat) convincuntur. Senatus decrevit, ut P. Lentulus prætura abdicatus, itemque ceteri in liberis custodiis alii apud alium haberentur. Quare deposita in senatu purpura Lentulus P. Lentulo Spintheri, Cethegus Cornificio, Statilius Cæsari, Gabinius Crasso, Cæparius Cn. Terentio senatori traduntur.

XXVI. Postridie convocatus senatus supplicationem diis immortalibus pro servata rep. Ciceronis nomine decrevit: item legatorum et T. Vulturcii indicia comprobavit, iisque

www.libool.com.cn
Digitized by Google

præmia danda censuit. Sed quum Lentulus et Cethegus per libertos et clientes suos plebem concitare et direptionem moliri dicerentur, Cicero dispositis per Urbem præsidiis ne quis movere se posset, convocato iterum senatu ad patres retulit, quid de his qui in custodiis traditi essent, item de L. Cassio, P. Umbreno, P. Furio, Q. Annio (hos legati nominaverant) si deprehensi forent, fieri placeret. Omnes consulares, item prætorii deinceps rogati sententiam usque ad C. Cæsarem supplicium de iis sumendum censuerant. At Cæsar, ubi locus dicendi ad eum pervenit, vitam quidem servabat, tamen publicanda eorum bona, et ipsos perpetuis vinculis per municipia dispartiendos censebat. Inter hæc Cicero assurgens, quum utramque sententiam ad arbitrium senatus retulisset, primam sibi magis placere ostendit. Sed Cæsaris oratio plerosque commoverat; denique prævalitura videbatur, nisi M. Cato longa et splendida oratione priorem sententiam confirmasset. Ob hoc senatus decretum factum est in Catonis sententiam, non quod alii fere omnes non idem censuissent, sed quod eam sententiam jam labentem ipse magna constantia et auctoritate firmasset.

XXVII. Ad supplicium per hunc modum ductos fuisse tradunt. Quum post longam consultationem in senatu habitam tandem ex Catonis sententia supplicium de reis sumendum senatus statuisset, consul curia egressus comitante senatu et juventute nobilium armata ad ædes eorum, quibus in custodiam dati erant, profectus, primo Lentulum qui apud Spintherem custodiebatur ex Palatio per viam Sacram ac per medium forum ad carcerem duxit, et publico vindici tradidit jubens ut statim eum necaret. Eodem modo de aliis factum est. Nam et itum ad ædes, in quibus servabantur, et inde in carcerem ducti, spectante cum silentio plebe et summo timore perculsa, quod in potestate consulis et senatus positam remp. sine ulla contradictione intuebatur. Postquam omnes necati, consul ut spem eo-

Digitized by Google

rum, qui per noctem aliquid moliri cogitabant, præcideret, ad multitudinem conversus magna voce inquit : *Vixerunt.* Hoc verbum lenius est prolatu, et tamen idem significat quod *mortui sunt.*

www.libtool.com.cn

XXVIII. Nox jam erat, quum per medium forum in Palatium reductus est, non amplius pavore ac silentio uti nuper in traducendis reis, sed permixtæ undique turbæ summa lætitia et applausu quacumque iter faceret Ciceroni gratulabantur : illum servatorem patriæ, illum conditorem Urbis, illum optimum consulem vocitantes, quod viverent, quod filios, quod uxores, quod libertatem, quod civitatem haberent, virtuti ejus acceptum ferentes. Per vias ignis et faces lucebant : matresfamilias nuper pavidæ pro depulsis periculis gaudio exsultantes ad tam egregium reductionis spectaculum e fenestris tectisque catervatim pendebant. Denique tanti existimatæ sunt hæ res ab eo gestæ, ut M. Cato, vir severus et summæ gravitatis, earum gratia patrem patriæ putaverit appellandum : quod, ut supra diximus, primo omnium Ciceroni contigit, et quidem in libera civitate, ut inquit poeta quidam(1), imperatores deridens, qui ab adulatoribus hoc nomen sumebant :

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

XXIX. Quum itaque ex his rebus tantum auctoritatis et gratiæ Ciceroni accessisset, ut facile appareret illum etiam post consulatum principem in civitate futurum, commune malum invidia et ambitio mentes quorumdam adversus eum incendit. C. Cæsar, qui per id tempus prætor, item L. Bestia et Metellus, tribuni plebis, res gestas Ciceronis carpere et insectari potentiam cœperunt. Denique abeuntem consulatu habere concionem et apud populum loqui de rebus suis, ut mos erat, Metellus prohibuit : tantum ut juraret illi permissum. Ipse autem magna voce juravit non

(1) Juvenalis, Satir. VIII, 244.

Digitized by Google

solum jusjurandum, sed aliud pulcherrimum, quod populus postea magna voce ipsum vere jurasse juravit.

XXX. Ex hoc adversarii magis irritati et de voluntate populi diffisi legem promulgarunt de Cn. Pompeio cum exercitu ad Urbem vocando, ut potentiam Ciceronis deponeret. Non tamen ea lex ferri potuit intercedente Catone, neque Pompeius tunc rediit, neque, postquam reversus est, Ciceroni infensus fuit. Quin immo illi gratias egit, affirmans se frustra triumphum reportaturum fuisse, nisi Urbs a Cicerone servata esset, in qua triumphare posset. Hinc sequuta est inter Pompeium et Ciceronem amicitia, et in multis rebus non parva conjunctio, a qua tamen Cæsar et Crassus sic Pompeium nonnumquam averterunt, ut intermitteret eam potius quam desereret.

XXXI. Post consulatum amplior et illustrior factus majori auctoritate in senatu versabatur, in foro autem et judiciis solus regnabat: nec per illas occupationes a studiis et literis umquam cessavit. Patrimonium illi non amplissimum, attamen sumptibus sufficiens fuit. Ex Terentia uxore dotem satis amplam accepit, et testamentis amicorum multa obvenerunt. Fundum habuit in Arpinati amœnissimum: item in Tusculano villam quæ L. Sullæ dictatoris fuerat: in Pompeiano et Formiano alias villas: insuper domum in Palatio. Ab his liberaliter simul et modeste vitam ducebat cum romanis et græcis doctissimis viris, quos semper habebat domi. Ex patrociniis causarum neque dona, neque mercedem ab ullo recipiebat: omnis ejus opera gratuito erat.

XXXII. Florentem jam aliquot annos et gubernacula reip. tenentem Clodianus tandem furor urbe ejecit. Fluxit autem illa tempestas ex hujuscemodi causa. Mos fuit quotannis in ædibus pontificis maximi sacra Bonæ Deæ fieri pro salute populi romani. Ea nemini viro fas erat intueri: mulieres tantum faciendis aderant. P. Clodius Pompeiam C. Cæsaris uxorem amans, dum sacra per noctem fierent,

Digitized by Google

muliebri veste domum Cæsaris (is nam pontifex erat) ingressus, inter mulieres primo latuit. Deinde quum per ædes errabundus vaderet, rogatus ab ancilla Aureliæ Cæsaris matris quidnam quæreret, pedissequam Pompeiæ quærere se respondit nomine Auram. Illa ex voce suspicata virum, confestim clamorem extollit. Mulieres excitæ assurgunt, portas claudunt, domum perscrutantur, tandem latentem in quodam cubiculo deprehendunt.

XXXIII. Is postea de pollutis sacris accusatus ad refellendum accusatorem se ea die abfuisse procul ab Urbe allegavit. Accusator Ciceronem testem citari fecit, quod ea die Clodius domi ejus fuisset. Id erat verum, et Cicero testatus est. Testati sunt et alii clarissimi viri. Sed tamen ille corruptela judicum absolutus evasit. Graviter autem ferens testimonium a Tullio dictum, præsertim quod ante familiaris illi fuisse videbatur, gravissimas inimicitias adversus eum exercuit, ob quarum gratiam ex nobilissima Claudiorum gente plebeio homini adoptandum se dedit, quo tribunatum plebis nactus Ciceronem ulcisci posset. Traductus itaque ad plebem, nec multo post tribunus factus, statim Ciceroni diem apud populum dixit, quod is cives romanos injussu populi contra leges necasset.

XXXIV. Et consules quidem decretis provinciis sibi obnoxios fecerat, plebem autem novis legibus et magnis beneficiis obligaverat, ut nulla spes refugii apud alterutros Ciceroni relinqueretur. Ex tribus autem qui maxime per id tempus potentissimi erant, Crassus Ciceroni infensus adversabatur, Cæsar diversa in rep. sentiebat, Pompeius licet amicus tamen ad utrumque mussabat. His difficultatibus circumventus per communes amicos egit, ut legatus Cæsaris in Galliam proficisceretur: hoc enim Cæsar grate recipiebat et honorificum sibi existimabat. Legatio autem illius tribunatus annum penitus frustrabatur. Quod postquam intellexit Clodius, minas deponere et benigne loqui cœpit, ac per communes amicos de reditu in gratiam cum Cicerone

Digitized by Google

tentare : amicitiam denique ac benivolentiam polliceri. Hæc ficta mutatio Clodii Ciceronem a legatione avertit, quam rem Cæsar graviter tulit, et rursus irritato accusatore ipsum etiam de cæde civium apud populum criminatus, graviori periculo rerum involvit. Huic accedebat incommodo, quod alter ex consulibus L. Piso Cæsaris erat socer, alter P. Gabinius Ciceroni infensus ob supplicium conjuratorum. Itaque partim simultate, partim beneficio accusatoris et mercede provinciarum inducti Clodio favebant, Ciceroni adversabantur.

XXXV. Per hunc modum undique oppugnatus Cicero vestem mutavit, et sordidatus circumiens homines pro salute sua precabatur. Mutavit vestem cum ipso universus equester ordo, et ad viginti millia hominum mutato habitu eum sequebantur. Senatus etiam convenerat decreturus, ut omnes cives veluti in publica mœstitia vestem mutarent, quod tamen senatusconsultum impedientibus consulibus et Clodio armatis hominibus curiam obsidente fieri non potuit. Tantum enim terrorem Clodiana arma injecerant, ut nonnulli senatores laceratis togis e curia fugerent. Postquam manifestum erat neque senatus auctoritatem, neque commutationem habitus quidquam prodesse, ad Pompeium pro veteri amicitia conversus, ut sibi opem ferret adversus tribunicium furorem rogabat. At ille inde ab initio hujus contentionis rogatu Cæsaris e medio se abstulerat, et in Albanum secesserat. Venientem ad eum Ciceronem hominem de se bene meritum videre non sustinuit, sed pudore adductus, quando Cæsari socero nihil illius gratia se facturum promiserat, per aliam portam villæ longius abiit.

XXXVI. Reliquum ergo erat, aut in exsilium ire, aut sero dimicare. L. Lucullus vir clarissimus et magnæ auctoritatis arma capere et ferro decernere suadebat : aliis cedere satius videbatur et in aliud tempus reditum exspectare. Hæc tandem sententia Ciceroni placuit. Itaque per mediam noctem Urbe egressus terrestri itinere Lucaniam petiit ea mente,

Digitized by Google

ut in Siciliam inde trajiceret. Clodius, ut ejus fugam intellexit, ad populum tulit de ejus exsilio, rogationemque proposuit, per quam infra cccc ab Italia milliarium aqua et igni Ciceroni interdicebatur : si quis reciperet, pœna adversus eum erat exsilium et publicatio bonorum. Additum erat in lege, ne quis de eo reducendo referret, ne quis decerneret, ne disputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret, ne scribendo adesset. Villas præterea ejus incendit, agros vastavit, domum diruit, et quo solum quoque auferret, templum libertatis in area dedicavit : suppellectilem et cetera hastæ subjecit, et singulis diebus proclamabat, quorum tamen numquam repertus est emptor.

XXXVII. Fugientem Ciceronem alii omnes benigne receperunt, præter Vibium hominem quemdam sibi familiarem ; is enim ad se venientem domo non admisit : et Caium Virgilium Siciliæ prætorem, qui per literas vetuit in Siciliam proficisci. Consilio itaque repente mutato iter a Vibone oppido Brundisium convertit : e Brundisio Dyrrachium trajecit. Inde metu Antonii et quorumdam inimicorum, qui in Achaia erant, Epiro vitato in Macedoniam transiit, ubi a Plancio officiose pieque receptus commoratus est. Tulit autem hoc exsilium non forti animo, nec ut homini philosopho convenire videbatur, sæpe damnans se ipsum quod ferro non dimicasset, damnans consilia amicorum et perfidiam culpans, semper ad Italiam conversus, semper dolore et mœrore anxius.

XXXVIII. Interea P. Clodius potentia immoderate fretus quum Cn. Pompeio æmulari et ejus acta retractare cœpisset, adductus pœnitentia Pompeius, quod Ciceronem a Clodio pelli ex Urbe passus esset, subito mutata mente de illo revocando una cum ceteris amicis cogitare cœpit. Favebat præcipue Ciceroni Lentulus consul et tribuni aliqui plebis, inter quos erat T. Annius Milo, vir fortis et vehemens, pro quo est Ciceronis præclara oratio. Is legem ferebat de eo reducendo. Adversus hos Clodius cum suorum manu

Digitized by Google

resistebat. Res primo ad contentionem, inde ad arma deducta est, impediente Clodio legem fieri, impetumque in auctores legis faciente, ita ut unus ex tribunis ipsis vulneraretur, alii multi necarentur, Q. Ciceronis frater non alia via evaderet, quam quod se mortuum fingens inter cadavera per forum jacentia delituerit. Prævalebat itaque Clodius furore et armis.

XXXIX. Sed tantus erat ardor animorum, tantumque Ciceronis desiderium, ut incenderentur magis homines ob Clodii factum, quam deterrerentur. Jam enim ceteris omnibus posthabitis publicis privatisque negotiis universa civitas ad hoc unum intendebat: nihil senatus civibus, nihil sociis, nihil regibus respondebat, nihil judices sententiis, nihil populus suffragiis declarabat. Tandem vero Pompeius collecta bonorum multitudine, coactis etiam ex vicinis Italiæ locis non parvis auxiliis, Clodio foro expulso, cives vocavit ad legem de reditu Ciceronis perferendam. Numquam fertur de aliqua re tantus consensus totius populi fuisse, neque tantum studium totius Italiæ, quæ ob hoc ipsum Romam confluxerat, ut non magis eleganter quam vere postea dictum a Cicerone fuerit, Italiam suis humeris eum ab exsilio reportasse. Senatus etiam cum populo benivolentia certans decrevit, ut civitates quæ Ciceronem receperant laudarentur, utque domus et villæ ejus publicis sumptibus ædificarentur. Rediit decimo et sexto post fugam mense, cum summa lætitia et gratulatione totius civitatis.

XL. Nec ob ejus reditum sic fractus Clodius, ut quiesceret. Nam et postea Ciceronem armatis hominibus aggressus occidere tentavit, et in domum impetu facto redemptoribus fugatis lapides et columnas disjecit. Contra Cicero ipse nequaquam segnis cum magna hominum manu in Capitolium profectus tabulas a Clodio fixas, in quibus res gestæ tribunatus sui scriptæ erant, vi refixit atque perfregit: de quo quum in senatu accusaretur, quod tabulas publicas tribunitiasque privata vi auctoritateque sustulisset,

Digitized by Google

negavit Clodium fuisse tribunum, quoniam plebeium magistratum patricio homini per leges habere fas non esset. Quæ sententia Catoni displicuit: ille enim perniciosum quidem tribunum, ceterum tribunum censebat: alias nec profectionem suam in Cyprum, nec cetera multa in rep. gesta stare posse. Hinc sequuta est inter Catonem et Ciceronem quædam offensio, non tamen quæ in apertam simultatem evaderet, sed quæ benivolentiæ studium significationemque minueret.

XLI. Sed quum jam quotidianæ contentiones longius procederent, ac multi, qui absenti Ciceroni faverant, reverso præsentique inviderent, ac ipse Clodius præturam peteret ad omnia perturbanda; tandem a Milone Ciceronis amico interfectus est: nec abfuit suspicio, Ciceronem ejus cædis auctorem suasoremque fuisse. Mortuo Clodio quietiora tempora sequuta sunt, multosque per annos Cicero floruit, eam mediocritatem in rep. sequutus, ut et Pompeio et Cæsari amicissimus esset, nec tamen a gravitate senatoria usquam discederet. Per hæc tempora Q. frater Cæsari legatus in Galliam missus, et C. Trebatius jurisconsultus ejus familiaris Cæsari traditus, multi etiam per eum apud Cæsarem commendati, quos Ciceroni gratificans Cæsar magnis honoribus attollebat. Crassus etiam cum Cicerone in gratiam rediit, cœnavitque apud eum, ita ut quasi ex ipsius laribus ad bellum Parthicum proficisceretur.

XLII. Augur post Crassi interitum factus, et paullo post in Ciliciam pro consule missus provinciam romanam clade et victoria Parthorum in spem novarum rerum erectam non magis armis quam justitia, integritate et abstinentia ad populi romani fidem benivolentiamque reduxit. Civitates egentes et sumptibus jacturisque exhaustas acerbissimis tributis et gravissimis usuris ac falso ære alieno liberavit, rationes pecuniarum ab ante decennio ad suum proconsulatum retractans. Innumerabilia furta per provinciales ipsos adversus civitates suas commissa emendavit, adhibita mo-

Digitized by Google

deratione, ut pecuniæ civitatibus restituerentur sine ignominia illorum qui eas tenuissent. Sumptibus provincialium ita pepercit, ut neque in se, neque in legatos fieri ullos pateretur. Quum superiores proconsules intolerabiliter onerare, eorumque comites legati profecti rapinis et contumeliis afficere provinciales consuevissent; at eo proconsule neque virgis cæsum quemquam, neque maledicto aut iracundia ab ipso lacessitum ferunt. Aditus vero ita faciles erant, ut portæ semper incustoditæ paterent.

XLIII. Res etiam bello magnificæ in proconsulatu ab eo gestæ. Nam quum Parthi in Syriam transisse tumultuose nuntiarentur, non contentus provinciam tueri, sed de sociorum salute et finitimorum regum fide sollicitus obviam profectus in extrema Cappadocia non longe a Tauro apud Cybistra oppidum cum exercitu consedit. Ubi paucis diebus commoratus Ariobarzanem regem cum ipso regno servavit, cujus salus proficiscenti sibi fuerat a senatu commendata. Inde quum Parthorum copias a Cappadocia aversas non longe ab Amano monte abesse cognovisset, magnis itineribus ad Amanum contendit. Sed quoniam Parthi ab ea quoque parte jam recesserant, Amanum montem perpetuis hostibus infestum domare aggressus, tripartito exercitu eos invasit: ac post magnam hostium cædem Amanum caput ejus gentis, item Sepyram et Cominorum oppida, et castella complura vi cepit: ob quas res ab exercitu imperator appellatus est. Inde ad Pindenissum urbem altissimo et munitissimo loco sitam, cujus incolæ ne regibus quidem umquam paruerant, et tunc adventum Parthorum acerrime exspectabant, exercitum duxit: oppidanisque intra mœnia compulsis, vallo et fossa circumdedit: sex castellis castrisque maximis sepsit, aggere, vineis, turribus et omni tormentorum genere: septimo et quinquagesimo die postquam obsideri cœpta erat, expugnavit. Pro quibus rebus supplicatio a senatu Romæ decreta fuit. Triumphus quoque redeunti oblatus, quem etsi ab initio concupisset, tamen

Digitized by Google

quod alienum a conditione temporum existimabat, prosequi destitit, fervescentibus jam initiis civilis belli.

XLIV. E provincia decedens Rhodum prius, deinde Athenas amore et desiderio antiquarum conversationum, quas adolescens studiorum causa in iis locis habuerat, avidissime revisit, exceptus summo honore, tam a principibus civitatum, quam a philosophis et disciplinarum magistris, qui ad ipsum pro ingenii et doctrinæ fama undique concurrebant. Sed Athenis quum esset, tunc primo Cæsaris motum ex Gallia et turbationem civilis procellæ cognovit : statimque et Pompeii et Cæsaris literæ eodem ferme tempore ad eum venerunt. Uterque sane illum veluti suum haud dubie vindicabat. Ipse autem etsi Pompeio majori beneficio pro suo reditu adstrictus hominem et causam probabat, ut, si ad arma iretur, satius duceret cum illo vinci, quam cum Cæsare victorem esse; tamen ut medius quidam nec alterutri affectior, pacis auctor esse non destitit. Multa statim ad Cæsarem super hoc ipso, multa etiam ad Pompeium scribens, multa postquam in Urbem rediit in eam rem disserens : et in senatu et apud populum concordiam suadebat. Sententia ejus semper una fuit, omnem pacem, quamvis iniquam, civili bello sibi videri præferendam.

XLV. Consilium Pompeii de relinquenda Urbe vehementissime improbavit : sed quando ea sententia pervicerat, ipse cum fascibus et lictoribus, quos sibi populus romanus dederat, in prædiis suis circa Campaniam et maritimam oram, quarum sibi cura mandata erat, versabatur. Nonnumquam vero Capuam, ubi consules et senatus magna pars erat, præsertim si de conditionibus pacis aliquid tractari audiret, ut adjutor foret, se conferebat. Pulso Italia Pompeio et spe pacis amissa diu secum ipse conflictatus est incertus consilii, quod in Pompeio quidem opes fractas et non probanda consilia, in Cæsare vero flagitiosam belli causam esse videbat. Ita si Pompeium sequeretur, cladem sui et suorum; si deesset bonorum causæ, rumores hominum erant subeundi.

Digitized by Google

XLVI. Ea cunctantem et ambiguum diutius tenuerunt, sic tamen ut honestatis rationem semper utilitati securitatique præferret. Quod tum alias, tum in eo congressu quem cum Cæsare habuit patefactum est. Nam rediens Brundisio Cæsar, quum post fugam Pompeii Romam peteret, Ciceronem, ut prædiximus, in prædiis commorantem vidit, ac nonnulla adversus eum questus, tandem rogavit, ut ad Urbem adesset. Cui Cicero nihil summisse, nihil nisi cum dignitate et magno animo respondit, ostendens, si adesset, quas sententias dicturus foret, quasve reip. calamitates ploraturus : non enim placere senatui, exercitum populi romani contra alium item populi romani exercitum in Hispanias duci, non in Græciam transportari. Quum Cæsar respondisset : At ego ista dici nolo; Ita putabam, inquit Cicero: sed ego nolo eo adesse, quod aut mihi dicendum est quæ nullo modo silere possum, aut non veniendum. Tandem Cæsar ita discessit, ut diceret Ciceroni, super hoc deliberandum. Nec multo post de Urbe ad eum scripsit ignoscère se illi, quod non adfuisset, idque in optimam partem accipere.

XLVII. Profectus post hæc in Hispanias Cæsar, quum rumor increbuisset, Ciceronem in castra Pompeii navigaturum, ex ipso itinere ad eum scripsit monens atque rogans ne quo progrederetur, suadensque ut procul a bellorum curis medius, ut facere cœpisset, alicubi conquiesceret. Verba ejus epistolæ infra posui (1).

CÆSAR IMPERATOR S. D. CICERONI IMPERATORI.

« Etsi te nihil temere, nihil imprudenter facturum judicarem, tamen permotus hominum fama scribendum ad te existimavi et pro nostra benivolentia petendum, ne quo progredereris inclinata jam re, qua integra progrediendum

(1) Inter epistolas ad Atticum, lib. X, post octavam.

Digitized by Google

tibi non existimasses. Nam et amicitiæ graviorem injuriam feceris, et tibi minus commode consulueris, si non fortunæ obsequutus videberis (omnia enim secundissima nobis, adversissima illis accidisse videntur) nec causam sequutus (eadem enim tum fuit quum ab eorum consiliis abesse judicasti), sed meum aliquod factum condemnasse, quo mihi gravius abs te nihil accidere potest. Quod ne facias pro jure nostræ amicitiæ a te peto. Postremo quid viro bono et quieto et bono civi magis convenit quam abesse a civilibus controversiis? quod nonnulli quum probarent, periculi causa sequi non potuerunt. Tu explorato et in te meo testimonio et amicitiæ judicio, neque tutius, neque honestius reperies quidquam, quam ab omni contentione abesse. Vale. xv kal. maii ex itinere».

XLVIII. Satis ergo erat Cæsari, ut cum neutro esset. Hoc idem Marcus Cœlius, hoc Dolabella suadebat, ut in eorum epistolis apparet: et si ab eventu res judicandæ sunt, hæc potiora consilia fuerunt, quod Ciceronis prudentiam nequaquam fallebat. Sed virum bonum et optimas reip. partes suscipere consuetum pudebat in his castris non esse, in quibus Pompeium ducem optime de se meritum, et senatum et consules esse videbat: augebaturque sermonibus, qui de castris de eo afferebantur: male de se existimare senatum et tales cives, moleste ferebat. Hæc tandem quasi tormenta quædam virum expugnarunt, ut non modo Cæsaris amicitiæ verum etiam tuto otio bellum periculosum desperatumque præferret. Parata igitur sibi occulte navi, quamvis omnes oræ Cæsarianis custodiis, ne quis ex Italia discederet, observabantur; et Antonius de Cicerone observando nominatim sibi a Cæsare imperatum asseverabat; tamen nullo negotio mare ingressus ad castra Pompeii navigavit.

XLIX. Adventus ejus eo gratior fuit, quo insperatior: quippe nemo jam venturum existimabat. Sed quum deteriora opinione cuncta offendisset, neque consilium belli

Digitized by Google

ita gerendi, neque copias Cn. Pompeii, neque genus exercitus comprobaret, pacem primo : deinde, quod Pompeius ab ea sententia valde abhorrebat, ut bellum traheret suadere institit. In quibus quum non multum sibi obtemperaretur, et præterea rapacitas atque crudelitas multorum, quos emendare non licebat, eum offenderet, quasi pœnitentia adductus quod eo accessisset, omnia contemnere, et sese quantum poterat a rebus gerendis alienare cœpit.

L. Commisso deinde in Pharsalia prælio, in quo ipse valitudine adversa impeditus non adfuit, Marcus Cato qui navalibus copiis apud Dyrrachium præerat, cognita Cæsaris victoria, classem et exercitum Ciceroni tradere voluit, illique concedere, ut par erat prætorium hominem viro consulari et fasces a populo romano habenti. Id omnes qui in exercitu erant Ciceroni suscipiendum censebant, et in primis Pompeius filius : omnes denique sibi ducem pro communi salute Ciceronem deposcebant. At ipse quoniam nullo modo putabat, cui integri pares non fuissent eidem fractos superiores fore, et simul existimans esse sapientis et boni civis initia belli civilis invitum suscipere, extrema non libenter prosequi; postulationem Catonis et aliorum qui ad suscipendum imperium hortabantur omnino rejecit, seque sibi finem belli fecisse et in otium properare palam respondit : quod ejus dictum adeo infeste quidam receperunt, tantusque repente furor mentes invasit, ut ipse Cicero pæne interficeretur, Pompeio cum suis eductis gladiis sic obstinate in eum ruentibus, ut Catoni magnum negotium fuerit illorum temeritatem furoremque comprimere.

LI. Inde ergo propere in Italiam reversus, reditum Cæsaris circa Ægyptum Asiamque diutius commorantis Brundisii exspectavit : vacuus quidem a bellorum curis, ceterum tantis usuris ac tam magno ære alieno involutus, ut patrimonium ejus pæne totum absorberetur. Id vero non tam sumptibus, quos per illa bellorum tempora magnos subie-

Digitized by Google

rat, quam incuria et negligentia dispensationis accidisse videbatur: quæ res animum ejus a Terentia uxore incredibiliter alienavit: præsertim quum aliæ quoque indignationis causæ adversus eam subessent. Fasces tamen laureatos ac turbam lictorum, quos ab initio urbe extulerat, etiam Brundisii retinuit. Post longam exspectationem quum Cæsar tandem appulisse Tarentum, atque inde iter facere nuntiaretur, obviam processit bona quidem spe, sed anxius cura quemadmodum victorem alloqui oporteret. Vero enim nil ut faceret diceretve præter dignitatem opus fuit. Cæsar quippe ut ad se porro venientem prospexit, ad terram descendit, eumque humanissime complexus solus cum solo multa stadia loquendo confecit: in honore denique eum habere et familiariter uti perseveravit.

LII. In Urbem inde reversus, quoniam summa rerum in arbitrio unius posita foro et curiæ locum nullum relinquebat, ad literas et studia se retulit, ut quando alia non dabatur, illa saltem via civibus suis prodesset. Plurimum vero per id tempus in prædiis suis morabatur: ad Urbem nisi Cæsaris salutandi aut pro salute alicujus civis orandi causa non accedebat: ut pro Marcello, de cujus restitutione a Cæsare impetrata senatus nomine gratias egit: ut pro Ligario et Dejotaro rege, quos apud Cæsarem iratum victoremque defendit. Ceterum omne tempus aut disputationibus familiarium, aut legendo scribendoque assumebatur: homo vere natus ad prodessendum hominibus vel in rep. vel in doctrina: siquidem in rep. patriam consul, et innumerabiles orator servavit: in doctrina vero et literis non civibus suis tantum, sed plane omnibus qui latina utuntur lingua, lumen eruditionis sapientiæque aperuit.

LIII. Hic enim primus philosophiam antea nostris literis incognitam et pæne a romano sermone abhorrentem, de qua nec latine scribi, nec disputari posse plerique docti viri arbitrabantur, latinis literis explicuit. Hic plurima verba ad usum patrii sermonis adjunxit, quo lucidius et commodius

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

philosophorum inventa disputataque exprimerentur. Hic dicendi præcepta et artem prius quam ulli nostri, doctius quam ulli Græci, patefecit et tradidit. Hic ad potestatem romani imperii dominam rerum humanarum eloquentiam adjunxit. Itaque non magis patrem patriæ appellare ipsum convenit, quam parentem eloquii et literarum nostrarum, cujus libros monumentaque si evolvas, numquam otium illi fuisse credas ad negotia obeunda. Rursus autem si res gestas ejus, si contentiones, si occupationes, si certamina in re publica et privata consideres, nullum tempus illi reliquum fuisse existimes ad legendum vel scribendum. Ita solus, ut credo, hominum duo maxima munera et difficillima adimplevit, ut et in rep. orbis terrarum moderatrice occupatissimus plura scriberet, quam philosophi in otio studioque viventes; et rursus studiis librisque scribendis maxime occupatus, plura negotia obierit, quam ii qui vacui sunt ab omni cura literarum. Hujus ego causam fuisse puto primo admirabilem quamdam ac divinam ingenii magnitudinem, deinde vigilantem solertemque naturam, tertio quod plenus omni sapientia, omnique doctrina ad remp. se contulerat. Itaque ex eodem philosophiæ sacrario et facta ad remp. gubernandam, et dicta ad scribendum præcipiendumque aliis depromebat. Ingenue vero ab adolescentia eruditus et in dicendo plurimum exercitatus facile et sine labore cogitationes suas mandare literis poterat.

LIV. Hac igitur felicitate ingenii, hoc naturæ munere, hac denique sapientia et eruditione fretus, a pueritia ad exitum vitæ multa scripsit: multa etiam, quum mors indigna illum eripuit, scribere instituerat. Genera autem scriptorum ejus quadripartita fuerunt. Quemadmodum enim illius opera partim in rep. administranda, partim in foro judiciisque, partim in domesticis familiaribusque negotiis ponebatur (erat autem aliud tempus, quod seorsum ad studia doctrinasque referebat), sic scriptorum ejus alia publica sunt, alia forensia, quædam familiaria, quædam studiorum

Digitized by Google

atque doctrinæ. In unoquoque sane horum permulti libri ab eo divine immortaliterque perscripti, de quibus non alienum fuerit breviter, prout vel ipsi vidimus, vel ab aliis accepimus, recensere.

LV. Atque ut ab ea parte quæ ad studia et doctrinas pertinet, et in illa ipsa ab optimis incipiamus, inter maxime præstabilia ejus generis opera, sex libri de rep. fuisse memorantur, quos constat ab eo editos, postquam ab exsilio in Urbem redierat. Scripsit post hæc de finibus bonorum et malorum libros quinque, in quibus Stoicorum, Peripateticorum, Epicureorum et Academicorum sectas varietatesque aperuit. Tusculanarum quæstionum libros quinque. De natura Deorum tres. De Divinatione duos. De Legibus tres. De Officiis totidem. Adversus vituperatores philosophiæ librum unum. Academicorum libros quatuor. De Senectute. De Amicitia. De Consolatione libros singulos. De Gloria libros duos. De Fato unum. Laudationem Catonis, adversus quam Cæsar Anticatones rescripsit. Paradoxa ad Brutum. Topica ad Trebatium. Transtulit Platonis Timæum atque Protagoram, Xenophontis OEconomicum, Arati librum hexametro carmine, Demosthenis et Æschinis orationes illas famosissimas in causa Ctesiphontis, quæ quum apud nostros negligenter custoditæ jampridem ex Italia tamquam peregrinæ alienæque aufugissent, nos Ciceronem imitati eas ex Græcia in latinum nostra manu reduximus.

LVI. Scripsit etiam in oratoria facultate rhetoricorum libros quatuor ad C. Herennium. Item de eadem re libros duos. Post hæc longe eruditius de Oratore libros tres, in quibus omnem veterum et Aristotelicam et Isocrateam rationem oratoriam complexus est. De optimo genere dicendi ad M. Brutum. De partitione oratoria ad M. filium. Item alium de eadem re librum qui Orator dictus est. Commentarios consulatus sui græce scriptos quos ad Possidonium philosophum misit. Item versibus tres libros de tempori-

Digitized by Google

bus suis. Hæc ferme in illo studiorum et doctrinæ genere ab eo edita.

LVII. Publica vero et forensia ejus opera orationibus continentur, quarum eas quæ in senatu ad populum habitæ sunt publicas, quæ vero privatam alicujus defensionem impugnationemque judiciariam continent, eas forenses privatasque in præsentiarum vocamus. Publicas igitur reliquit de lege Manilia. Item quam consulatum iniens kalendis januarii in senatu habuit. Item ad populum de lege agraria. Item de proscriptorum filiis. Pro Othone. Pro Rabirio. Duas item ad legem agrariam pertinentes. In Catilinam et conjuratos quatuor. In Metellum. In Sallustium. De exsilio suo orationes tres. De provinciis consularibus. De responsis haruspicum. Pro Marco Marcello. In Marcum Antonium libros quatuordecim. Forenses vero sunt pro P. Quintio. Pro Sex. Roscio. Pro A. Cluentio. Septem libri accusationis in Verrem. Oratio in Vatinium testem. Pro P. Sextio. Pro L. Murena. Pro P. Sulla. Pro Cn. Plancio. Pro Cornelio Balbo. Pro L. Flacco. Pro M. Cœlio. Pro Fundanio. Pro Vareno. Pro Cæcina. Pro Milone. Pro Archia poeta. Pro Scauro. Pro Oppio. Pro Tullio. Pro domo sua ad pontifices. Pro Q. Ligario. Pro rege Dejotaro. Hæc forensia.

LVIII. In domestico autem illo familiarique scribendi genere epistolas pæne innumerabiles summa cum elegantia scriptas reliquit, quibus ad amicos scribens multa volumina refersit. Sed earum exstant hodie sex et XXX libri qui inter manus versantur : quorum sunt ad Atticum libri XVI, ad Q. fratrem libri tres, reliqui ad M. Brutum, ad Cn. Lentulum, ad P. Sulpicium, ad M. Varronem, ad M. Cœlium et alios præstantissimos suæ ætatis viros. Nam et ad M. filium et ad Cornelium Nepotem et ad C. Cæsarem et ad Hirtium et ad Pansam et ad Cæsarem juniorem multos epistolarum libros scripsisse eum constat, quorum nullus hodie reperitur. Quippe libro quinto epistolarum ad Hirtium, et secundo libro ad Cæsarem juniorem allegatas ejus sententias legimus.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

LIX. Sunt igitur quos adhuc nominavimus CLXIII, quorum ad studia et doctrinas pertinent LVIII, ad reip. actiones tres et triginta, ad forum et judicia novem et viginti, ad rem familiarem tres et XL. Nec tamen nos ideo eos numeravimus, quod tot dumtaxat eum scripsisse pateat, sed ut de multis quos ille scripsit, tot ad nostram notitiam devenisse ostenderemus. Nam multo plura ab eo scripta constat. Præsertim in familiari ac forensi generibus scripsisse fertur cum summa facilitate, quod et multitudo librorum et textus ipse orationis nitide illaborateque fluentis ostendit. Neque tantum prosa, in quo genere ingens illa verborum et sententiarum copia velut mananti fonte exuberat; verum et metro quoties animum appulisset, non pauciores quingentis versibus per singulas noctes componere solitum tradiderunt.

LX. In dicendo vero quanta illi vis, quanta gratia fuerit multa testantur : et illud in primis, quod adversarii regem invidioso nomine appellare consueverunt, quod videlicet nulli absolverentur, nulli damnarentur, nisi quos ille absolutos damnatosve voluisset. Probant multæ ejus ac præclaræ defensiones, in quibus vel manifestorum criminum reos, vel alios odiosos atque invisos ab invitis et obstinatis judicibus orando extorsit. In causa Q. Ligarii quæ apud Cæsarem dictatorem acta est, fertur Cæsar ita animatus fuisse, ut Ligarium omnino pro condemnato haberet. Et quum Cicero defensurus venit, dixisse ad amicos : Reum quidem damnare certissimum est, nil tamen prohibet Ciceronem audire. Sed idem ille qui hoc dixerat, mox agente oratore, propositum illud damnandi tenere non potuit. Prudentissima enim et artificiosa oratio cum gratia et plenitudine ad aures ejus perveniens, tam varie mentem animumque affecit, ut sæpe vultum coloremque mutaret. Ubi ad commemorationem pugnæ devenit, quum in accusatorem acriter conversus illa dixit : Quid enim, Tubero, ille tuus districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus

Digitized by Google

petebat? quis erat sensus armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Eo ista dicente ita Cæsarem extra se positum et quasi mente alienatum ferunt, ut toto corpore excusso, libellos quos manu tenebat abjiceret : denique vi coactus contra propositum animi reum absolvit.

LXI. Quid? L. Flaccum repetundarum reum nonne omnium opinione damnatum et testimoniis multarum civitatum convictum judicibus extorsit? Quid? Murena quem Cato de ambitu accusavit, nonne quum de crimine ipso constaret, Cicerone orante absolutus est? Quid? legem agrariam nonne ardenti et cupientissimæ plebi funditus dissuasit? Sed habuit in his tempus spatiumque cogitandi. Quid autem illa, quæ pro M. Othone subito et sine ulla præmeditatione effecit? Quum ille romanos equites mixtos cum cetera plebe spectare solitos lege lata segregasset, at ob id plebs se despectam putans summo odio in Othonem accensa venientem in theatrum maledictis et jurgio incessisset; contra equestris ordo reclamaret, animis undique inflammatis; nonne Cicero, qui per id tempus consul erat, advocata confestim plebe, ita dicendo mentes immutavit, ut in theatrum reversa Othoni applauderet?

LXII. Nec minor sane in accusando quam in defendendo fuit. Nihil profecto vehementius romana judicia umquam viderunt, quam accusationem C. Verris : nihil umquam violentius neque asperius curia audivit quam accusationem Catilinæ. Atque constat, Ciceronem initio dicendi subtimidum fuisse, quod et ipse multis locis fatetur, et omnibus fere oratoribus optimis evenisse ostendit. Sed ut ab initio pavescebat, sic postquam prima illa initia evaserat, audentissimus erat. Quippe in accusatione contra Verrem eousque vehementiæ audaciæque processit, ut judicibus graviter minatus sit, nisi reum condemnarent. Et Catilina homo audacissimus ab eo in senatu accusatus propter vehemen-

Digitized by Google

tiam accusationis obmutuit. In Metellum quoque et Clodium et Antonium ita invectus est, ut eorum audaciam furoremque perstringeret. Unde illud in eo præcipue amandum, quod tanta potentia judiciorum fretus neminem umquam in judicio accusavit, præter unum C. Verrem, quem Siculorum gratia persequutus est. Ceterum omnem forensem operam in defensione calamitosorum exhibuit.

LXIII. Sed et in sententiis dicendis et in omni eloquutione plurimum eminebat. Quædam sunt ejus orationes totæ subtiles, ut pro Quintio et pro Cæcina : quædam totæ graves, ut contra Catilinam et aliquæ Antonianæ : multæ variæ, ut de responsis haruspicum, ut pro Cluentio, ut pro Milone. Longum esset singula persequi, et per omnes orationes ejus vagari. Illud dixisse sat erit : ex tanta multitudine studiosorum hominum, qui vel in ejus ætate fuerunt, vel postea sequuti sunt, neque dicendo adhuc quispiam Ciceronem æquavit, neque scribendo proximus accessit.

LXIV. Una tantum in re audientibus gravem fuisse dicunt, quod de se ac de illo consulatu suo plurimum loquebatur. Sed hæc certe necessarium erat contra invidentes carpentesque repetere, et habebant medicinam, quod nemo in laudibus ceterorum hominum magis profusissimus umquam fuit, nemo aliorum commendationibus detraxit minus. Laudabat se nonnumquam; at Catonem, Lucullum, Hortensium, Pompeium et ceteros præstantes in rep. viros coætaneos suos in cælum tollebat. Dixit aliquid de facultate dicendi; at Platonis dialogos sic scriptos aiebat, ut si Jupiter loqui vellet, non aliter loqueretur. Aristotelem flumen aureum vocitabat. Theophrasti libros suas delicias esse dicebat. Demostheni tantum tribuit, ut Antonianas orationes, in quibus maxime nisus est, ob illius honorem Philippicas appellarit : de ipso etiam ad Brutum scribens; illum multa in dicendo perficere, se multa conari; illum posse, se velle asserit. Nam M. quidem Varronem et libros ejus tantis

Digitized by Google

laudibus extulit, ut sibi ipsi et suis nullam fecisse reliquam videatur. Quis igitur veras ejus laudes non libenter audiat, qui nemini umquam inviderit, et aliorum laudes tam avide complectatur? Nimis profecto insolentes fastidiosique sumus: virtutes ab hominibus ad unguem exigimus; eos de illis ipsis loqui non toleramus.

LXV. Sed non est propositi nostri causam agere, sed vitam moresque describere. Ad rem igitur redeamus. Ex patrociniis neque dona, neque mercedem ab ullo recepit. Munera a Siculis ultro ingentia magnifica delata constantissime renuit, eo dumtaxat contentus, ut ædilitatem suam transmissione frumentaria, nec illa quidem gratuita, adjuvarent. In respondendo lacessendoque ex tempore acutissimus fuit. Clodio objectanti quod judices ei non crediderant, sibi credidisse respondit, at non illi, quoniam antequam absolverent, pecunias voluissent. Metello in concione sæpius interroganti, quis pater ejus fuisset? Matrem difficilius relatu hoc illi fecisse respondit: nam Metelli mater parum pudica habita fuerat. Hortensio, cui Verres sphingem donaverat, se quiddam obscure dictum non intelligere dicenti, domi sphingem habere cavillatus est.

LXVI. Joco et risu in omni vita pæne intemperanter usus est, acumenque ingenii mirifica condimenta jocanti suppeditabat. In causa Murenæ in Catonem et opiniones illas Stoicorum, quæ paradoxa vocant, perpetua oratione jocatus tantum risum in judicio excitavit, ut fluerent omnibus lacrimæ, neque e judicibus, neque e multitudine circumstantium quisquam sese recipere aut continere posset. Catonem quoque exhilaratum dixisse ferunt: Quam ridiculum consulem habemus! Erat enim tum Cicero consul, quum Murenam defendit. In causa quoque L. Flacci non mediocriter profuisse jocus creditur in testibus refutandis.

LXVII. Sed et in aliis numquam occasionem jocandi sibi oblatam respuit. P. Cotta fuit professione quidem jurisconsultus, sed hebetis ingenii minimæque scientiæ. Is testis in

Digitized by Google

quadam causa productus et de re interrogatus, se nihil scire respondit. Tum Cicero ad eum, Siste, inquit : tu fortasse de jure te interrogatum credidisti. Nec minus venuste in L. Cottam censorem jocatus est. Nam quum negotia obeunti in foro et tandem sitienti aqua ad potum fuisset oblata, amicos vocavit, et circumtegere se jussit, ne si censor sciret eum aquam potare, senatu amoveret. Erat enim Cotta censor de vinositate famosus : at censores solebant vinosos senatu amovere. Sed neque a Cæsare jam dictatore lacessendo abstinuit. Nam quum ille prædia parvo admodum pretio Serviliæ vendidisset; multis, ut fit, vilitatem mirantibus; At quo melius, inquit, empta sciatis, tertia deducta est. Illa namque filiam suam nomine Tertiam Cæsari conciliasse et ad eum duxisse putabatur. Prolixam certe haberet materiam, si quis ista colligere ac prosequi vellet. Sunt enim pæne innumerabilia ejus dicta : non enim amicis, non inimicis, non domesticis, non sibi ipsi in hoc urbanitatis genere umquam pepercit.

LXVIII. Hanc ejus lætitiam jucunditatemque naturæ domesticæ molestiæ ad extremum turbarunt, de quibus ut lucidius intelligi possit, superius repetam. Habuit Cicero Terentiam uxorem : ex ea Tulliolam et Marcum filios : habuit et duos fratres, alium germanum, alium patruelem, ex quibus L. Cicero, qui patruelis erat, adolescens magnæ indolis et oratoriæ artis studiosus, ante consulatum ejus diem obiit. Q. vero frater habuit uxorem Pomponiam Attici sororem, et ex ea filium nomine Quintum. Libertorum et servorum utrique magna familia, patrimonia satis ampla. Sed Q. fratri ex gratia potius Ciceronis quam ex sua virtute honores, opes, dignitates accreverant: nam ipse quidem per se haud multi habebatur. Ex Tulliola generos habuit duos, et quidem utrumque summæ nobilitatis, primo Crassipedem Pisonem, qui paullo ante profectionem ejus in Ciliciam defunctus est : postea Cornelium Dolabellam, cui etiam eo in Cilicia proconsulatum gerente Tullia nupsit.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

LXIX. Hæc tranquilla omnia et plena dignitatis concordiæque fuerunt usque ad tempus civilis belli. Postea vero eadem illa fortuna, quæ remp. sæviendo invasit, non minori impetu domum Ciceronis ingressa cuncta turbavit atque permiscuit. Q. frater durante adhuc bello civili adeo inimico animo in Ciceronem factus est, ut etiam scripserit orationem quam contra eum apud Cæsarem recitaret. Q. Cicero fratris filius adolescens audax et facinorosus etiam de ipsius cæde quandoque cogitavit. Eorum perversitates Cicero ita leviter tulit, ut per hæc ipsa tempora, quibus illi maximis eum injuriis appetebant, Q. fratrem apud Cæsarem, qui illi iratus putabatur, non destiterit commendare.

LXX. Sed nec Terentia uxor in fide permansit. Nam illa, quamdiu ipse abfuit Pompeium sequutus, nihil umquam ex ejus sententia domi gessit: patrimonium parum diligenter parumque fideliter administratum sumptibus jacturisque exinanivit, pecunias ad eum numquam misit: in summa egestate viatici constitutum et sæpius per literas postulantem, quasi alienum et numquam rediturum, neglexit. Postquam in Italiam rediit, quum multum tempus Brundisii reditum Cæsaris exspectans moraretur, numquam ad ipsum venire dignata est. Quin etiam Tulliolæ filiæ Brundisium eunti, nec una ire voluit, nec satis decentem comitatum puellæ tradidit. Perverse denique omnia facere molirique videbatur. Quibus tandem rebus coactus est exemplo summorum virorum eam dimittere. Super hæc omnia grande æs alienum sub usuris sumptum in dies omnia devorabat, et accedebat restitutio dotis Terentiæ facienda: quibus quum aliter satisfieri non posset, tandem ex amicorum sententia Publiam (1), cui ampla hereditas erat, uxorem accepit.

LXXI. Nec multo post summo ipsum dolore affecit Tulliæ mors, quam partu laborantem per id tempus amisit,

(1) Ita duo codd. hic et deinceps; ast tertius *Publicam*; editio *Publiliam*. Variat hoc nomen etiam ad Attic. XII, 32; Quintil. Inst. VI, 4.

www.libook.com.cn

Digitized by Google

quo Cæsar in Hispania contra Pompeii liberos bellum gerebat. Pro lenimento hujus doloris scriptus est ab eo liber, in quo se ipsum consolatus est. Sed et alii multi consolationes ad eum scripserunt, ex quibus exstat Servii consolatio pulcherrima. Cæsar quoque ex Hispania consolationem Tulliolæ ad Ciceronem scripsit, et Brutus Romæ. O sæculum doctorum hominum! At nunc vix est qui prima elementa proferre sciat, vix est qui curet. Publiam uxorem quæ morte Tulliolæ lætari visa erat, abs se Cicero separavit. Ipse Asturæ aliquamdiu secessit. M. Cicero filius non satis bona existimatione per hoc tempus fuit. Is tamen postea Athenas missus et Cratippo traditus brevi profectu famam recuperavit. Hæc domestica.

LXXII. Interfecto Cæsare, quum recuperata libertas videretur, statim princeps in senatu apparuit. Pacem inter Cæsaris amicos et interfectores ejus qui Capitolium occupaverant persuasit. Memoriam pristinarum discordiarum oblivione sempiterna delendam censuit. Et sane ab initio secundissime omnia. Brutus et Cassius a senatu laudati : gratulationes et applausus ut liberatoribus patriæ per totam Urbem facti. Sed quum mox Antonii consulis mutata voluntas et res ad servitutem rursus spectare appareret, Brutus et Cassius tuto in Urbe esse non possent, omnia denique flagitiose ab Antonio agerentur, in Græciam abire statuit ea mente, ut kal. januariis ab Urbe abesset, quod erat initium Pansæ et Hirtii consulatus futurum. Delatus ergo in Siciliam et inde quum Græciam peteret, vento ad Leucopetram revectus redeundi in Urbem consilium cepit, accepta M. Antonii concione, et magna ejus mutatione per quosdam nuntiata, quasi ille repudiatis malis suasoribus ad senatus auctoritatem se totum retulisset.

LXXIII. Reversus itaque propere in Urbem nihilo meliora offendit quam proficiscens reliquerat. Antonius enim manifeste sibi tyrannidem parabat : in senatu, quoties veniebat, milites armatos inter subsellia senatorum collocabat :

www.hbook.com.cn
Digitized by Google

omnia venalia impudentissime habebat. Reditus Ciceronis magnam Antonio suspicionem attulit, et quum forte per eos dies senatum haberet, ac Cicero, quod erat fessus e via, venire causaretur, cum fabris se ejus domum audiente senatu disturbaturum minatus est : quod Cicero pro sua dignitate inique tulit, et veluti ad gravem contumeliam accepit. Itaque postridie in senatum veniens, quum de profectione ac reversione sua, ne forte secus quis acciperet, rationem exposuisset; questus est de M. Antonii injuria, ac subinde de rep. dicere aggressus, ita loquutus est, ut ejus libertatem et magnitudinem animi omnes admirarentur. Percursis enim, ab eo tempore quo necatus Cæsar fuerat ad eam diem, quæ erat kal. septembris, omnibus reip. actionibus, mutationem voluntatis Antonii non solum redarguit, sed increpuit : et quæ ejus sententia foret de tota rep. elato animo et nihil de suo periculo recusanti liberrime patefecit. Ea oratione majorem in modum irritatus Antonius inimicitias illi denuntiavit.

LXXIV. Hic est jam Ciceronis velut optimi poetæ extremus actus, et certe meo judicio omnium fortissimus atque pulcherrimus. Tantum enim abfuit, ut hac inimicitiarum denuntiatione, quod ille putavit, deterritus Urbe excederet, ut etiam illius minas, quamvis potentissimi et armis undique stipatissimi, pro rep. ultro expetere ac deposcere videretur. Sed quum dies XIII kal. octobris, quo die adesse edictum erat, venisset; Antonius cum magno armatorum agmine in senatum profectus, longa oratione quam per XVII dies ante meditatus fuerat in Ciceronem invectus est, eamque postea scriptis edidit. At Ciceronem ea die in senatum venire et coram respondere cupientem amici retinuerunt : erant enim potentiora Antonii arma, nec nisi ad manifestum interitum proficisci videbatur.

LXXV. Hinc majori uterque vi ad opes augendas conversus veteranos Antonius undique convocare, et ejus rei gratia per Italiam discursare : Cicero C. Octavianum, qui

Digitized by Google

Cæsar Octavianus dictus est, ad quem propter Cæsaris nomen hereditatemque veterani milites concurrebant, sibi conjungere perrexit. Nec id fuit difficile. Nam hereditate Cæsaris et magna pecunia ab Antonio fraudatus et insuper magnis contumeliis affectus facile ad Ciceronis voluntatem auctoritatemque se contulit. Et erat sane amicitia quædam paterna, et præterea observatio, quod ille Cicerone consule natus, et ab eo propter somnium quoddam jam ante dilectus fuerat. Hac igitur conjunctione adeo superior facta est Ciceronis res, ut tandem Antonius territus Urbem reliquerit.

LXXVI. Post hæc Cicero plurimum jam in Urbe potens magnam sollicitudinem de Antonio opprimendo suscepit. Sed erat illa difficultas, quod nondum kal. januariæ aderant, quo tempore Hirtius et Pansa homines sibi amicissimi et idem de rep. sentientes consulatum inirent, nec erat qui interea senatum vocaret : quare privato consilio sibi cuncta agenda erant. Quum ergo cognovisset Antonium in Galliam properare, per literas nuntiosque D. Brutum qui Mutinæ erat confirmavit, ut provinciam in senatus populique romani voluntate retineret, Antonioque licet consuli resisteret : nec in libertate et salute populi romani conservanda auctoritatem senatus exspectaret. Voluntatem enim pro auctoritate haberi debere, quum auctoritas impeditur. His adhortationibus Brutum suopte ingenio ad id pronum concitabat, ut adversus Antonium consulem bellum moveret.

LXXVII. Interea vero dum ille Mutinensi bello impeditus tenebatur, quæ in Urbe providenda ac paranda erant diligentissime parabat. Eo igitur auctore quum tribuni plebis senatum vocassent, effecit, ut Octavianum itemque legiones quæ Antonium consulem deseruerant, et simul D. Brutum, qui restiterat, bene eque republica fecisse decerneretur : quo quidem facto hostis quodammodo Antonius a senatu judicatus est. Mox advenientibus kal. januariis mo-

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

nendo et cohortando obtinuit, ut Hirtius et Pansa consules itemque Octavianus pro prætore cum exercitibus contra Antonium mitterentur. Profecti igitur ad bellum, non longe a Mutina signis collatis pugnaverunt. In eo prælio Antonius victus ac fugatus amissis omnibus copiis præter equitatum aufugit : sed in acie Pansa et Hirtius consules ambo occiderunt. Hoc fuit pestiferum reip. vulnus, semen et origo sequutarum calamitatum. Nam Octavianus adolescens, ubi consules e medio sublatos, et se solum ducem in tantis copiis relictum conspexit, mutata jam et ipse mente, de dominatione cogitare cœpit, quod illis vivis numquam facere potuisset. Sed hæc postea apparuerunt.

LXXVIII. Romæ priusquam de victoria Mutinensi nuntius afferretur, fama quædam falso vulgarat rem apud Mutinam male gestam fuisse. Itaque universa civitas sollicita ac pavida erat : fuitque opinio vehemens, Ciceronem correptis fascibus Capitolium fore occupaturum, quo magis Urbe in suam potestatem redacta, Antonii amicos qui se moverent opprimere, et illi venienti resistere posset. Inter hæc victoria nuntiatur, statimque concursus factus est ad Ciceronis domum. Gratulantium turbæ veluti ovantem in Capitolium detulerunt : mox senatu advocato decretæ supplicationes ad omnia pulvinaria, et sepulcrum militibus qui in prælio cecidissent. Nam de morte consulum nondum audiebatur. Creati subinde decem viri ad dividendos agros et præmia veteranis assignanda, quorum ipse Cicero unus fuit.

LXXIX. Antonius ut ex prælio aufugit, cum suis profligatis equitibus Apenninum transgressus ad Vada se recepit. Inde quum trans Alpes ducere vellet, subclamatum est a militibus et aperte recusatum in Galliam sequi, et jam Brutus cum exercitu appropinquabat. Quare in summa difficultate et magna desperatione constitutus Antonius tandem supplex et mutata veste ad M. Lepidum confugit, rogans, ut vitam ejus a persequutoribus tutaretur. Eum tandem

Digitized by Google

Lepidus in castra recepit : et sic bellum de integro renatum est.

LXXX. Interea Octavianus per mortem duorum consulum occasionem dominandi nactus diversa sentire et agitare cœpit. Tandem vero et libertatem et Ciceronem missos faciens, copias et fasces quos a senatu receperat contra senatum convertit. Inita namque cum Lepido et Antonio nefaria societate ad patriam occupandam, quum in unum circa Bononiam convenissent, proscripserunt circiter ccc cives, quos ad necem destinabant. Dicitur tamen Octavianus diu restitisse, ut Cicero in proscriptorum numero non esset, adductus verecundia quod eum patrem appellare solebat, et quod ejus opera ad id potentiæ pervenisset. Sed Antonius ante omnes Ciceronem postulabat, et M. Lepidum in voluntatem traduxerat. Itaque tandem Octavianus concessit, hac lege ut Antonius L. Cæsarem avunculum suum, et Lepidus Paullum fratrem sibi versa vice ad necem permitterent. Ita nemini parcitum est. Nec creditur in terrarum orbe quidquam crudelius aut sceleratius umquam fuisse, quum velut sanguinem pro sanguine commutantes, carissimos et conjunctissimos quisque ad necem tradiderit, ut inimicissimos occidere posset. Et erant sane ii omnes boni et præstantes viri. Nihil enim magis in illa proscriptione quæsitum est, quam bonos et amatores libertatis exstinguere. Insuper ad corroborandam sceleris fidem ac societatem validius firmandam, quo magis omnis spes Ciceroni subtraheretur, Clodia P. Clodii inimici olim ejus filia Antonii privigna in matrimonium Octaviano traditur.

LXXXI. Cicero ubi hæc intellexit, desperatis rebus, una cum Q. fratre (nam is in gratiam redierat) in Tusculanum primo; deinde quum Octavianus Urbem intrasset, ex Tusculano Asturam fugere perrexit, eo consilio ut inde in Macedoniam ad Brutum trajiceret. Sed quum in via essent, Q. frater, quod mœrore anxius non satis viatici extulisse putabat, domum redire statuit, et accepta pecunia Ciceronem

Digitized by Google

consequi. Lacrimis igitur et complexu mutuo a fratre divisus in Urbem rediit, ubi mox a servis proditus una cum filio interfectus est.

www.libtool.com.cn

LXXXII. At Cicero Asturæ navim ingressus usque Circeios navigavit. Ibi sive tædio navigationis, sive quod nondum spem omnem de Octaviano abjecisset, in terram descendit et Asturam rediit, incertus consilii an Romam reverteretur. Tandem pervicerunt liberti et servi qui secum erant, ut iterum navigaret. Delatus igitur usque ad prædia sua, quæ in Formiano pulcherrima habebat, quum descendere vellet corvi obviam volantes veluti navim appellere prohibebant. Mox etiam quum villam introisset, eædem aves sequutæ clamore et strepitu omnia pervadebant. Quare commoti liberti ipsum lectica impositum ad mare referebant.

LXXXIII. Inter hæc satellites ab Antonio missi aderant. Eos ducebat Popilius, quem de parricidio olim accusatum Cicero defenderat. Hi quum refracta villa eum non reperissent, ad litus alius alio itinere currentes tandem ipsum in via deprehendunt. At Cicero ubi eos irruere sensit, lecticam deponi jussit, ipsosque sine lamentatione et gemitu prospexit, demulcens etiam sinistra manu barbam, ut sibi mos erat. Ita ab illis occiditur quarto et sexagesimo ætatis anno.

LXXXIV. At M. Brutus audita Ciceronis morte, C. Antonium triumviri fratrem, quem in Macedonia captivum habebat, Ciceronis filio ad vindictam concessit, qui supplicio affectus et securi percussus dignas inferias Ciceroni persolvit. Postea quoque ipse Antonius ab Augusto victus se ipsum propria manu occidit. M. Lepidus omni potentia spoliatus vitam inopem miseramque traduxit. Ita omnes Ciceronis inimici misere tandem ignominioseque perierunt.

Digitized by Google

TABULA

www.libtool.com.cn

RERUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE FRAGMENTORUM CONTINENTUR.

Editoris præfatiuncula VII
Procemium de fragmentis M. T. Ciceronis I
Argumentum orationis pro M. Tullio 53
M. T. Ciceronis fragmenta ex orationibus. — Ex orat. pro M. Tullio, II 55
Pro L. Vareno 86
Quum quæstor Lilybæo decederet 88
Pro P. Oppio 89
Pro C. Manilio 92
Pro M. Fundanio ..... *Ib.*
Argumentum in orationem pro C. Cornelio 94
Aliud argumentum in primam orationem pro C. Cornelio 97
Pro C. Cornelio, I 99
Pro C. Cornelio, II 112
Argumentum orationis in toga candida 116
In toga candida ..... *Ib.*
Argumentum orationis pro Q. Gallio 124
Pro Q. Gallio 125
Argumentum orationis pro L. Othone 127
Pro L. Othone ..... *Ib.*
Argumentum orationis de proscriptorum liberis ... 128
De proscriptorum liberis ..... *Ib.*

Digitized by Google

Argumentum orationis contra concionem Q. Metelli. 129
Contra concionem Q. Metelli 130
De consulatu suo ..... *Ib.*
Angeli Maii monitum de fragmentis orationis in P. Clodium et Curionem 131
Argumentum orationis in P. Clodium et Curionem.. 137
In P. Clodium et Curionem 140
Angelii Maii monitum in orationem de rege Alexandrino 148
De rege Alexandrino 149
Pro P. Vatinio 152
Argumentum in orationem pro M. Æmilio Scauro. 153
Pro M. Æmilio Scauro 158
Pro A. Gabinio 185
A. Maii monitum 186
Argumentum de ære alieno Milonis 187
De ære alieno Milonis 189
M. T. Ciceronis fragmenta ex orationibus quæ exstant, sed non integræ. — Ad orationem pro P. Quintio 194
Ad orat. pro M'. Fonteio ..... *Ib.*
Ad orat. de lege agraria kal. jan. 195
Ad orat. pro L. Flacco ..... *Ib.*
Ad orat. in L. Pisonem ..... *Ib.*
Supplementa, ut vult editor Amed. *Peyron*, orationis pro Milone, cap. 12 et 13 196
Ex Causarum lib. XIII 197
M. T. Ciceronis fragmenta ex epistolis. — Ex epistola ad M. Titinium 201
Ad Cornelium Nepotem epist. lib. II 202

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

Ad eumdem, ex lib. incerto 202
Ad C. Cæsarem epist. lib. I. — M. Cicero C. Cæsari S. 203
Ad eumdem Epist. lib. II 204
Ad eumdem Epist. lib. III ..... *Ib.*
Ad eumdem, ex lib. incerto 205
Ad Cæs. juniorem Epist. lib. I. — Cicero Cæsari juniori S. ..... *Ib.*
Ad eumdem Epist. lib. II 206
Ad eumdem Epist. lib. III 207
Ad eumdem, ex lib. incerto 208
Ad C. Pansam, Epist. lib. I. — M. Cicero C. Pansæ S. D. ..... *Ib.*
Ad eumdem Epist. lib. III ..... *Ib.*
Ad A. Hirtium Epist. lib. II ..... *Ib.*
Ad eumdem Epist. lib. V ..... *Ib.*
Ad eumdem Epist. lib. IX 209
Ad eumdem, ex lib. incerto ..... *Ib.*
Ad M. Brutum Epist. lib. VII ..... *Ib.*
Ad eumdem Epist. lib. VIII ..... *Ib.*
Ad eumdem, ex lib. incerto ..... *Ib.*
Ad M. filium lib. I. 210
Ad eumdem, lib. II 211
Ad eumdem, ex lib. incerto ..... *Ib.*
Ad Licinium Calvum, lib. I ..... *Ib.*
Ad Q. Axium Epist. lib. I 212
Ad Catonem epistola ..... *Ib.*
Ad Cærelliam epistola ..... *Ib.*
Ad L. Plancum 213
Ex Epistolis incertis ..... *Ib.*

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

M. T. Ciceronis fragmenta ex libris philosophicis. — M. T. Ciceronis de jure civili 217
M. T. Cicero de Auguriis 218
Argumentum in Hortensium 219
M. T. C. Hortensius, sive de Philosophia 222
M. T. Cic. M. Cato, seu laus M. Catonis 242
M. T. Ciceronis de Gloria liber I 243
M. T. Ciceronis de Gloria liber II 246
Argumentum in Consolationem 248
M. T. Ciceronis Consolatio 249
M. T. C. liber de suis Consiliis 253
M. T. C. de Virtutibus liber ..... *Ib.*
M. T. C. Chorographia ..... *Ib.*
M. T. Ciceronis fragmenta ex libris philosophicis qui exstant, sed non integri. — Ex M. T. C. ad Varronem Acad. lib. I 254
Ex lib. II Academicorum ad Varronem ..... *Ib.*
Ex lib. III Academicorum ad Varronem 255
Ex lib. incerto Academicorum ad Varronem 256
Ex lib. de Natura Deorum III 258
Ex lib. I de Divinatione 259
Ex lib. de Fato ..... *Ib.*
Ex lib. I de Legibus 260
Ex lib. II de Legibus 261
Ex lib. V de Legibus ..... *Ib.*
Ex libro incerto de Legibus ..... *Ib.*
Ex libris incertis 262
M. T. Ciceronis fragmenta ex poematis. — M. T. Ciceronis ex Arato Phænomena 269
Prognostica 299

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

M. T. Cicero ex Homeri Odyssea 302
M. T. Ciceronis Alcyones ..... *Ib.*
M. T. Ciceronis Limon 303
M. T. Ciceronis Marius ..... *Ib.*
Argumentum in libros de suo Consulatu. 304
M. T. Cic. de suo Consulatu, lib. II. 307
M. T. Cic. de suo Consulatu, lib. III 311
Argumentum in librum de temporibus suis 312
M. T. Cicero de temporibus suis 313
M. T. Ciceronis elegia Tamelastis 315
M. T. Ciceronis jocularis libellus ..... *Ib.*
Ex M. T. Cic. poemate incerto 316
Q. T. Ciceronis poemata. — De XII Signis 317
Epigrammata 318
Argumentum e Schützii editione desumptum 321
Q. Cicero de Petitione consulatus, ad M. Tullium fratrem 323
Novi editoris præmonitio 349
C. Sallustii Crispi in M. T. Ciceronem Declamatio. 351
In C. Sallustium Declamatio, quæ M. T. Ciceroni falso tribuitur 355
Novi editoris monitum 367
M. T. Ciceronis ad populum et equites romanos, antequam iret in exsilium, oratio 369
Novi editoris monitum 383
Epistola ad Octavium. — Cicero Octavio S. 385
Novi editoris præfatio 393
Consolatio 397
Index editionum corporis Tulliani auctior illis, quos exhibet Fabricius in sect. II præf. ad Cic. opp.

www.libtool.com.cn
Digitized by Google

a se an. 1774 edita, tom. I, secundum ætates digestus 463
Notitia literaria de M. T. Cicerone, ex Jos. Alb. Fabricii Bibliotheca latina a Jo. Aug. Ernesti auctius edita, tom. I, lib. I, cap. 8, auctior et emendatior 485
Breviarium vitæ, actionum et scriptorum Ciceronis. 505
Ciceronis vita a Leonardo Aretino scripta..... 519

www.libtool.com.cn

FINIS VOLUMINIS FRAGMENTORUM.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.tibtaf.com.cn

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

Digitized by Google